FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

HISTORIA AVGVSTANÆ || CONFESSIONIS, || continens || SERIEM VARIA=||RVM DELIBERATIO=||NVM ET ACTORVM IN CAV-||SA RELIGIONIS, EO TEMPORE, || QVO ...

Chyträus, David

Francoforti ad Moenum, 1578/1579

VD16 ZV 30715

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149583

Visual Library

8° 4

112. D. 3.

HISTORIA AVGVSTANÆ
CONFESSIONIS,
continens

SERIEM VARIARVM DELIBERATIONVM ET ACTORVM IN CAVSA RELIGIONIS, EO TEMPORE, QVO AVGVSTÆ CONFESSIO FIDEI, QVÆ ET IPSA INSERTA EST,

CAROLO V. IMP. A IOHANNE, ELECTORE SAXONIÆ, & coniunctis Principibus ac Ciuitatibus, primùm exhibita est in Comitijs Anni M. D. XXX.

CONTEXTA A
DAVIDE CHYTRÆO, SACRÆ THEOLOGIÆ IN ACADEMIA Rostochiana Professore.

Mandr. Achilles.

ANNO M. D. LXXIX.

Francksche Stiftungen
Haupt-
Bibliothek
Halle/Saale

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. IOHANNI III. REGI SVECIÆ, GOTHORVM, VANDALORVM, & aliarum gentium orbis Arctoi amplissimarum, Domino clementissimo.

DEVS æternus Rex, conditor ac custos & conseruator generis humani, Imperia & Regna in terris ipse ordinauit & distinxit, & REGIAM MAIESTATEM altè supra cæteros homines extulit & euexit: vt velut DEI Imago, & Dei vices in terris gerens, salutare organon DEI sit, per quod vera agnitio & inuocatio DEI & seruatoris nostri Iesu Christi, in genere humano latè spargatur & propagetur: & sapientia, bonitas, Iusticia diuina, in honestis legibus, iudicijs, defensione bonorum, pœnis nocentium, & disciplinæ ac pacis conseruatione conspiciatur & luceat: ac inprimis vt doctrina & Religio Christi vera, in politijs & Imperijs latè sparsa fulgeat, & ecclesiæ veram de Christo confessionem publicè sonantes, & communi voce ac pijs laudibus Deum vnanimiter celebrantes, hospitium & sedem tranquillam habeant. sicut vox diuina inquit: Gubernatio terræ in manu DEI est. is nonnunquam dat bonum principem, & Cancellarium dignum & laude. Dan. 2. DEVS constituit & transfert Regna.

Estq; pulcherrimum & summum Regni decus, cùm summo regi, Domino DEO, & redemptori nostro Iesu Christo, reuerenter obedit. & cùm, iuxta dulcissimam Psalmi sententiam, conueniunt Reges simul & populi, vt Domino fideliter seruiant. Qualem in inclyto regno Sueciæ gubernationis statum Serenissimus rex Gudstauus laudatissimæ memoriæ pater tuus, Gothorum sceptrum (vt nomen ipsum indicat) à Deo sibi mirabiliter traditum gerens, instituit: cùm illucescentem sinceram & puram, detersis erroribus & idolis ea ætate passim grassantibus, euangelij doctrinam, inter primos amplexus est, & passim in amplissimis regnorum suorum prouincijs plantari & propagari & ad posteros transmitti curauit.

Cùm enim sapientia & pietate Christiana excelleret, & toti Regno maximè salutaris esset: hanc curam inter præcipuas duxit fouendi & ornandi ecclesiam Dei, & cognoscendæ ac propagandæ veræ doctrinæ de DEO: quæ præcipuum & proprium ecclesiæ Dei patrimonium, & preciosissimus generis humani thesaurus est. Nam vt certò & indubitatò constat, vnum æternum verum DEVM ESSE, qui æternæ sapientiæ, bonitatis & potentiæ suæ radios, in pulcherrimo hoc cœli & terræ opificio & omnibus creaturis sparserit, & se angelis ac hominibus agnoscendum & celebrandum proposuerit: ita certissimum est, hunc verum & æternum Deum, certam & immotam de se & redemptore nostro Iesu Christo & salute homi-

hominum æterna doctrinam, immensa bonitate generi humano patefeciſſe, libris certis per Prophetas & Apoſtolos deſcriptam, & illuſtribus miraculorum teſtimonijs confirmatam. Quæ vnicum & immotum totius Chriſtianæ fidei & ſalutis noſtræ fundamentum, & vnica Regula ac norma eſt, ad quam omnes noſtras de Deo cogitationes, & fidem ac obedientiam erga Deum in omni vita accommodari & dirigi oportet.

Vt igitur omnes homines ideo conditi ſunt à Deo & per Filium redempti, vt imagines & templa Dei ſint, in quibus conditor æternus & redemptor noſter Ieſus Chriſtus verè agnoſcatur, inuocetur & colatur: ita omnes Hominum communitates, in Regum & principum ditionibus, à DEO *conſociatæ, & vinculis magiſtratuum, legum, iudiciorum &c. deuinctæ ſunt, vt hoſpitia & templa æterni* DEI *exiſtant, in quibus vera agnitio & inuocatio Dei & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, & omnes virtutes Deo placentes luceant, & tenera ætas, per idoneos & fidos doctores, ad timorem Dei, & diſcendas artes vitæ vtiles, erudiatur & adſuefiat: & in publicis congreſſibus eccleſiæ & ſcholarum,* DEVS *communi multorum voce inuocetur & celebretur. Etſi igitur multis inſignibus Dei donis ampliſsimum Sueciæ regnum à Deo ornatum eſt: tamen intelligit R. M. T. ad hunc præcipuum finem, in regnis, ciuitatibus & domibus, homines coniunctos habitare, vt alij alios de Deo doceant, & doctrina ac confeſsione ſua & cæterarum*

virtutum exemplis ad veram Dei agnitionem inuitent. ac vt in gubernatione, iudicijs, œconomijs, contractibus, officia Iustitiæ, veritatis, beneficentiæ, alij alijs præstent, vt DEVM Iustum, veracem & beneficum esse agnoscant, & harum virtutum similitudine ipsi conformes esse studeant.

Quare sapientissimus & optimus Rex pater tuus, præcipuum & maximè necessarium patrij regni decus & lumen esse, veram de Deo & redemptore nostro Iesu Christo & æterna salute nostra doctrinam, cuius articuli præcipui, & summa breuis ac neruosa, ex verbi diuini fontibus limpidissimis, in Confessione Augustæ Carolo V. Imperatori anno 1530. exhibita, piè & eruditè comprehensa est; iudicauit. In hac laudatissimi & optimi regis patris tui Christiana Confessione, & simili inuocatione veri Dei, Regiam M. T. constanter perseuerare, & cæteras patris virtutes, Christiano & laudatissimo rege dignas, religiosè sequi, omnes pij ex animo optant & lætantur. & DEVM æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, autorem & custodem Imperiorum & Regum ipsi seruientium orant, vt R. M. T. voluntatem, consilia & actiones, ad æterni regis Christi gloriam, & ecclesiæ ipsius ac subditorum salutem, & doctrinæ in hac Confessione expositæ defensionem & propagationem salutarem gubernet.

Admodum vetustæ & celeberrimæ gentes sunt, quæ R. M. T. Imperio parent, Gothi seu Getæ, Sueci,

Succi, Heneti, & aliæ, quæ omnes in veteribus historijs notæ & celebratæ sunt, ac sæpe res maximas gesserunt & insignia Heroicarum virtutum exempla ediderunt. vt in Italia rex Gothorum Theodoricus, qui Veronæ sedem aulæ habuit, & Totilas & alij. His laudatis gentibus, ad veram Dei agnitionem, & veræ de Deo doctrinæ ac religionis sinceræ propagationem, fideliter, iuuante Deo, seruire nostro loco & vocatione singuli debemus.

Cùm igitur & prodesse ad sinceræ religionis conseruationem, & iucundum ac gratum fore pijs, qui hoc genus doctrinæ in Augustana Confessione expositum amplexi essent, in vestris illis Arctois & alijs gentibus, arbitrarer; si vniuersam seriem grauissimarum deliberationum & Actorum, quæ confessionis illius exhibitionem in comitijs Augustanis anni 1530. præcesserunt & comitata sunt, simul legendo cognoscere & integram mente intueri possent: Ego vt multorum piorum votis & desiderio ea in parte gratificarer, Seriem rerum totam, de Augustanæ Confessionis initijs, quomodo primùm deliberata, composita, & Imperatori Carolo V. publicè oblata sit? & Quæ deliberationes & actiones de Religione præcipuæ in toto illo conuentu Augustano fuerint? fideliter conatus sum hoc libro recitare. Quem Regiæ Maiestati tuæ, & inclyti regni tui ecclesijs, nominatim inscribere & consecrare volui, vt non solùm subiectissimæ erga R. M. T. & inclyti regni Sueciæ eccle-

sias, re-

ſias, reuerentiæ & ſtudij mei ſignificatio qualiscunq;, verùm etiam teſtimonium deſiderij & voti omnium piorum, de conſenſione illarum & concordia cum eccleſiis, quæ hanc Confeſſionem Auguſtæ exhibitam Imperatori Carolo V. ſequuntur, perpetua, publicum extaret. Reuerenter itaq; oro, vt R. M. T. hoc obſeruantiæ & demiſſæ ſubiectionis erga R. M. T. meæ teſtimonium clementer & benignè accipiat: & me, inter eos, qui R. M. T. reuerenter colunt & obſeruant, & publicam eccleſiæ ſalutem & pacem amant, clementer agnoſcere, & Regia beneuolentia ſua complecti dignetur. DEVM *æternum & ſupremum Regem regum, & dominum dominantium, qui dat ſalutem regibus ipſum timentibus, toto pectore precor, vt R. M. T. voluntatem, conſilia & actiones, ad Chriſti gloriam, & multorum hominum ſalutem, veræ doctrinæ conſeruatione & propagatione iuuandam & ornandam gubernet, & aduerſus omnes hoſtes, R. M. T. protegat, & incolumem ac florentem perpetuò ſeruet.*

Datæ Roſtochij.
Cal. Maij.

R. M. T.

Reuerenter colens

DAVID CHYTRAEVS.

SERIES DELIBERATIONVM ET ACTORVM DE RELIGIONE, IN COMITIIS AVGVSTANIS, ANNI M. D. XXX.

CVm Confessio Doctrinæ, à Iohanne Duce Saxoniæ Electore, Georgio Marchione Brandenburgensi, Ernesto Duce Luneburgensi, & cæteris in hac religionis causa coniunctis, anno 1530. Augustæ, Carolo V. Imperatori exhibita, commune symbolon sit Ecclesiarum nostrarum, cui tot Principes & populi hactenus se pia voluntate & constanti zelo adiunxerunt: cumq; epitasis certaminum Ecclesiæ nostri temporis, in conuentum illum inciderit: existimaui non ingratum pijs & candidè iudicantibus fore laborem meum, si seriem præcipuarum deliberationum de Religione, à nostris Principibus & Theologis in eo conuentu Ordinum Imperij institutarũ, ex authenticis monumentis eorum, qui ipsi negotijs interfuerunt, descriptam recitarem.

Filium Dei, dominum, doctorem & redemtorem nostrum, Iesum Christum, qui immensa bonitate & misericordia lucem Euangelij adeò clarã & illustrem his postremis temporibus restituit, & confessione Augustæ Imperatori exhibita latissimè in multis gentibus propagauit, toto pectore precor, vt Ecclesiam inter nos æternam sibi voce Euangelij perpetuò colligat & seruet, & accensam in nobis veritatis suæ lucem augeat & obsignet, vt ad posteritatem, detersis erroribus & tenebris Pontificijs, pura & illibata conseruetur.

Necesse est enim fateri multos graues morbos & pernicioſos errores doctrinæ ac cultuum, & abusus, in Ecclesia Pontificia, multis iam seculis hæsisse: quorum emendationem multi pij ac eruditi, etiam ante hæc tempora ardentibus votis flagitarunt. In omnibus templis populus prostratus ad statuas, inuocarunt alij alia numina, & ab alijs alia bona, prorsus vt Ethnici à Marte victoriam in bellis, à Neptuno seruationem in mari, ab Aesculapio depulsionem morborum, ita illi à Georgio, à Christophoro, Rocho & alijs sanctis postularunt: & penè singulorum oppidorum peculiaria numina & patroni fuerunt. quorum inuocatione mentes à vera Dei inuocatione abduci sole meridiano clariùs apparet.

Catalogus errorum & abusuum in Ecclesiis Pontificijs vberior, ad calcem huius operis, vna cum alijs vtilibus libellis adiungetur.

Cœna Domini horribiliter prophanata & partim in theatricum spectaculum & sacrificiū pro viuis ac mortuis, pugnans cum expressis verbis Christi, conuersa, partim in quæstum collata est: & templa magis ferè ceremonijs funerū & missis pro mortuis, quàm voce concionum, aut exercitijs viuentium occupata fuerunt.

Vna pars Sacramenti populo ademta est: Altera pars etiam extra vsum institutum circumfertur & adoratur contra rationem Sacramenti.

Quantum turpitudinis & spurciciei est in immundo cœlibatu Sacerdotum & Monachorum, inter quos multi alioquin amantes virtutem, omnibus seculis propter hæc vota polluti sunt horrendis peccatis, & tandem in desperationem & æternum exitium præcipitati.

Quantæ superstitiones sunt in votis & vita Monachorum, qui laqueis stultarum & impiarum traditionum impliciti, pluris has suas ἐθελοθρησκείας, quàm opera lege Dei mãdata faciunt, & sua ac sui ordinis merita alijs viuis & defunctis ex purgatorio liberandis prodesse fingunt? Quanta insciti a & neglectio ministerij Euangelici in Episcopis, qui præcipua & propria sui muneris officia, conciones verbi diuini, gubernationem studiorum doctrinæ, ordinationem ministrorum, inspectionem Ecclesiarum, disciplinam & iudicia Ecclesiastica planè negligunt? Quanta vanitas constitutionum, quę tribuunt Romano Pontifici dominium super omnia regna mundi, & terreni simul ac cœlestis Imperij potestatem, vnde sæuissima bella sæpe exarserunt? Quàm tetri errores in doctrina sunt, quòd præcipiunt inuocationem hominum mortuorum, quæ palàm idolatrica est, tribuens creaturis honorē soli vero Deo creatori debitum. Negant hanc fidem, qua accipienda est remissio peccatorum, ita vt vnusquisq; agens pœnitentiam certò statuat sibi peccata propter Christum remissa esse, in Scripturis contineri. Iubent manere in perpetua dubitatione, an sis in gratia Dei, an Deo placeas. Fingunt homines proprijs operibus & meritis, imò etiam venalibus missis, votis monasticis remissionem peccatorum consequi, & iustos esse impletione legis.

Doctrinam de pœnitentia, quam maximè necessarium est extare in Ecclesia incorruptam & perspicuam, pernicioſis erroribus & labirynthis totam obscurarunt & obruerunt, omissa penitus doctrina de fide, qua gratuitam remissionem peccatorum propter filium

lium Dei mediatorem certò accipimus, & terrores peccati & mortis fiducia Christi redemtoris superamus. Finxerunt oportere Contritionem sufficientem esse, & hanc mereri gratiam. In absolutione addunt meritis Christi, merita sanctorum, & ordinum monasticorum, propter quæ à peccatis solui sufficienter contritos & confessos iudicant. Quantum chaos est manifestorum abusuum in satisfactionibus & indulgentijs venalibus?

Quarum nundinationes impudentissimas, & tetra mendacia, ac in filium Dei redemtorem nostrum Iesum Christum contumelioſa, cùm Martinus Lutherus anno 1517. pridie Cal. Nouemb. primùm editis propositionibus de tota doctrina pœnitentiæ. piè & modestè scriptis & aliâs pro concione refutaret: & postea Tecelij, & satellitum ipsius clamoribus & libellis irritatus, veritatem constanter defenderet, & paulatim plures errores & abusus taxaret: statim in acerbissima pontificis & satellitum ipsius odia incurrit: ac paulò pòst edita Leonis X. bulla sæuissima excommunicatus, & instigante pontifice & monachis, ab Imperatore Carolo V. in comitijs anni 1521. proscriptus est. Sed, duris vt ilex tonsa bipennibus ab ipso ducit opes animumque ferro: ita Lutheri pectus ardenti zelo tuendæ veritatis ardens, non modò fractum aut languefactum his fulminibus non est, Sed tanta magnitudine animi, constantia & fide in Deo adquiescente, diuinitus armatum & confirmatum, vt maiore animo pro veritate pugnaret, & statim post promulgatam proscriptionem, duos neruos regni Pontificij, abominationes missæ priuatæ, & vota monastica, accuratissimis refutationibus in Pathmo editis, vt Alexander Gordium nodum, inciderit.

Interea Carolo Imp. intestinis Hispanorum seditionibus, & bello Nauarrensi, in Hispaniam reuocato, & postea continuis nouem annorum bellis Italicis implicito, etsi tristissimis calamitatibus magna pars Italiæ horribiliter vexata est: tamē, vt nihil mali permittit Deus, nisi vt aliquid boni inde efficiat: ita consentaneum est, illis ipsis bellis, Deo ita gubernante, Carolum occupatum fuisse hanc quoq; ob causam, vt absente Cæsare, executio edicti VVormatiensis impediretur, & doctrina Euangelij tutiùs & latiùs propagari in Germania & exteris nationibus posset.

Habita sunt interim Comitia in Germania, primùm Noribergæ, vbi, metu seditionis & grauiorum turbarum, differri executionem edicti VVorm. & Euangelion iuxta interpretationes ab Ec-

cleſia receptas doceri iuſſerunt, & ad dirimendas religionis controuerſias & corrigendos abuſus Eccleſiæ Romanæ, quorum circiter 80. ad imminutionem libertatis Imperij pertinentes, Legato Pontificio, Principes obtulerunt: Concilium pium & liberum in Germania indici petiuerunt. Spiræ etiam anno 1526. ea libertas religioni publico decreto conceſſa eſt, vt interea, dum vel Germaniæ, vel publicum totius orbis Chriſtiani concilium cogatur, ſinguli in ſuis ditionibus ita ſe gerant & doceri ſinant, vt Deo & Cęſari probare ſuas actiones poſſint.

Cùm autem Carolus Cæſar, oppreſſo ad Ticinum Rege Gallo, & biennio pòſt Pontifice ipſo Romæ capto, & tandem Gallico exercitu ad Neapolin lue extincto, iam totius Italiæ, armis domitæ, victor, Deo iuuante, extitiſſet: & Pontifici ac Gallo petenti pacem anno 1529. dediſſet: totus in eam cogitationem & curam incubuit, vt, compoſitis Religionis diſſidijs, communi Eccleſiæ & orbis Chriſtiani tranquillitati & ſaluti conſuleret.

Itaq; colloqui cum Pontifice Bononiæ, tum de cæteris rebus ad Italiæ pacem pertinentibus, tum verò de controuerſiarum religionis legitima cognitione & concilio congregando decreuit. Ac vt ad tantæ rei tractationem inſtructior veniret, deliberationes de controuerſijs Eccleſiæ ſibi ſcribi iuſſit: Quarum ſummæ à D. præceptore Philippo alicubi his verbis recitantur: Reſponderunt quidam, prorſus nullam mutationem doctrinæ aut rituum faciendam aut permittendam eſſe, nec vllam Synodum conuocandam eſſe, ſed tantùm armis delendos eſſe omnes & Doctores & Principes, qui labefactare præſentem tranquillitatem auderent, quia plus mali ſit in exemplo admiſſa mutatione, quàm in morbo, cuius emendatio inſtituatur. Semel enim tentata mutatione curioſa ingenia inuitari ad maiores mutationes.

Alij mitiores, reſponderunt Eccleſiam hæc horrida & Laconica conſilia non decere. Primùm, quia alius finis ſit Laconicæ gubernationis, alius Eccleſiæ: In Laconica tantùm quæri pacis conſeruationem: in Eccleſia anteferendam eſſe gloriam Dei. Cùm autem manifeſtum ſit multas falſas opiniones, errore, ſuperſtitione, auaricia, in Eccleſiam inuectas eſſe, neceſſariã eſſe emendationem propter gloriam Dei: Deinde ne quidem fore pacem, quia ſemper futuri ſint, qui aliqua reprehendent: idq; tumultuoſiùs facturos eſſe multos, quia ſine publica autoritate, & ſine conſenſu gubernatorum

rum id agerent: Esse & manifesta libidinum scelera in cœlibatu, quę tolli Deus præceperit, quantum fieri à gubernatoribus possit. Postremò Ecclesiam non debere Tyrannicam esse, sed propter probabiles causas lenire iniusta onera.

Athenis Solon veterum legum asperitatem mitigauit & σπάχθειαν effecit. Sæpe & in vrbe Roma & in Imperio mitigatæ sunt nexorum calamitates. Quantò magis Ecclesiam decet lenitas, cui toties præceptum est, vt parcat infirmis? Deniq; cùm tot Principes ad Synodum prouocent, & quidem cùm vbiq; terrarum boni & docti assiduis gemitibus petant Synodum, qualis Tyrannis esset sine vlla cognitione sæuiciam exercere? Adiuncta sunt & exempla bonorum Principum, qui Synodos vtiles Ecclesiæ conuocarunt, Constantini, Theodosij, Arcadij, Marciani.

Lecto vtroq; consilio Imperator & natura mitis, & alienus à Tyrannide, & non prophanus, re diu cogitata & disputata cum sapientissimis viris, tandem prætulit sententiam iustam & mitiorem, & adfirmauit se in ea permansurum esse.

Cùm igitur anno 1529. die 5. Nouembris, Bononiam Carolus Imp. ad Pontificem Clementem VII. venisset: & cæteris negocijs, de familia Medicea Florentiam reducenda, de Mediolano Sfortiæ tradendo, de pace Veneta &c. perfectis: Deliberatio de Lutheri causa & pace Ecclesiæ instituta fuisset: cùm consedissent Carolus & Pontifex, & hinc seniores Cardinales, Genutius, Farnesius & alij, inde Principes Hispanici & Italici astarent, Mercurinus Cancellarius longa & grauissima oratione voluntatem Caroli exposuit & Synodum flagitauit.

Pompam ingressus, & coronationis Caroli Imp. Bononiæ peractæ, luculenta narratione describit Paulus Iouius lib. 27. Histor.

Huic Clemens, qui & sapiens & eloquens erat, & ad hanc tantam causam paratus venerat, in hanc sententiam respondit:

Credo ego te, Carole Imperator, & tuo iudicio reuerenter sentientem de inuocatione Dei, & incitatum laudatissimorum Principum exemplis, bono studio Synodum flagitare. Sed hac de re, in qua plurimum est periculi Ecclesiæ, prior esse mea deliberatio debet & præcipua autoritas. Nam, vt non disputem subtiliter de meo iure, hoc constat, Synodum Nicenam iussisse ad Romanum Episcopum deferri controuersias Ecclesiarum Occidentis, & nostram sedem indicere Synodos. Sæpe igitur ante hoc tempus & mecum ipse, & cum hoc Genutio & Farnesio & alijs deliberaui, quomodo Ecclesiæ paci consulendum sit, priùsne in Synodo res disputandæ sint, an potiùs tantùm armis opprimendi sint, qui discedunt à decretis & opinionibus antea receptis.

Qua de re cùm censeam non indicendam esse Synodum, initio peto, ne mihi aut opibus

Romanæ sedis me metuere existimes. Iohannem vicesimum tertium aiunt pœnituisse, quòd Synodum Constantiensem conuocauerat, cùm eum ex summo fastigio deijceret. Ego verò expertus varias fortunæ vices, nuper etiam captus, cogito, non solùm honores & potentiam, sed hanc ipsam vitam quoq; fugacissimas vmbras esse: & tranquillo animo cedam de hac statione, quandocunq; me vel Deus, vel casus aliquis inde abstrahet.

Deinde nec de opibus Romanæ sedis angor, quas attribuit nobis Ludouicus Caroli filius, & vt sumtus necessarios in gubernatione habeamus, & vt simus tutiores contra subita latrocinia. Sed velim hac sarcina Romanum episcopum leuari, si semper tales Imperatores haberemus, qualem te esse video. Non igitur Synodum propter has stultas cupiditates fugio.

Neq; hoc argumento moueor, quod magni faciunt Iurisconsulti: Valere debere rerum iudicatarum autoritatem, nec, antea decreta, nouis disputationibus labefactanda esse. Ego verò, si paci, si posteritati prodesset disputatio, nollem eam prohibere: ac tantùm ad publicam pacem & salutem posteritatis mea sententia directa est.

Ostendam autem ex ipsis dogmatum generibus mei consilij causas.

Sunt dogmata partim non solùm falsa, sed etiam manifestè absurda, qualia sunt Anabaptistica: Oportere facultates omnium communes esse; Magistratus, iudicia, legitimas pœnas, imperia, res prorsus à Deo damnatas esse; omnia fieri necessariò, etiam scelera; nullam esse libertatem humanæ voluntatis; renasci homines, sine voce doctrinæ, Enthusiasmis cogentibus repugnantem voluntatem. Nuper etiam Samosatenica mota sunt de filio Dei, quæ transformant Ecclesiæ doctrinam in Mahometicam. Vt autem ad incendium boni omnes restinguendum mox concurrunt, sic concurrere omnes gubernatores oportebat ad opprimenda initia harum quæstionum: ac res pessimi exempli fuerit de eis admittere vllam dubitationem. Sedit Constantius Imperator & præfigiatorem audire potuit hac blasphema dicentem in Synodo: Pater est ἀσεβὴς, filius est εὐσεβὴς, dissimilis est ergo filius patri. Quæ fuit hæc leuitas, vel potius impietas, tales voces audire? Téne Carole existimem tam, non dico, lentum, sed vecordem esse, vt fuit Constantius, vt sedens in Synodo, sine ingenti dolore & indignatione, talia sophismata auditurus sis?

Secunda classis est, vt ita dicam, dogmata inextricabilia. De his cùm tolli certamina non possint, melius fuerit ea non agitari. Tales sunt quæstiones de adoratione panis, de oblatione, de sacrificio Missæ.

Tertia classis est dispensabilia Pontificis autoritate, vt laxatio votorũ, concessio coniugij, emendatio superstitionis, in cibis, vestitu, & similibus ineptijs. De hac classe cùm res sint manifestæ, nihil opus est disputatione Synodi. Si Reges & Principes petent harum rerum moderationem, sedes Romana vno edicto harum rerum omnium ἐπιείκειαν edere posset. Velim & ipse tolli superstitionem & morum vicia, quæ stultis legibus augentur. sed ἀναρχίαν fieri nolo. Petatur à Romana sede emendatio, cui nolo adimi autoritatem, vetustæ Ecclesiæ sententia ei attributam.

His classibus dogmatũ consideratis causæ cernuntur, quare non sit conuocanda Synodus.

Reliquum est igitur, vt, Carole, armis pacem restituas. Italia domita tuis armis quieta est; Rex Galliæ repressus, qui tecum non de Stoicis paradoxis, aut Iudaicis superstitionibus monachorum, sed de Imperio certauit. Quantò facilius Germaniæ partem non magnã compesces? quæ in re & posteritatem intuearis.

Huius

Huius sedis autoritate extincta, sequetur ἀναρχία, in qua & laxatio disciplinæ adferet barbariem in moribus, & petulantia ingeniorum gignet sine fine noua dogmata: & morum in hoc incendio perniciosam esse cogitato.

Hæc cùm dixisset Pontifex, iubet Carolus, quia decreuerat non discedere à sua sententia, Mercurinum refutare Pontificis orationem. Sed cùm dicere Mercurinus cœpisset, interpellat Pontifex, toruitate vultus & vocis Tyrannidem ostendens, & his verbis obiurgat Mercurinum: Quare tu ita mihi aduersari audes, & dominum contra me incitas?

Hîc surgit ad dicendum Carolus ipse. Mirantur Principes, quid iuuenis dicturus sit, & attenti audiunt omnes. fuitq; hæc grauissimæ orationis summa.

Agnosco me iuuenẽ esse, & huius Mercurini & aliorum sapientũ consilijs vti me fateor, & debere me sapientiores audire iudico: & de hac ipsa deliberatione, quã scio pertinere ad gloriam Dei, & ad salutem vniuersi generis humani, cum multis collocutus sum, qui excellunt sapientia, virtute & fide, qui sentiunt Ecclesiæ opus esse Synodo. Nec tu ignoras voluntates omnium sapientũ & bonorum in tota Europa, qui assiduis gemitibus Synodum flagitant talem, quæ rectè gubernetur. Quare cùm re diu deliberata, & ijs argumentis, quæ tu opponis, diligenter cogitatis, velim conuocari Synodum, scito & Mercurinum, quæ dixit, meis mandatis dixisse, & me ab hac sententia, donec viuam, non discessurum esse. Tuum consilium speciosum & plausibile prophanis videri potest: sed meũ & iustum est, & Ecclesiæ cõuenientius, & si me non impedieritis, Deo iuuante, spero generi humano salutare futurum esse.

Nec illa terribili oratione tua abducor à sententia, quòd non sit audienda disputatio de absurdis & inextricabilibus. Nam nec omnia, quæ nunc disputantur, absurda sunt, nec sunt vllæ inextricabiles quæstiones in Ecclesia de rebus necessarijs.

Audiui & ego mihi illud Platonicum sæpe dici: Vt parentum deliria ferenda sunt; ita in ciuitatibus & religionibus vitia quædam dissimulanda esse. Modus est eius rei, & in Imperijs, & in Ecclesia. Fundamentum certè in Ecclesia retineri oportet. Et hæleges æternæ in imperijs & in Ecclesia retinendæ sunt, quæ prohibent idolorum inuocationes, & libidinum confusiones. Irrepserunt autem in Ecclesiam quædam inuocationes contumelioſæ contra Deum: Et turpitudo libidinum in conspectu est.

Nec tantùm horum malorum emendatio Synodum requirit, sed vniuersæ doctrinæ integrum corpus colligendum est, quod vna voce omnes gentes in omnibus templis sonent. Scio enim nunc de multis magnis rebus, etiam in tuis castris, dissonos clamores esse. Cùm sparserit hæc ætas quædam absurda, opponat Synodus illustria & firma testimonia, vt & hoc tempore, & in posterum minùs decipiantur homines, moniti argumentis à Synodo ostensis.

Illa autem vox Pontifice indigna est, quòd ais quædam inextricabilia esse. Deus immensa bonitate se patefecit, & vult nos amplecti doctrinã quam tradidit: quæ si esset ambigua, inanis sonus esset. Placet mihi autem & Theodosij consilium, qui iussit in synodo quæri & proferri te-

stimonia sincera vetustatis. Certè enim Ecclesiam doctricem libenter audio, vt Samson monuit: Si non arasses in vitula mea, non inuenisses in.

De dispensatione quam offers, quantò hæc fiet commodiùs in Synodo! Maior enim erit gentium concordia, si simul omnes talem ἐπιείκειαν precipient. Et illo dicto Heroico delector: In communi periculo sit communis deliberatio. Nec defuturus sum meo officio, rebus cognitis.

Et vt cognitio possit ordine fieri, veterum Imperatorum exemplo adfuturus sum, &, quantum potero, perficiam, vt hæ veteres leges iustissimæ seruentur: Vtraq; pars pariter audiatur, & sententiæ non Tyrannicis arbitrijs ferantur, sed iuxta leges, uidelicet iuxta doctrinam, quam certum est à Deo traditam esse.

Nunc quæ diubes ut sine dijudicatione bona & mala pariter deleam, id nequaquam faciam. Nolo enim ex Ecclesia tollere legitima iudicia & constituere Tyrannidem. Declarauí autem antea non obscurè in bello meam obseruantiã erga Ecclesiam & erga sedem Romanam & erga te, quam & deinceps præstabo.

Hac Oratione audita, & Pontifex & omnes Principes ingenium & magnitudinem animi in Carolo mirati sunt. Ideò, ne magis incenderetur Carolus: placidè respondet Pontifex, se cum suo Senatu rursus deliberaturum esse.

Hæc Bononiensis actio ostendit, tunc quidē Caroli moderatam fuisse voluntatem: cui congruit & hoc, quòd postea in Conuentu Augustano confessionem Ecclesiarum nostrarum sibi exhiberi iussit. Quæ omnia cogitemus ita gubernante Deo facta esse, vt Euangelij doctrina & illustraretur & propagaretur, quam propter gloriam Dei, & propter salutem nostram studiosè discamus, & agnoscentes immensa Dei beneficia, grati eum celebremus, & ab ipso assiduis votis petamus, vt nos in tantis confusionibus generis humani clementer gubernet & protegat, nec sinat nos implicari erroribus, & ex Ecclesia in tenebras ruere.

Peruicit autem Bononiæ Pontifex tandem, vt Carolus promitteret, se primùm amicis & pacificis rationibus Lutheranos ad obedientiam Romanæ Ecclesię reducturum, aut, si pertinaciter recusarent, armis oppressurum esse.

Quo constituto, Cæsar die 21. Ianuarij dimissis in Germaniam literis, Comitia Ordinum Imperij Augustæ die 8. April. inchoanda, clementissimis verbis indicit, ac de dissensionibus in causa Religionis nominatim scribit, se dissidentium partiū opiniones & sententias benignè audire, cognoscere & expendere, ac in eo elaborare velle, vt præteritis offensionibus, & erratis Christo condonatis, & illis, quæ vtrinq; in scripturis secùs tractata aut intellecta essent, se-

positis

positis & correctis, controuersiæ illæ ad vnam simplicem veritatem & Christianam cõcordiam componantur & reducantur, vt de cætero vna sincera & vera Religio colatur & seruetur, vt, quemadmodum sub vno Christo sumus & militamus, ita in vna etiam Christiana Ecclesia in vnitate & concordia viuere possimus.

His deliberationibus Bononiæ finitis, & Comitijs Augustanis à Cæsare indictis, de Coronatione Caroli Imperat. die ipsius natali, 24. Febr. solennibus ceremonijs Bononiæ peragenda, decretum est: cuius descriptionem & historiam integram prolixè & luculentè expositam qui cognoscere cupit, Pauli Iouij Historiarum librum 27. à pag. 222. 223. vsq; ad 233. vel Henrici Cornelij Agrippæ libellum, secundo Tomo Germaniæ Simonis Schardij recèns insertum perlustret. Nos Religionis tantùm negocia, ad conuentus Augustani historiam pertinentia, fideliter & diligenter recitare instituimus.

Cùm igitur fama de pace & fœdere inter Carolum Cæsarem & Pontificem Clementem Barcinone die 29. Iunij facto: cuius vnum caput erat: *Cæsar & Ferdinandus, vt hæretici in viam reducantur, operam dant o: & Pontifex sacra remedia adhibeto. Quòd si pertinaces perstiterint, Cæsar & Ferdinandus eos armis cogunto: & Pontifex, vt cæteri Christiani Principes ipsos pro viribus iuuent, operam dato &c.* ad Electorem Saxoniæ & coniunctos in eadem Religionis causa Principes perlatũ fuisset: & Bonon. congressus decreta inter Cæsarem & Pontificem, de Lutheranis ferro ad obedientiam Papæ cogendis, cum leniss imis verbis, quibus in Comitiorum indictione Cæsar vsus fuerat, prorsus pugnantia accederent, & triumphi Principum & Sacrificulorum veræ doctrinæ hostium, qui aduentu Cæsaris potentissimi & vbiq; victoris, Lutheranos omnes planè obtritum & deletum iri iactitabant, vbiq; personarent: magna & difficilis deliberatio optimũ principem Ioannem Electorem Saxoniæ & in Religionis causa socios distinebat, an fidem adhibere Cæsaris literis, & ad Conuentum accedere, an vero, vt multi θρασύδειλοι suadebant, fœdere cum principibus & ciuitatibus idem sentientibus, & cum Heluetijs facto, armis occurrere Cæsari, antequam Alpes egrederetur, deberent.

Sed Lutherus, qui perpetuò pacis author suis fuerat, & constanter hactenus arma religionis prætextu sumi dissuaserat, sumta etiam, ex manibus aliquoties autoritate sua excusserat, constantissimè principes à fœdere & bello aduersus Imp. in hac causa mouendo deterret, & à DEO, cuius causa agatur, auxilium & defensionem

petere & expectare firma fide iubet. Quã vt in suo ipsius & Collegarum suorum ac Principum, aliorumq; veritatem confitentium pectoribus excitaret & cõfirmaret, efficaces & firmas consolationes, opponendas periculis, quæ Confessionem Euangelij comitantur, quas paulò pòst adscribam, breuibus & neruosis propositionibus comprehensas collegit ac edidit: & Psalmum, Deus noster refugiũ & virtus, adiutor in tribulationibus, &c. Germanico carmine, **Ein feste Burg ist vnser Gott / Ein gute Wehr vnnd Waffen / &c.** diuinũ planè robur animi omnia pericula & terrores intrepido & excelso pectore despicientis spirante: & Numeris Musicis, qui tristem etiã & abiectum animũ erigere & exhilarare, & velut ἐνθουσιάζειν possent, illustratum, in Ecclesijs decantandum euulgat.

EPISTOLA LVTHERI AD PRINCIPEM SAXONIAE ELECTOrem IOHANNEM, Qua fœdus & bellum Euangelij prætextu suscipi dissuadet.

GRATIAM & Pacem in Christo, Illustrissime Princeps, Domine Clementissime. Celsitudinis V. literas exhibuit nobis Gregorius Pontanus Doctor, &c. & Cels. V. voluntatem exposuit, cui vicissim nostram sententiam, vt potuimus inuenire optimam, scripto comprehensam tradidimus Cels. V. reddendam. Quæ vt clementer eam accipiat, reuerenter oramus.

Nam confœderationem eiusmodi nec probare, nec consulere in nostris conscientijs possumus, hanc quoq; ob causam, quòd procedente fœdere & bello fortè sanguinolento, alióue infortunio inde exorto, etiamsi cuperemus nos inde extricare, non possemus, & omnium illarum calamitatum intolerabilem molem ferre cogeremur, vt decies potiùs mors nobis exoptanda esset, quàm hæc conscientia sustinenda, Quòd Euangelion nostrum effusioni sanguinis iniustæ & alijs malis publicis, quæ nostra culpa accidissent, causam præbuisset, cùm nostrum sit pati, ac, vt Propheta inquit Psal. 44. velut oues occisionis reputari, et non nos ipsos vlcisci aut vindicare, sed iræ Dei locum præbere. Rom. 12.

Quòd autem Celsitudo Vestra interea magno in metu & periculo versatur: nihil Cels. V. obest. Dominus noster Iesus Christus satis potens est & facilè inueniet media & vias salutares, quibus salua & incolumis Cels. V. euadat. Ipse cogitationes principum impiorum irritas facere, eorumq; consilia dissipare potest, ut inquit Psalm. 33.

Nam

Nam nos non dubitamus, quin hoc, quod iam animo molitur Imperator, tantùm sint minæ & inania terriculamenta Diaboli, quæ aliquando ipsi aduersariæ parti exitio erunt, vt canit psal. 7. Conuertetur labor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Vult autem Christus fidem nostram (idq; meritò) hisce terriculamentis probare, an seriò & ex animo verbum ipsius amplectamur, & certam & immotam veritatem esse statuamus. Nam si Christianis annumerari, & hæredes vitæ æternæ esse volumus, non est quod fortunam nobis polliceamur meliorem, quàm, qualis Christo & omnibus sanctis obtigit. Omnino necesse est Christi crucem portari. At mundus eam non gestare, sed alijs imponere satagit. Nos igitur Christianos eam ferre oportet, ne ociosa iaceat aut nihil sit. Ac Celsitudo Vestra præclarè & fortiter hactenus eam crucem aduersus seditionem, & grauissimas tentationes, odia amicorum inimicorumq; insidias sustinuit. Et tamen semper Deus clementissimè Cels. V. liberauit, & fortiac excelso animo confirmauit, nec vllis solatijs animi & corporis vnquã destituit. Mirabiliter etiã omnes clandestinos conatus & laqueos Diaboli detexit, perrupit ac confudit. Is deinceps quoq; nostræ saluti consulet, modò credamus & oremus.

Nos quidem certò scimus, ipso etiam Deo teste, qui nobis hactenus manifesto auxilio semper adfuit, non nostram, sed ipsius Dei causam agi: quę nostra est gloriatio & consolatio maxima. Quare etiã huius suæ causæ, tanquam fidelis pater, patrocinium suscepit, vt fateri nos oporteat, hanc causam nullo modo, nostra sapientia & viribus ita regi, defendi & hucvsque deduci potuisse. Quare supplex oro & moneo Celsitudinem Vestram, vt bono, forti & intrepido animo sit in hoc periculo. Nos, Deo dante, precibus ad DEVM nostris plus obtinebimus, quàm illi omnibus minis & terriculamentis suis efficient: modò manus nostras à sanguine puras seruemus.

Quòd si, vt non spero, res eò fortasse deduceretur, vt ego ac reliqui à Cæsare citaremur: Nos ipsi nostro nomine, iuuante DEO, comparebimus, nec Celsitudinem Vestram vllis periculis nostra causa inuoluemus. Quod antea sæpè V. Celsitudinis fratri Friderico piæ memoriæ, Domino meo Clementissimo indicaui.

Nam Celsitudo V. nec meam, nec alterius cuiuscunq; fidem defendere debet: Nec id facere potest: Sed vnusquisq; fidem suam ipse profiteri ac defendere, nec alterius, sed suo ipsius periculo credere aut non credere debet: cùm eò res peruenit, vt summus noster Magistratus Cæsar nos supplicio afficere velit. Sed interea multæ aquæ decurrent, & facilè inueniet DEVS consilium, vt res longè aliter cadat, quàm ipsi cogitant. Christus Dominus & consolator noster Celsitudinem V. confirmet & roboret. Amen. 18. Nou. 1529.

Hoc modo Lutherus Principem suum & alios semper ad pacem, & debitam ac subiectissimam obedientiam erga superiorem magistratũ cohortari, & expresse testari solitus est, se nec petere nec velle, ut Princeps Lutheri causa quidquam periculi aut damni subeat,

eat, multò minus bellum gerendum suscipiat. ficut mirabilis illa Epistola, octennio ante, cùm ex sua Pathmo seu arce Isenacensi, in qua post comitia VVormatiensia integrum annum latere coactus fuerat, VVittebergam rediret: ad principem Electorem Fridericum scripta, clarè & prolixè demonstrat. cuius post exordium hæc verba sunt:

De mea verò causa, clementissime Princeps, ita respondeo: Illustrissima Cels. V. probè nouit, aut si ignorat, nunc cognoscat, Me Euangelion, non ab hominibus, sed tantùm de cælo per dominum nostrum Iesum Christum habere: ita, vt meritò potuerim (vt deinceps faciam) me DEI seruum & Euangelistam profiteri. Quòd autem ad causæ cognitionem me obtuli, & aliorum iudicijs subieci, id, non quòd ego de mea doctrina quidquam dubitarem, sed modestiæ causa feci, vt alios inuitarem.

Postquam verò video nimiam modestiam meam vergere ad detrimentum Euangelij, & Satanam, cum vix palmum ei cedo, totum campum velle occupare: cogor, conscientia mea vrgente, alias rationes inire. Satisfeci, vt spero, Illustrissimæ Cels. V. quod hoc anno cessi, tantum vt C. V. seruirem. Nam Diabolus benè scit, non metu & diffidentia hoc à me factũ esse. Cùm enim VVormatiam ingrederer, ita animo constitutus eram, vt etiamsi sciuissem tot Diabolos, quot in omnibus ædium tectis tegulæ sunt, in me intentos esse: tamen læto & alacri animo in medium eorum insilijssem. Iam Dux N. longè adhuc impar est vni soli Diabolo. Cumq; Pater inexhaustæ misericordiæ, per Euangelion nos dominos omnium diabolorum & mortis constituerit: & dederit nobis diuitias fiducię filialis, vt audeamus eum, carissimum Patrem nostrum, appellare: Cels. V. facile ipsa intelligit, Nos ignominia summa talem patrem affecturos esse, si non tantum ei fideremus, quòd etiam domini aduersus Ducis N. iracundiam & minas simus. Et paulò pòst.

Hæc Illustriss. Cels. V. scribo, vt Cels. V. sciat, Me VVittebergam redire munitum præsidio multò sublimiore & firmiore, quàm ab Electore Saxoniæ mihi præstari possit. Neq; in animum vnquam induxi, à Cels. V. defensionem petere. Imo iudico Cels. V. plus à me præsidij & tutelæ habituram esse, quàm mihi præstare possit. Præterea si scirem Cels. V. velle & posse me tueri: planè non redirem.

Huic causæ nullus gladius consulere aut opem ferre potest. Solum Deum hîc gubernare & agere oportet sine vlla sollicitudine & auxilio humano. Itaque in hac causa, qui firmissimè DEO fidit, is fortissimè se & alios defendet. Cùm igitur videam Cels. V. adhuc valde imbecilla fide præditam esse: nullo modo tantũ tribuere Cels. V. valeo, vt ab illa me defendi aut liberari ex periculis posse, statuam. Quod autem Cels. V. cognoscere cupit, Quid ipsi in hac causa faciendum sit, cùm existimet se minus quàm oportuerit hactenus egisse? Respondeo subiectissimè: Cels. V. iam nimium egit, ac nihil prorsus agere debet. DEVS

bet. DEVS enim nec vult nec potest ferre, vt Celſ. V. vel ego, noſtris curis & laboribus nos aliquid effecturos exiſtimemus: ſibi vult totam cauſam gubernandam relinqui. Hæc & non alia ipſius voluntas eſt, ad quam ſe Celſ. V. accommodabit. Quod ſi Celſ. V. credit, tranquillitatem & pacem conſcientiæ experietur. Si Celſ. V. non credit, ego tamen credo, & Celſ. V. incredulitatem curis & doloribus ſuis angi ſino, ſicut omnes incredulos angi conuenit. Cùm igitur Celſ. V. obtemperare (diutius me in latebris & Pathmo mea continendo) nolim: Celſ. V. coram Deo excuſata eſt, ſi capiar aut interficiar: coram hominibus verò, Illuſtriſsima Celſ. V. ita ſe gerat, vt ſummo magiſtratui, ſicut Electorem decet, obedientiam præſtet: & Cæſaream Maieſtatem, in ſuis ciuitatibus & regionibus, quod ad corpora & bona ſuorum ſubditorũ attinet, iuxta leges Imperij gubernare ſinat, nec impediat aut opponat ſe, nec ſe opponere poteſtati cupiat, etiam ſi me comprehendere aut interficere velit. Nam poteſtatem à Deo ordinatam nemo infringere aut ei reſiſtere debet, præter ſolum Deum, qui eam inſtituit. Alioquin ſeditio eſt & Dei voluntati repugnat.

Spero autem ea prudentia & circumſpectione eos vſuros eſſe vt Illuſtriſſimam Celſ. V. agnoſcant ſublimiore loco natam eſſe, quàm vt Celſ. V. ipſa carnificis officium aduerſus me ſubire debeat. Si Celſ. V. Illuſtriſſ. portas relinquit apertas, & ſecuritatẽ itinerum liberam præſtat, ſi ipſi aut eorum legati ad me comprehendendum & abducendum venient: tum abundè Celſ. V. obedientiæ ſummo Magiſtratui debitæ ſatisfecit. Nihil certè amplius poſſunt à Celſ. V. exigere, quàm vt ſciant ſe Lutherum in Celſ. V. ditione inuenturos eſſe. Id ſine vlla Celſ. V. ſolicitudine, labore ac periculo fieri debet.

Chriſtus enim me non docuit, cum alterius damno Chriſtianiſmum profiteri. Quòd ſi adeo impudentes erunt vt Celſ. V. ſua manu me comprehendere iubeant: dicam eo tempore quid faciendum ſit. Ego Celſ. V. animam, corpus & fortunas, omnis damni & periculi expertem, in hac mea cauſa ſeruabo, ſiue id credat Celſ. V. ſiue non credat.

His Celſ. V. Dei gratiæ commendo. de cæteris, ſi opus erit, breui dicemus. Nam haſce literas feſtinanter ſcripſi, ne Celſ. V. audito reditu meo perturbetur. Omnibus enim conſolationem, non periculum, adferre debeo, ſi verus Chriſtianus eſſe volo.

Longè alius & potentior princeps eſt, quàm Dux N. cum quo mihi negotium eſt. Is me & ego ipſum mediocriter noui. Si crederet Illuſtriſsima Celſ. V. tum magnalia & gloriam Dei videret. Cùm autem nondum credat Celſ. V. nihil etiam eorum vidit. Deo Gratia & laus in æternum. Amen. Datum Bornæ, Die cinerum, Anno 1522.

SELECTAE

SELECTAE SENTENTIAE VERBI DIVINI, QVIBVS SE MARtinus Lutherus tempore Conuentus Augustani in summis tentationibus & periculis, quæ confitentibus veram Euangelij doctrinam eo tempore imminebant, consolatus est: Editæ exempli causa, vt alij etiam, in similibus periculis, leuationem dolorum & consolationem salutarem inde queant haurire.

CVM propter confessionem verbi Diuini, ærumnæ, mœrores & persecutiones, in nos incumbunt, sicut Euangelion, quod est verbum crucis, hos comites perpetuò adiunctos habet: semper in conspectu sint sequentes rationes & loci consolationum, quæ per Dei gratiam moerorem nostrum minuere, & nos mouere debent, vt placido, forti, & bono animo simus, & causam totam benignæ & paternæ voluntati DEI commendemus, & in ea adquiescamus. Sic enim ait S. Paulus 2. Timoth. 3. Omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu persecutionem patientur. & Actor. 14. Per multas tribulationes oportet nos ingredi in Regnum DEI. Et Philip. 2. Cum timore & tremore salutem vestram operemini, &c.

Primùm enim causa hæc in eius manu posita est qui adeo clarè dicere audet, Nemo rapiet eam ex manibus meis Iohan. 10. Item, Matth. 16. Portę inferorum non præualebunt aduersus eam. Et Esa. 47. Vsq; ad senectam ego ipse, & vsq; ad canos ego portabo. EGO faciam, Ego feram, Ego portabo & saluabo. Nec verò vtile aut optandum esset causam in nostra manu positam esse. Nos enim leui occasione eam perdituri essemus.

Deinde, certum est has & similes sententias viuæ & efficacis consolationis plenissimas, omnes veras & certas esse, nec vllo modo mentiri. Psal. 46. Deus nostrum refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos valde. Syr. 2. Quis vnquam confusus est, qui in Domino sperauit? 1. Macc 2. Omnes qui sperant in eum, non infirmantur. Item, Non derelinquis Domine qui quærunt te. Præterea certò verũ est, quòd DEVS vnicum Filium suum pro nobis omnibus in mortem dederit. Rom. 8. Si hoc verũ est, cur adeò dolenter trepidamus, angimur, & mœremus? Si DEVS vnigenitum Filium suum pro nobis omnibus in mortem tradidit, quomodo superare ϛοϛγϰμ paternam posset, vt nos in leuioribus miserijs desereret?

Certum etiam est, DEVM multò fortiorem ac potentiorem esse Diabolo. 1. Iohan. 4. Maior est qui in nobis est, quàm qui est in mundo. Quòd si nos succubuerimus, necesse erit Christum ipsum, Regem mundi omnipotentem, vnà no-

vnà nobiscum pati. Et vt maximè hæc causa succumberet, tamen libentius cum CHRISTO opprimi deberemus, quàm cum summa huius seculi potentia incolumes stare. Nec nobis solis hæc causa incumbit, sed plurimi sunt in multis gentibus homines pij, qui intimis cordium gemitibus & ardentissimis precibus nobis assistunt & opitulantur.

Plurimas etiam ampliſsimas, & plenas efficacis consolationis promissiones Dei, in Psalmis, Euangelijs, & in tota Scriptura propositas habemus, quæ nullo modo à nobis contemni, sed diligentissimè cognosci, expendi, & maximi fieri debent. Psal. 55. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto. Psalm. 27. Expecta Dominum, viriliter age & confortetur cor tuum, & expecta Dominum. Et CHRISTVS ipse inquit, Iohan. 16. Confidite, EGO vici mundum.

Profectò falsum non est, id certissimè scio, quòd Filius DEI vicerit mundum. Cur igitur mundum velut victorem reformidamus? Eiusmodi certè vel vnum dictum, genibus adrepentes, vsq; è Roma vel Hierosolymis petere deberemus. Sed nimia copia vilescunt & leuiùs, quàm par est, nos afficiunt.

Etsi autem fides nostra imbecilla est, tamen eò ardentiùs cum Apostolis precemur. Luc. 17. Domine adauge nobis fidem. Et cum adolescentis patre, Marci 9. Credo Domine, sed opem fer diffidentiæ meæ.

Præterea hæc causa sub Romanis Imperatoribus, Maximiano, Diocletiano, ac quibusdam alijs Tyrannis, qui Christianos crudelissimè persequuti, & prorsus extirpare conati sunt, ac tempore Iohannis Huss, atq; aliorum quorundam, multò maior & periculosior fuit, quàm nostris temporibus.

Etsi hæc causa magna est, tamen qui eam cœpit, gubernat, & promouet, multò maior, imò omnipotens conditor cœli ac terræ existit. Certè enim non nostra causa est. Cur igitur propter eam nos sine intermissione cruciare, & tandem mortem nobis ipsi attrahere volumus?

Si causa & doctrina hæc falsa est, cur eam non reuocamus? si vera est, vt est verissima, quàm certò DEVS est & in æternum manebit; cur mendacij arguimus DEVM in suis multiplicibus, consolationū pleniſsimis, immotis & æternis promissionibus? Iubet nos in ipso lætari & exultare. Psal. 32. Lætamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Psal. 145. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate: voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Psal. 91. Quoniam desiderat me, liberabo eum, protegã eum, quoniam cognouit nomen meum: clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

Quòd si etiam vehementer solliciti & anxij simus, quid aliud inanibus curis nostris proficimus, nisi vt nos ipsos adfligamus & excruciemus, & omnia deteriora reddamus? Ipse vult vt se Deum ac patrem nostrum in Christo cognoscamus, in omnibus periculis inuocemus, ac certò credamus, quòd ipse nostri curam agat, vt Petrus testimonio ex Psalmo 55. desumto scribit: Omnem

vestram

vestram curam in ipsum proijcite : Quia est sollicitus pro vobis. Et Matth. 6. CHRISTVS ipse inquit: Ne sitis solliciti.

Nec quidquam Satan & ipsius organa nocere nobis amplius possunt, quàm vt corpus occidant: animam ne quidē attingere possunt, vt CHRISTVS ipse loquitur, & suos consolatur Matth. 10. Ne metuatis vobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

Christus Dominus ac Saluator noster semel pro peccato mortuus est, vt Rom. 4. 6. Ebræ. 5. & 9. scribitur: deinceps pro veritate ac iusticia non amplius morietur: Sed viuit ac regnat Omnipotens Dominus omnium Creaturarum. Si hoc verum est, vt Scriptura constanter testatur, Quid ergo timemus?

Nam vt maximè propter confessionē verbi diuini nobis occumbendum esset, DEO sic gubernante, tamen omnipotens & misericors DEVS, qui noster est Pater, propter CHRISTVM, etiam coniugum ac liberorum, viduarum ac pupillorum nostrorum clementissimus pater & beneficus Oeconomus, defensor & protector futurus esset, & omnia millies rectiùs, quàm nobis viuentibus, expediret.

Nostri proaui & maiores hunc summum & pretiosissimum Thesaurum, videlicet rectum & purum VERBI diuini intellectum, nunquam sunt assecuti, quemadmodum nos DEI gratia opulentè habemus, quibus hoc beato & felici tempore viuere concessum est, quo paulò ante nouissimum diem, incorrupta vox verbi cœlestis gratuita DEI misericordia ac paterna bonitate nobis cōtigit. Idem DEVS, nobis mortuis, DEVS & creator manebit, vt semper fuit, & colliget ac seruabit sibi cœtum aliquem vsq; ad mundi finem, nec nobiscum morietur aut desinet, vt nos imbecilla fide præditi opinamur.

Ita Sacerdoti ELI videbatur tota Ecclesia & Politia Iudaica, cum Sacerdotio ac regno suo penitus interitura, cùm Philistæi arcam Domini ipsis eripuissent. Ipso verò ex sella trisli lapsu deiecto & mortuo, 1. Reg. 4. florentior erat totius Iudaici regni status, quàm antea fuerat.

Ita cùm REX SAVL seipsum confoderet, cùm exercitus eius prostratus esset, & tres ipsius filij in eadem pugna occubuissent. 1. Reg. 31. quid aliud cogitari potuit, quàm Regnum Iudęorum prorsus concidisse? Sed paulò pòst, tempore DAVIDIS ac Salomonis ad summum potentiæ & gloriæ gradum pervenit.

Cùm Papistæ Iohannem Hus in Concilio Constantiensi Anno Christi 1416. combussissent, planè triumphabant, certò persuasi, se Papatum hac ratione primùm in summam dignitatem extulisse. Sed nunquam Papa tam fuit ab omnibus extremè spretus quàm post illud tempus.

Deinde per Verbum DEI certissimè confirmati & non dubij sumus, post hanc fluxam atq; miseram vitam, de qua retinenda, ne quidem ad momentum oculi certi esse possumus, æternam ac beatam vitam & regnum subsecuturum esse. Alioquin primum pręceptum ac totum Euangelion & Sacra scriptura funditus abolenda esset. Quid enim opus nobis esset DEO propter hanc tantùm caducam & mortalem vitam, in qua omnium optima conditio est eorum, qui nullum

nullum habent vel agnoscunt DEVM? Si verò est DEVS, vt omnium fidelium corda firmissimè ac indubitanter credunt, & in hac fide viuunt & moriuntur: non tamen hîc exiguo temporis spacio, sed eo loco, vbi ipse est, perpetuò viuemus.

Certè primum præceptum nostros liberos & posteros, ceu sub tutelam ac protectionem DEI collocat, vbi DEVS ipse inquit, Misericordiam facio in multa millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

His summis & consolationum plenissimis promissionibus diuinæ Maiestatis meritò credimus: & quamquam imbecilla & languida fides est, tamen tribuimus DEO hunc honorem, quòd, quæ dicit ac promittit, etiam possit ac velit præstare.

Si hæc omnia DEVS per angelum nobis nunciari sineret: tum fortè non ita facilè velut inani sonitu nostras aures perfluerent, sicut nunc accidere videmus, cùm per verbum nobis proponuntur. Sed si verbo vocali non vellemus credere, certè Prophetas, Apostolos & Christum ipsum nequaquam asperari deberemus, qui omnes ita opulentè nobis concionantur & consolationibus dulcissimis nos blandissimè admonent & inuitant, & ferè obruunt: cùm toties has sententias repetunt: Gaudete in Domino, confidite, & confortetur cor vestrum. Nolite timere, sperate in Domino, expromite cor vestrum in conspectu illius. Gratias agite DEO. Confidite. Ego vici mundum. Propè est Dominus, ne sitis solliciti. Quòd si his multiplicibus diuinis consolationibus non credimus, tum profectò non crederemus, etiamsi non vnus sed multi Angeli venientes nobis ista annunciarent.

Certum etiam est, Etiamsi aduersarij nos omnes trucidarent DEO permittente, tamen non inultum fore.

Ille ipse enim breui eos esset alloquuturus, qui ad Cain dixit: Vbi est frater tuus Abel? & profugos, ac mundum ipsis nimis angustum facturus esset. Placidè igitur ac læto animo, in hac causa ad nominis & verbi diuini professionem pertinente simus. Nam CHRISTVS, cuius est propria, aduersus Diaboli astutias, & fallacis ac peruersi mundi Tyrannidem, eam optimè defendet atq; conseruabit, & hos, qui eum coram adultera hac generatione confitentur, ideoq; persecutionem patiuntur, vicissim confitebitur coram patre suo cœlesti, & perpetua gloria ipsorum crucem compensabit. DEVS ipse ait 1. Reg. 2. Glorificantes me glorificabo. Licet igitur maris fluctus immensi sint, & horrendùm sonent, ac iam nos mersuri videantur: nihilominus tamen DEVS, qui in altis habitat, & regnum suum per totum orbem terrarum constituit, vt sit perpetuum, multò maior, imò omnipotens est. Is felices successus & exitum ac finem optatum largietur. Amen.

Quapropter nulla alia ratione fieri potest. Si CHRISTVM habere & perpetuò cum ipso viuere & regnare volumus, priùs nos hîc vnà cum eo pati oportet.

Quod cùm ita sit, cur mortuorum Idolorum minas ac furores pertimescimus? de quibus Psal. 2. scribitur: DEVM in cœlis irridere eos. Cùm igitur

æternus & omnipotens Cæsar, qui DEVS vocatur, ipsos rideat, ac eis illudat, cur nos ipsos timeremus, & mœrore ac luctu conficeremur? DEVS certè non suo nomine ipsos ridet, cui in cœlis habitanti, nihil eorum ira ac furor nocere potest, Sed propter nos, vt & nos concepto animo viriliac pectore magnanimo, omnia ipsorum consilia, molitiones, & conatus rideamus. Quare hoc solùm nobis in hac causa necessarium est, vt credamus & firma fiducia in nomine CHRISTI petamus, vt DEVS, qui regnum suum constituit, opus manuum suarum confirmet & seruet. Ipse sine omni nostra opera, consilio, cogitationibus, causam hanc cœpit, & hucusq; rexit, promouit, & conseruauit: Eundem planè non dubito sine nostro consilio & auxilio, hanc ipsam causam ad exitum salutarem & optatum esse deducturum. Scio enim (inquit Paulus) in quem credam, certus etiam sum, eum plus posse dare, excellentius facere, consulere & opem ferre, quàm nos petimus & intelligimus. Nomẽ illius est DOMINVS, qui miraculosè, omnipotenter, & gloriosè potest, & vult opitulari, & quidem tum, quando summa est necessitas. Nos homines sumus, non DEVS, verbo ipsius nos consolemur, & promissionibus ipsius nitentes confidenter in die tribulationis eum inuocemus: Tunc certò nos exaudire & eripere vult. Hæc summa est. Nec aliter ista regi aut mutari possunt, aut perpetuis curis nos conficiemus, & perpetua anxietas merces nostra futura est. Quod prohibeat æternus DEVS, propter dilectum filium suum, Saluatorem & æternum Sacerdotem nostrum IESVM CHRISTVM. Amen.

His consolationibus & consilijs cùm animos suorum Lutherus confirmasset, & ardenti precatione causam totam publicè & priuatim Deo assiduè commendaret: Deliberationes de Confessione seu summa Doctrinæ in ditionibus Electoris Saxonię & coniunctorum Principum sonantis, breui scripto complectenda, quod Imp. Carolo, qui partium dissidentium opiniones & sententias se auditurum esse significauerat, in Comitijs exhiberi posset: & de ijs, quæ concedi Aduersarijs publicæ pacis causa piè deberent: institutæ sunt.

Composuit igitur Lutherus, antequàm iter Augustanum ingrederetur, Articulos XVII. quibus Christianæ fidei & Doctrinæ publicè in Ecclesijs populo proponendæ, & præcipuè ad animarum salutem & veram pietatem vtilis ac necessariæ summam, omissis disputationibus Scholasticis, & populo erudiendo non necessarijs &c. complexus erat. Iusserant & cæteri Principes ac ciuitates, Lutheri doctrinam amplexi, singuli suos Theologos summam Doctrinæ in Ecclesijs suarum regionum sonantis, scripto comprehendere. Quæ omnia, & in his aliqua, prolixitate etiam molesta perlegere

perlegere Augustæ D. Philippus & censere coactus est: Quod in vita ipsius Camerarius recenset. Sed hos septendecim Articulos à Luthero delineatos præcipuè Philippo in scribenda Confessione propositos fuisse testantur eadem verba & phrases in aliquot articulis retentæ, & ordo ac series articulorum ferè similis, & Epistola Iohannis Electoris ad Lutherum data, quam suo loco in texam.

Vt igitur hic Archetypus Confessionis Augustanæ, qua velut communi Symbolo nostræ Ecclesiæ hactenus vtuntur, in conspectu sit: XVII. illos Lutheri Articulos subiungam.

CONFESSIO DOCTRINAE ET FIDEI CHRISTIANAE, PER D. Martinum Lutherum septendecim Articulis comprehensa.

I.

QVOD constanter & magno consensu apud nos doceatur, Vnicum solum esse verum Deum, creatorem cœli & terræ: ita vt in hac vna vera diuina essentiâ tres sint distinctæ personæ, videlicet Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus: &, Quòd Filius à Patre natus ab æterno, sit verè & natura Deus cum Patre. &, Quòd Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedens, ab æterno sit verè & natura Deus cum Patre & Filio: sicut hæc omnia per Scripturam clarissimè & firmissimè demonstrari possunt. Ioh. 1. In principio erat Verbũ, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat illud Verbũ. Omnia per ipsum facta sunt. Matt. 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S. & plura similia dicta in Euang. Ioh.

II.

Quòd solus Filius DEI verus homo factus sit, conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine, perfectus homo, corpore atq; anima constans: Et non Pater vel Spiritus sanctus homo factus sit, vt hæretici Patripassiani finxerunt. Et quòd Filius non tantùm corpus absq; anima assumserit, vt Apollinarius errauit: Nam Christus ipse in Euangelio sæpe meminit animæ suæ, cùm inquit, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Quòd autem DEVS Filius, homo factus sit, Ioan. 1. clarè his verbis scriptum est: Verbum caro factum est, & Galat. 4 Vbi venit plenitudo temporis, misit DEVS filium suum, natum ex muliere.

III.

Quòd Filius DEI, verus DEVS & homo, Iesus Christus sit vna indissolubilis persona, pro nobis hominibus passus, crucifixus, mortuus, sepultus, tertia die ex morte resurrexerit, ascenderit in

cœlum, & sedeat ad dexteram DEI, Dominus omnium Creaturarum: ita ut nemo credere vel docere possit aut debeat, quòd Iesus CHRISTVS tanquam homo, aut humana eius natura tantùm pro nobis passa sit, sed cùm DEVS & homo non duę sed vna inseparabilis persona sint, credendum est, quòd DEVS & homo, vel DEI filius verè pro nobis passus sit, vt Paulus Roman. 4. inquit, DEVS proprio filio suo nõ pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. 1. Cor. 2. Si cognouissent dominum gloriæ, non crucifixissent, & similia dicta plura.

IIII.

Quòd peccatum Originis verè peccatum sit, & non solùm imbecillitas uel defectus, sed tale peccatum, quod omnes homines ab Adam propagatos condemnat, & à DEO in perpetuum separat, nisi CHRISTVS pro nobis intercedens hoc peccatum cum cæteris inde profluentibus in se deriuatum passione sua expiasset, & penitus sublatum in seipso deleuisset, vt Psal. 51. & Rom. 5. de hoc peccato clarè scribitur.

V.

Cùm igitur omnes homines peccatores sint, peccato, morti ac Diabolo obnoxij: impossibile est hominem suis viribus aut bonis operibus se inde liberare, & coram DEO iustificari: Imò ne quidem se præparare aut applicare potest, sed quò plura suscipit, vt se inde liberet, eò peiùs sibi consulit.

Vnicum verò medium est consequendæ Iusticiæ ac liberationis à peccato & morte, sine omni merito ac opere nostro, CREDERE in Filium DEI pro nobis passum, &c. Hæc fides est nostra Iusticia. Nam DEVS iustos, sanctos & innocentes reputat atq; censet, & remissione peccatorum, ac vita æterna donat omnes illos, qui hanc FIDEM in FILIVM ipsius habent, quòd propter Filium in gratiam recipiantur ac filij DEI fiant, sicut hæc omnia S. Paulus & Iohannes in suis scriptis opulentè docent. Roman. 10. Corde creditur ad Iusticiam. Iohan. 3. Vt omnis, qui credit in Filium, non pereat, sed habeat vitam æternam.

VI.

Quòd hæc fides non sit humanum opus, nec proprijs viribus eam

bus eam consequi quispiam possit. Sed DEI opus, & donum est, quod Spiritus Sanctus per Christum donatus, in nobis operatur. Et hæc Fides, cùm non inanis & falsa persuasio cordis sit, vt hypocritæ habent: sed efficax ac viua res: multos fructus & opera bona profert erga Deum laudando, gratias agendo, inuocando, docendo, prædicando: proximum diligendo, iuuando consilio, opera, Eleëmosynis, mutuationibus: & aduersa patienter tolerando vsq; ad mortem &c.

VII.

Vt hanc fidem consequamur, institutum est à DEO ministerium docendi Euangelij. Nam per Euangelium DEVS hanc fidem, eiusq; efficaciam, fructus, & commoda nobis annunciari finit: Et per Euangelion, tanq̃ per medium seu instrumentum efficit fidem suo Spiritu Sancto, vbi & quando ipsi visum est. Alioquin nullum aliud est medium, modus ac via fidem consequendi. Nam cogitationes omnes extra vel ante verbum prędicatum, quantumuis sanctæ ac bonæ videantur, mera mendacia & errores sunt.

VIII.

Huic prædicationi verbi adiunxit DEVS externa signa quæ Sacramenta nominantur, vt Baptismus & Eucharistia, per quæ etiam vnà cum verbo DEVS fidem & spiritum suum exhibet & impertit, & confirmat omnes ad se confugientes.

IX.

Quòd Baptismus primum signum siue Sacramentum in duabus rebus consistat, nempe Aqua & verbo DEI, seu vt aqua baptizentur homines, & verbũ DEI vnà pronuncietur. Nec tum est vulgaris aqua in baptismo (sicut Baptismi blasphematores iam docẽt) sed cùm verbum DEI aquæ adiunctum sit, & baptismus in verbo DEI fundetur, sancta, viuifica & efficax ablutio est, ac, vt Paul. ad Tit. 3. & Eph. 5. scribit, Lauacrum regenerationis ac renouationis Spiritus sancti. Et quòd Baptismus etiam infantibus porrigi & communicari debeat.

Verbum Dei autem, quo fundatur Baptismus, Matt. 28. extat: Euntes baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Item, Marc. 16. Quisquis crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

X.

Quòd in Euchariſtia ſeu Sacramento altaris verè præſens ſit in pane ac vino verum corpus & ſanguis Chriſti, ſecundum verba, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Nec tantùm ſit panis & vinum, vt nunc aduerſarij quidam contendunt. Flagitant etiam hæc verba & conferunt fidem, & exuſcitant eam in omnibus, qui hoc Sacramentum ſeriò petunt, nec contra illud agunt, ſicut & Baptiſmus cùm petitur, fidem adfert & largitur.

XI.

Quòd Confeſſio priuata non ſit legibus extorquenda, ſicut nec Baptiſmus, Cœna & Euangelion vi extorqueri debent, ſed ſit libera, ita tamen vt ſciamus, quàm ſit ſalutaris & neceſſaria afflictis conſcientijs propter Abſolutionem, h.e. Verbum & iudicium DEI, quod in ea pronunciatur, quo Conſcientia à peccatis liberatur, & pacata ac tranquilla efficitur. Quòd etiam non neceſſarium ſit, omnia peccata enumerare, ſed illa tantùm indicari poſſunt, quibus Cor maximè angitur & mordetur.

XII.

Quòd vna ſancta Catholica Eccleſia in terris ſit & maneat, vſq; ad finem mundi: ſicut CHRISTVS inquit Matt. 28. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem mundi. Eſt autem hæc Eccleſia nihil aliud quàm credentes in Chriſtum, qui prædictos articulos vera fide ſeruant & profitentur, & propterea in mundo perſecutionem & martyrium patiuntur. Nam vbi Euãgelion purè docetur & Sacramenta legitimè adminiſtrantur, ibi certè eſt vera Eccleſia. Et nequaquam certis legibus & externa pompa, certo loco ac tempori, perſonis vel geſtibus alligata eſt.

XIII.

Quòd Dominus Ieſus Chriſtus, in nouiſſimo die venturus ſit ad iudicandum viuos atq; mortuos, vt credentes ab omni malo liberatos vita æterna donet: Incredulos verò atq; impios pœnis afficiat, & cum Diabolis in inferno æternis cruciatibus puniat.

XIIII.

Quòd interea, donec Dominus ad iudicium veniat, & omnem

potestatem ac dominationem abroget: magistratus politicus honore affici, & obedientia ipsi præstari debeat, velut status à DEO ipso ordinatus ad defendendos bonos & coërcendos malos. Quòd in tali statu, Christianus legitimè vocatus, absq; periculo & iactura fidei ac salutis animæ, benè viuere & seruire possit.

XV.

Ex his omnibus sequitur, doctrinam, qua sacerdotibus & Ecclesiasticis coniugium & vsus carnium ac ciborum prohibetur, & totam vitam ac vota monastica (cùm per ea DEI gratia ac salus animæ quæratur, nec libera permittatur) impiam & Diabolicam doctrinam esse, vt Paul. 1. Timoth. 4. eam nominat, cùm solus Christus vnica via sit ad gratiam & animarum salutem.

XVI.

Quòd præ omnibus cæteris abominationibus, missa, quæ hactenus sacrificium & bonum opus iudicata fuit, quo alteri gratia DEI & salus impetretur, abroganda sit: Et loco illius, diuina ordinatio distribuendi Sacramentum corporis & sanguinis Christi, sub vtraq; specie, cuilibet ad propriæ fidei suæ confirmationem & propriam consolationem cuiq; necessariam, celebretur.

XVII.

Quòd Ceremoniæ Ecclesiasticæ pugnantes cum verbo DEI abolendæ sint: cęteræ autē liberæ permittantur, vt ijs vel vtamur vel non vtamur secundum normam dilectionis, ne leuiter absq; graui causa scandalum alijs præbeatur & communis pax sine necessitate turbetur.

HOS Articulos Philippus postea Augustæ retexuit & in commodiorem formam, certo consilio, redegit: quod infra suo loco exponent literæ Iohannis Electoris Saxoniæ, qui, adiunctis comitatui suo, Principibus, Iohanne Friderico, filio, Francisco Duce Luneburgensi, VVolfgango Anhaldino: & Theologis, Luthero, Iona, Philippo, Spalatino & Islebio: Torga mouens Calendis Aprilis iter Augustanum suscepit, & Paschatis festo, 17. April. Coburgæ celebrato, & 25. April. relicto in arce Luthero inde discedens, postri-

die Calendas Maij, Augustam præter multorum opinionem & expectationem venit, & primus omnium Principum vrbem ingressus est, vbi à multis pijs rogatus, Theologos suos in templo Prædicatorum & S. Catharinæ publicè docere iusit. Quorum conciones, cùm à Pontificijs, Cæsarea autoritate impeditum iri, prudentes non obscurè ratiocinarentur, variæ deliberationes à nostris, de concionibus, etiam prohibente Cæsare, non intermittendis, agitatæ sunt. Quarum summas postea vno scripto neruosè & luculentè comprehensas Cæsareæ Maiestati Augustam ingressæ Principes 17. Iunij exhibuerũt. Quod, ne sæpius eadem inculcentur, infrà suo loco integrum intexam.

Vt autem articulos confessionis, ita proœmium etiam confessioni præponendum, quod Coburgæ Philippus composuerat, Augustæ retexuit, & ῥητορικώτερον fecit, sicut ipse ad Lutherum quarto postquam Augustam venerat die, scribit in Epistola, cuius exemplum subiunxi.

D. MARTINO LVTHERO PHILIPPVS MELANTHON.

CVM hodie ad te scripturi essemus per Ionæ tabellarium, ecce præter opinionem nostram, sed tamen optatissimè nobis afferuntur literæ tuæ. Gratissimum est nobis officium tuum, teq; rogamus, vt de omnibus rebus tuis, quàm sæpissimè ad nos scribas. Ex Norico ad te dedimus literas, de quibus etiam huic nuncio mandata dedi, vt, si nondum transmissæ essent, tradi postularet. Augustæ certiora cognouimus: Heri enim redijt Comitis Alberti puer, qui missus erat ad exploranda Cæsaris itinera. Is affert, Cæsarem Tridento mouisse, & si non fallit nos ratio, iam peruenit ad Inspruck.

Comes Henricus Nassaënsis scripsit literas plenas humanitatis & officij ad nostrum Principẽ, hortantes vt maturè veniat ad conuentum. Quanquam varient vulgi sermones: tamẽ adhuc benè speramus de voluntate Cæsaris. Res tamen est, vt scis, ἐμ γούνασι θεοῦ. Orabis igitur, quod scio te facere.

Præter nostrum nullus alius Princeps adest: Dux Georgius dicitur affuturus intra triduum, adducens secum Cochlæum, qui paucis literis mutatis fiet auis κολοιός, de quo genere nobis scripsisti, quàm suauiter in tua vicinia rhetoricentur. Et vt intelligas neutiquam vanum esse, Eckius, qui geminatus reddit vocem monedularum, Ekekekel, magnum aceruum conclusionum congessit.

congesſit. Poſtulat à Principibus, vt inſtituatur diſputatio contra Lutheranos. Habet ſubſcripto rem veterem meum amicum Billicanum. Is verò horribiliter minatur nobis. Sunt alij multi, quos piget recenſere, verè κολοιοὶ, καὶ κόρακες κοράκων, καὶ ὅταν μεθύσωσι γένωνται.

Heſsi Cancellarius Ficulnus ille heri venit, & affirmauit ſuum Principem in itinere eſſe. Venit vnà Sneppius, vir optimus, tuique amantiſsimus: qui nobis aliquam ſpem oſtendit, Principem ſuum poſſe in officio contineri, quanquam non diſsimulet magnum eſſe periculum. Narrat quantam dimicationem ſus tineat cum illo περὶ δείπνου κυριακοῦ. Ait eum vrgeri mirificè aſsiduis Heluetiorũ literis, & N. Sturni ſingulis penè menſibus ad eum recurrere, vt τῷ σπεύδοντι ſtimulos ſubdat. Hæc me valdè excruciant. Fortaſſe prodeſt te ad ipſum, aut certè ad noſtrum Principem iuniorem, literas mittere, ad confirmandum animum τοῦ μακέλλου in ſacra doctrina. Videtur ſæpe leuibus momentis impelli.

Ego exordium noſtræ confeſsionis feci aliquantò ῥητορικώτερον, quàm Coburgæ ſcripſeram. Breui autem ipſe afferam, aut ſi id non permittet Princeps, mittam.

Penè oblitus eram recenſere in monedulis, Caietanum tuum. Hunc enim aiunt adducere Cæſarẽ. Noribergæ de Campegio audieram, Sed hîc affirmant Caietanum eſſe. Ego ſanè Campegium malim, vt virum peritum rerum ciuilium. Alter eſt homo ineptus, & inciuilis: quo genere hominum nihil eſt intractabilius. Doctor Caſpar mittit literas & remedium. Chriſtus ſeruet te. Literas tuæ coniugis remitto tibi. Caſparis epiſtolam retinui, de quo, ſi Deus dederit nobis pacatum reditum, videbimus vt habeat locupletiorem. Si iſtic eſſem, non grauarer te iuuare. Vale feliciter. Iouis poſt Inuent. crucis. 5. Maij.

Quòd autem mentio ſit in his literis epiſtolæ ex Norico ad Lutherum datæ: ea omnium prima eſt in volumine epiſtolarum Philippi VVitebergæ editarum, cuius prima verba ſunt: Noribergę non plus vna die ſubſtitimus. &c.

De aduentu Ducis Georgij & Heſſi, quorum meminit proxima Philippi epiſtola, breuiter indico Philippum Heſſiæ Landgrauium, 12. Maij. eodemq; die, Georgij etiam Saxoniæ Ducis filiũ Fridericum, Auguſtam peruenisſe: nam Pater Georgius Dux Sax. Monachium ad Ducem Bauariæ deflexerat, cum quo Oenipontem ad Cæſarem profectus eſt. Elector Ioachimus 1. cum filio, die 13. Maij: Erneſtus Luneburgenſis, die 14. Albertus Archiepiſcopus Moguntinus, die 18. Georgius Ansbacenſis, die 24. Maij: Albertus Dux Megapolitanus, 15. Iunij, Auguſtam appulerunt.

Quod in eadem Epiſtola de κολοιοῖς & monedulis, in vicinia Lutheri

Lutheri suauiter rhetoricantibus, scribitur: id, etsi hominibus Imperitis leuius fortasse & iocosius videbitur; tamen, cùm sapienti & venustissima imagine, multorum comitiorum expressam effigiem adumbret: vt hanc quoque partem epistolæ Philippi curiosus lector planiùs intelligat, Lutheri literas ijsdem diebus ad Spalatinum & Ionam scriptas, cùm ab alijs antea publicè editæ extent, integras adiungam.

D. MARTINVS LVTHERVS M. GEORGIO SPALATINO.

NON soli estis vos, mi Spalatine, qui ad Comitia proficiscimini. Nam & nos statim, vt à vobis discessimus, ad Comitia peruenimus, & sic vos longè anteuertimus: Et planè non impedita, sed mutata est nobis profectio ad Comitia. Vos itis sanè ad Augustam, incerti quando visuri auspicia vestra. Hîc videas magnanimos Reges, duces, proceresq; alios, magnis regni de rebus seriò consulentes, & infatigabili voce decreta, & dogmata sua per aërem iactantes. Deniq; non in aulicis istis antris & speluncis, quæ vos palatia dicitis, haud magna tamen cum re versantur, siue clauduntur potiùs, verùm sub dio, vt quibus ipsum cœlum sit laquear, & virentes arbores liberrimum variumq; pauimentum. porrò parietes ijdem, qui & fines terræ.

Iam illum luxum stultum auri & serici abhorrent etiam, sed vnius moris, vnius coloris, vnius habitus & oris, omnes sunt, incredibili similitudine, & æqualitate vestiti, omnes pariter nigerrimi, omnes cæruleis oculis, omnes eadem Musica vnisoni, iocundo tamẽ vocum discrimine senum & iuniorum. Cæsarem eorum nondum vidi, nec audiui. Video eos etiam planè equitatum istum quadrupedum contemnere: meliorem habent, quo & bombardarum iras etiam euadere queant.

Quantum ex interprete decretorum intelligere potui, concorditer statuunt bellum inferre per hunc totum annum hordeo tàm crudo, quàm macerato: Deinde tritico & siligini, & quò quęq; fruges fient optimę, & periculum est ne potiantur victoria in multis. Est enim genus bellatorum versutum & doloſum, arte furandi & rapiendi mirabiliter instructum.

Horum comitiorum nos hîc sedemus otiosi spectatores cum magna voluptate. Nam præter hoc, quòd color iste communis, & pulcher Æthiopicus nos mirabiliter reficit, videntes tam magnificè vestitos istos heroas, tum vox omnium vna, pulchris interstincta modulis, supra modum nos delectat. Deinde & expectatio virtutum & victoriarum, quas diuinamus eos edituros esse in

triticum

triticum & hordeum, & si qua sunt similia, reddit nobis hos patres patriæ & seruatores Reipub. longè gratissimos amabilissimosq;, vt, si votis quicquam profici possit, optemus eos fœdo isto nomine monedularum, vel furacitatis potiùs opprobrio liberos, virtutis suæ dignis vocabulis celebratum iri, hoc est, vt aut veruti, aut hastati (passiuè tamen) essent in vnum omnes.

Quanquam si æquum interpretem inuenirent, satis laudum & gloriæ habeant, ex ipso nomine Monedulæ, quasi Man edel, seu inuersis verbis Edelman. Nisi quòd hîc incipit iniuria vestrorũ Comitiorum, vbi vestri Edelmanni virtute Monedulana nimis excellunt, tamen nostri Monedulitæ in suis Comitijs in vno prædominantur, quòd forum habent vilius & tolerabilius, quàm vestri habebunt Augustæ. Hæc satis pro ioco, sed serio & necessario ioco, qui mihi irruentes cogitationes repelleret, si tamen expellet. Ex volucrum Monedularum regno, 30. April.

IVSTO IONAE.

GRATIAM & pacem in Christo. Sedemus tandem hîc inter nubila, vereq; in volucrum regno, suauissime Iona. Nam vt cæteras aues taceam, quarũ est tanta confusio cantuum, vt tempestatem superent: ipsæq; Monedulæ, seu corui, rectà in prospectu nostro nemus quoddam occupãt totum. Ich meine/ da sey ein Gekecke/ ab hora 4. manè, toto die infatigabiliter incessanterq;, fortè & per totam noctem, vt maiorem vim auium vix vspiam credam congregari. Nulla est inter eas, quæ vno momento taceat, quin singulas cogaris audire coaxantes, vbi seniores cum iunioribus, matres cum filiabus, laudant nomen monedularum. Ad somnum conciliandum fortasse nobis sic suauiter cantillant, id quod hac nocte, volente Deo, experiemur. Nobilissimum genus auium, & Reip. vt nosti, inprimis necessarium & vtile. Ego interpretor eos esse totum exercitum Sophistarum & Cocleitarum, ex toto orbe coram me congregatorum, vt eorum sapientiam & suauicinium illud meliùs cognoscam, atq; eorum vsum & officium in Repub. tam carnis quàm Spiritus cum voluptate spectem. Hactenus nullam Philomelam quisquam audit, cùm præcentor seu succentor eius cuculus glorietur in gloria vocis suæ magnifica, sicut decet Antagonistam victoriosum Philomelæ, similiter & aliæ concentrices eius, merulæ, currucæ, & alaudæ strenuè dominum prædicent. Monstri hoc simile est. Vides me nihil habere, quod scribam. Ideo ne nihil scriberem, ineptire libuit potiùs, quàm tacere: præsertim sic clamantibus monedulis, cœlum terramq; sua græcitate implentibus: Turpe visum est, verbosum declamatorem ne hiscere quidem ausum esse. Dominus sit vobiscum & oremus pro inuicem: Sic opus est. Salutabis mihi M. Agricolam & Aquilam, quibus scribam nominatim quãprimum. Vale, ex volucrum regno, præsertim Monedularum, Anno 1530. 29. Aprilis.

His

His velut parergis obiter hoc loco insertis, ad narrationem institutam redeo. Scriptam enim Augustæ à Domino Philippo Confessionem, Elector Saxoniæ die 2. Maij, integro videlicet mense ante Cæsaris aduentum, Lutheri iudicio censendam & probandam: Coburgum mittit cum hac Epistola.

IOHANNES DEI GRATIA ELECTOR MARTINO LVTHERO.

SALVTEM. Reuerende & doctissime nobis dilecte & deuote. Postquàm vos & alij nostri Theologi VVittebergæ, nobis clementer mandantibus & petentibus, Articulos de Religione nostra controuersos scripto breui delineastis: non volumus vos celare, iam M. Philippum Melanthonem denuò eos hîc Augustæ reuidisse & in formam redegisse, quam vobis vnà mittimus. Et clementer petimus, vt eosdem Articulos accuratiùs reuidere & expendere non grauemini. Et siue ita, vt scripti sunt, vobis placebunt, siue addendum aliquid aut adimendum esse cogitabitis, scripto sententiam vestram annotare, & per hunc tabellarium sine mora remittere benè munitos & obsignatos velitis: vt Cæsare, quem breui expectamus, aduenient, instructi & parati simus. De alijs rebus nouis non possumus vos celare, à nostris, qui Oeniponte iam in Cæsaris Aula degunt, inter cætera ad nos scribi: Decretum esse in aula Cæsaris, vt de intermittendis in templo concionibus, quas nunc inchoauimus, sub aduentum Cæsaris, nobiscum agatur.

Etsi autem, quid in hoc casu nobis agendum sit, antea cogitauimus: tamen vestram quoque sententiam de his postulatis, quæ nobis propositum iri existimantur, cognoscere cupimus, vt conscientia nostra coram DEO rectè in hac causa agat. Id officium vestrum nobis pergratum erit. Datum Augustæ, Mercurij post Iubilate. 11. Maij.

PHILIP.

PHILIPPVS MELANTHON MARTINO LVTHERO.

MITTITVR tibi Apologia nostra, quanquam veriùs confessio est. Neq; enim vacat Cæsari audire prolixas disputationes. Ego tamen ea dixi, quæ arbitrabar maximè vel prodesse, vel docere. Hoc consilio omnes ferè articulos fidei complexus sum, quia Eckius edidit διαβολικωτάτας διαβολὰς contra nos. Aduersus has volui remedium opponere. Tu pro tuo Spiritu de toto scripto statues.

Dux N. & Marchio N. profecti sunt ad Cæsarē. Ibi habentur de nostris ceruicibus Comitia. Orabis igitur DEVM, vt dissipet consilia gentium, quæ bella volunt.

Perfertur ad te quæstio, de qua magnopere peto vt respondeas. Non dubium est, Cæsarem prohibiturum esse Cinglianas conciones. Suspicamur igitur fore, vt hoc prætextu nostræ conciones etiam prohibeantur, quia Islebius iam in publico templo concionatur. Quid igitur censes? Estne relinquendus locus publicus, Si Cæsar ostendet hoc se petere, vt sine motu Cinglianæ conciones etiam prohiberi possint? Ego respondi cedendum esse voluntati Cæsaris, in cuius vrbe iam sumus hospites. Sed noster senex difficilis est. Quid igitur tibi videatur, quæso vt scribas Germanicè in peculiari charta. Amabo hac de re velis respondere.

Cæsarem non arbitramur posse aduenire intra dies quatuordecim. Nunc enim conuentus agitur ditionum Austriacarum in Salinis. Nihil noui habemus præterea, neq; quid sperandum sit de consilijs Cæsarianis, existimare possumus in tanta opinionum varietate, sed expectamus auxilium à Christo. Vale feliciter. 10. Maij.

Cùm autem in his Philippi & proximis Lutheri literis, Apologiæ mentio fiat: monendum esse lectorem duxi, appellatione Apologiæ hoc in loco, nihil aliud, quàm ipsos articulos Confessionis Augustanæ, significari: Nec de Apologia confessionis, seu Refutatione argumentorum, quæ ab aduersarijs confessioni opposita sunt, quidquam dici. Nam defensio illa confessionis, cui nunc Apologiæ titulus tribuitur, post lectam die 3. Augusti, Papistarum confutationē, primùm scripta, & 23. Septembris Cæsari oblata, sed non recepta est. Itaq; Lutherus etiam, proximis Electoris Saxoniæ literis respondens, Apologiam nominat.

IOHAN-

IOHANNI DVCI SAXONIAE ELECTORI MARTINVS LVTHERVS.

Gratiam & pacem in Christo Domino nostro.

ILLVSTRISSIME Princeps, Domine Clementissime, Perlegi Apologiam à M. Philippo scriptam, quæ mihi eximiè placet, nec quidquam in ea corrigere aut mutare possum. Neq; etiam aliquid à me emendari conueniret. Ego enim tanta moderatione & lenitate styli vti non possum. Christus Dominus noster adiuuet, vt copiosum & magnum fructum ferat, sicut speramus & petimus. Amen.

AD QVAESTIONEM.

AN Cæsareæ Maiestati petituræ, vt Celsitudo V. conciones intermitti sinat, obtemperandum sit? idem respondeo, quod antea: Cæsarem esse nostrum dominum, vrbem Augustam & omnia ipsi subiecta esse, sicut Cels. V. in oppido Torga, vt in propria vrbe, aliquid intermitti petenti aut mandanti non resistendum est. Optarim equidem cum debita subiectione idoneis & aptis verbis & rationibus, Cæs. Maiestatis voluntatem & propositum flecti humiliter posse: ne C. M. inauditas conciones prohiberet, nec puræ & claræ Scripturæ sacrę prædicationem impedire deberet, cùm nihil seditiosum aut fanaticum doceatur. Si hac deprecatione subiectissima nihil obtineri poterit: Vim iniustam nos ferre patienter oportet. Fecimus quod nostri officij fuit, & excusati sumus. Id Cels. V. ad propositam quæstionem respondere reuerenter volui. Misericors DEVS Spiritu Sancto suo Paracleto Cels. V. perpetuò adsit. Amen. Dominica Cantate, 15. Maij.

Etsi autem tuncà Luthero probata fuit forma Confessionis Augustæ retexta: tamen quotidie Philippus quædam in ea mutauit, & circumspectiùs ac exquisitiùs singula explicare & polire conatus est, sicut ipse aliquot diebus pòst, Luthero exemplum remittens, scribit die 22. Maij.

Iam conduxeramus nuncium, qui ad te, & deinde VVittebergam proficisceretur. Resciuerat enim Ionas de filij morte, ex literis Violæ scribæ. Sed inter scribendum sunt nobis redditæ tuæ literæ posteriores per Tabellariun D. Apelli. Ionas sic satis est æquo animo, postquam intellexit vxorem rectè valere.

Nam

Nam de illo tantùm erat solicitus, nec ego nihil angebar. Et augebat suspicionem & curam, quòd non miseras Pomerani literas, quarum tamen ille fecerat mentionem, in literis ad te scriptis.

Cæsar nondum adest & mihi vix ante Pentecosten videtur affuturus. Non admisit Bauaros, οὐδὲ τὸ γεώργιον, ad deliberationem de religionis causa: vult enim se seruare integrum. Feruntur duæ sententiæ consilij Cæsariani, Altera, ne cognoscat causam, sed proposito edicto damnet: Altera, vt cognoscat ordine, ac emendet vicia Ecclesiæ.

In posteriore sententia dicitur esse Mercurinus ὁ ἀρχιγραμματεύς, vir summus & moderatissimus, quem aiunt dicere, se in aduersa valetudine hac spe secutum Cæsarem esse, quòd arbitraretur fore, vt res Ecclesiasticæ ritè cõstituerentur; nolle se violentis consilijs interesse. Nihil hîc audiuimus, quod magis videretur nobis dignum memoratu: & certè delector hac voce, & sententia sapientissimi viri: Christus respiciat ac seruet nos, & gubernet omnium consilia ad pacem & vtilitatem publicã. Addidit Mercurinus hoc quoq; VVormatiæ apparuisse, quàm nihil proficiant violenta consilia. Fuit enim VVormatiæ in comitatu & consilio Cæsaris. De tua valetudine valdè soliciti sumus omnes, ac Principes quoq;. Rogamus igitur Deum, vt te propter Euangelium seruet. A te quoq; petimus, vt cures valetudinem. Doctor Caspar misit tibi per Principis nuncium quædam remedia ad confirmandas cerebri vires & cordis. Mirificè enim amat te.

In Apologia quotidie multa mutamus. Locum de votis, quia erat exilior iusto, exemi, supposita alia disputatione eadem de re, paulò vberiore. Nunc de potestate clauium etiam disputo. Vellem percurrisses articulos fidei, in quibus si nihil putaueris esse vicij, reliqua vtcunque tractabimus. Subinde enim mutandi sunt atque ad occasiones accommodandi.

Nunc Macedo agit, vt orationi nostrorum subscribat, ac videtur posse retrahi ad nostros: sed opus est tuis literis. Oro igitur te quàm maximè vt ad ipsum scribas, & horteris eum, ne oneret suam, conscientiam alicuius impij dogmatis defensione. Sneppius vir est optimus & constantissimus, ad quem vellem te honoris ipsius causa, si quando posses commodè, literas dare.

De Frisijs, iussit Princeps D. Pomeranum istic Saxonicæ linguæ peritum, hominem idoneum, quærere, & mittere ad Frisios. In hanc sententiam potes respondere. Mitto tibi picturam obsessæ Viennæ. Per Apelli nuncium plura scribemus: interim dabis huic nuncio nostro literas ad tuam vxorem, honestissimam fœminam: poterit enim responsum perferre. Vale felicissimè, & ora pro nobis CHRISTVM DOMINVM nostrum. Dominica Vocem Iucunditatis, 22. Maij.

Ionam, in obitu filij, cuius exordium præsentis epistolæ meminit, Lutherus eodem tempore, sequentibus literis consolatus est.

Gratiam & pacem in Spiritu Sancto, qui superat omnem sensum, donet tibi Christus, mi Iona. Molestus sum & importunus consolator: quod fit, quia ipse nõ abundo satis vernantibus cogitationibus, & floridis adfectibus, quem admodum vellem & tibi opus esset. Vrit me quoq; sæpe ventus & æstas, vt similis sim regioni huic nostræ arenti & sitienti. Sed tu vide, vt in Christo roboreris, cuius opus & artificium, imò totum eius regnum est, vt in nostra infirmitate virtus & victoria crescat. Lætantur impij, securi sunt, spirant quoq; minas & cædes. Hoc totum sic fieri oportet, vt etiam in nostro corpore impleantur Scripturæ, quæ nisi impleantur, salui esse nõ possumus. illis impletis nos viuemus. Non tu solus pateris, sed habes socios, qui & ipsi penè fessi patiendo gemunt. Sicut oues occisionis reputamur. **Ists doch eytel leiden/eines vber das ander.** Quia non fatigatur, neq; dormit qui nos odit & persequitur. Deinde tu multa habes maximaq; dona, quæ huic vni malo opponas, si tantum ponderes. inter quæ illud, quod Scriptura maximum esse prædicat, dicens: Gratia super gratiam mulier pudorata, & non est digna ponderatio continentis animę, & coniugem sedulam qui inuenit, ea præstat gemmis.

Nec tu etiam velis exemplo epulonum totus esse in voluptate, & nulla prorsus parte similis esse fratribus Christi, qui per multas tribulationes capiunt regnum Dei. Quare te oro, vt disciplinam hanc patris prudenter feras. Est tempus lætandi, est tempus quoq; lugẽdi. Alterum libenter accipimus, sed hoc quoq; non est repellendum. Dominus Iesus, qui filiolum tuum ad se recepit, meliùs eum curaturus, quàm tu: te soletur & roboret. Amen. Ex regno Monedularum.

Cùm autem diutius omnium expectatione Cæsaris aduentus differretur: ac Elector Saxoniæ non solùm moræ adeo diuturnæ fastidio, verùm etiam minis & terroribus aduersariorum certissimam sibi victoriam in Cæsaris aduentu promittentium adfligi existimaretur: Lutherus grauissimè & dulcissimè scripta epistola eum consolatur, quã hisce Actis inserere omnino operæprecium duxi.

IOHANNI ELECTORI SAXONIAE, MARTINVS LVTHERVS.

GRATIAM & pacem in CHRISTO DOMINO & Seruatore nostro. Illustriss. Princeps, Domine clementissime, &c. Certum est V.C. tot molestias, sumtus, pericula & morã simpliciter & purè propter DEVM perferre. Quid enim aliud quàm syncerę & purę Euan-

Euangelij doctrinæ professionẽ omnes furẽtes Tyranni ac Principes V.C. obijcere possunt? Alioquin enim V.C. innocentẽ, modestũ, probum & fidelem Principem esse omnes confiteri necesse est Cùm hoc certum sit, magnum profectò & euidens signum est, C.V. verè à DEO amari, cùm sacrosanctum verbum suum adeo opulentè C.V. largiatur, & V.C. dignam iudicet, vt propter ipsius verbum hanc ignominiam & odia Tyrannorum perpetiatur. Quod certè lætum ac tranquillum animum parit. Nam DEVM amicum habere profectò maiorem consolationem adfert, quàm totius mundi beneuolentiam sibi demeruisse. Econtra videmus DEVM frementes & furentes Principes indignos iudicare, quibus verbi sui noticiam impertiat. Imo excæcatos & induratos oportet eos verbum blasphemare ac persequi, instar insanientium & mente captorum. Quæ horribilia signa sunt magnæ aduersus ipsos iræ DEI & indignationis. Cuius sanè rei consideratio ipsis meritò horrorem inijcere, & conscientijs ipsorum omnem consolationem eripere debeat, quod etiam tandem fieri necesse est.

Præterea multò clementiùs & vberiùs misericors DEVS suum erga C. V. amorem declarat, quòd verbum ipsius tanta cum efficacia & fructu in C. V. ditionibus propagatur. Profectò enim plures & præstantiores V.C. in sua ditione Pastores & Doctores habet, quàm vlla alia regio totius orbis terrarum, qui adeò purè ac fideliter docent, & auream pacem adeò studiosè tuentur. Adolescit nunc tenera ætas puerorum & puellarum, in Catechesi & Sacræ Scripturæ cognitione adeo bene instituta, vt singulari voluptate in meo corde afficiar, cùm video iam teneros puellos plus discere, credere & loqui posse de DEO & CHRISTO, quàm olim & adhuc omnia collegia, monasteria, ac scholæ in papatu sciuerunt & adhuc sciunt.

Est profecto hæc tenella ætas in V.C. ditione amœnissimus Paradisus, cuius toto orbe terrarum nullus similis est. Et hunc Paradisum in C.V. sinu DEVS plantat, vt euidentissimè demonstret se C. V. placatum & propitium esse. Quasi dicat, Carissime Princeps Iohannes, commendo tibi preciosissimum thesaurum meum, amœnissimum plantularum cœlestium paradisum. Tu pater eorum esto: nam tuæ tutelæ & imperio eas subijci volo, & hoc te honore dignor, vt mei horti cœlestis præses & patronus sis. Hæc certissima sunt. Nam Dominus DEVS, qui V. C. huius ditionis parentem & saluatorem constituit, per V. C. ministerium & officium omnes subditos alit, vt omnes Celsit. V. pane vescantur. Quod non aliud est, ac si DEVS ipse V.C. quotidianus hospes & pupillus esset: Cùm DEI verbum, & DEI filij qui verbum ipsius amant, & amplectuntur, in C.V. ditione tanquam quotidiani hospites & pupilli habitent & sustententur. Econtra expendatur quantum damni adferat aliorum furentium Principum obfirmata rabies, teneræ ætati, quam ex DEI paradiso in impiam, fœtidam, & laceram lacunam Diaboli degenerare sinunt: Perdunt omnia, & Diabolos quotidie mensæ assidentes & hospites habent. Indigni enim sunt apud DEVM hoc honore, vt ex vniuersis suis bonis, haustum gelidæ aquę verbo diuino tribuant. Imo, DEI iustissimo iudicio, eò impietatis delabuntur, vt

CHRISTO in cruce pendenti, acetum, myrrham, & aloën propinent, tametsi interim multi sub ipsis passim degunt, qui V. Celsit. paradisum & terram sanctam magno desiderio amant, ac pro ea toto pectore DEVM ardenter orant.

Cùm igitur DEVS verbi sui copiosissimo fructu in V. C. regione dominetur, & V. C. officium, bona & facultates ad vsus DEO gratos & Ecclesiæ ac Reipub. salutares conferantur, & verè quotidianæ Eleemosynæ & Sacrificia sint in honorem nominis ac verbi diuini iugiter oblata: & præterea placido & benigno corde, non homicidiali & sanguinolento, quale in aduersarijs esse oportet, prædita sit: magnas certè C. V. causas habet, cur in Domino toto pectore lætetur, & his tantis testimonijs diuinæ erga ipsam beneuolentiæ, seipsam consoletur. Profectò enim excellens & summa gloria est: Quòd DEVS C. V. ad hunc summum honorem elegit, consecrauit & dignam censuit, cuius anima & corpus, bona & facultates, ditiones & populi, & omnia quæ C. V. possidet, Domino DEO nostro ita sanctè seruiant: vt Diuinum ipsius verbum non modò ab omni persecutione liberũ sit, verùm etiam patrocinio & ministerio C. V. præcipuè foueatur & conseruetur. Et quanquam aliqui nostrum in odio & periculo sunt, tamen nihilominus sub V. C. defensione & tutela, verbi propagatio feliciter succedit. Postremò funduntur pro C. V. ardentissimæ precationes ab omnibus pijs, præsertim in V. C. ditionibus. Et scimus nostras preces rectas & causam bonam esse. Quare eas à DEO recipi, & certò exaudiri nullo modo dubitamus. O ingentem efficaciam precum, quas tenella ætas innocentibus linguis suis adeo ardenter ad DEVM fundit, & V. C. tanquam carissimũ Patrem adeo fideliter misericordi DEO commendat. Econtra scimus aduersarios malam causam fouere, nec posse DEVM inuocare, sed astutas practicas comminisci, & sua sapientia & viribus niti, vt corã videmus. Ita verè in arena ædificant. Hanc epistolam meam vt C. V. clementer à me accipiat, reuerenter oro. Deum testor me vera loqui & non adulari. Vereor enim ne Sathan V. C. cor mœrore & tristicia perturbet. Noui eũ ex parte, ac scio, quibus artibus mihi non rarò molestus esse soleat. Tristis & austerus Spiritus est, qui ægerrimè corda tranquilla & in DEO præcipuè læta esse finit: multò minùs V. C. bono & tranquillo animo esse finet, cùm sciat quantum non nobis tantùm, sed toti mundo, fermè etiam dixerim ipsi cœlo in C. V. incolumitate cõmodi situm sit. Nam magna pars Regni cœlorum in V. C. ducatu ministerio verbi de die in diem plantatur. Quod summo cum dolore Diabolus videt. Ideoq; omnes nos V. C. precibus, consolatione, vera dilectione & quibuscunq; possumus modis adesse debere intelligimus. Nam cùm V. C. bono & læto animo est, tum & nos viuimus: cùm tristi & abiecto est animo, nos ægrotamus. Verùm Dominus & saluator noster IESVS CHRISTVS, quem pater omniũ gratiarum nobis adeo opulentè patefecit & donauit, C. V. Spiritum Sanctum suum, verum & æternum Paracletum clemẽter largiatur, qui V. C. perpetuò conseruet, corroboret, & aduersus omnia virulenta & ignita tela illius austeri, tristis & maligni Spiritus defendat. Amen mi DEVS. Amen. Datum 20. Maij, Anno 1530.

IOHAN.

IOHANNES ELECTOR SAXONIAE, D. MARTINO LVTHERO.

LITERAS vestras proximè datas accepimus, & Christianam admonitionem & consolationem vestram in illis comprehensam clementer intelleximus: Quæ in præsentibus difficilimis negocijs, DEI omnipotentis gratia operante, magno nobis solatio futura est. Nec verò celare vos sub fide silentij possumus, Quòd Cæsarea M. Instructionem ad nos miserit, in qua propter edictum VVormatiense à nobis non seruatum & alijs de causis, grauiter accusamur. Simul etiam leniter in ea petitum est, vt conciones tantisper, donec Cæs. M. adueniisset, & in ea causa aliquid constitueret, intermitteremus.

Vicissim autem Cæsareæ Maiestati responsionem nostram misimus, ex qua intelliget Cæsar, nos hisce postulatis assentiri non posse. Quæ secutura sunt, paulò pòst, DEO volente, intelligemus. Fama etiam est, Cæsaream Maiestatem Oeniponte mouisse, & Monacum iter habere, vnde post Pentecosten huc ventura sit; Quod vobis indicare voluimus, & vobis ex animo fauemus. Datum Augustæ 1. Iunij, Anno 1530.

Quod verò Instructionis Cæsareæ Maiestatis, cuius hæc Epistola meminit, argumentum fuerit: ex Electoris responsione, quam se Cæsareæ Maiest. dedisse scribit, in qua summa illius repetitur, cognosci potest.

INSTRVCTIO ELECTORIS SAXONIAE, PRO COMITIBVS à Nassau & Nevvenar, ad Cæsaream Maiestatem.

ILLVSTRIS & Generose, propinqui carissimi, & fidelis. Mandata Cæs. M. Domini nostri clementissimi, quæ vos nuper Instructione exhibita nobis, ad nos Dei gratia Iohannem, Ducem Saxoniæ Electorem pertulistis: accepimus cum debita reuerentia & obedientia, quemadmodum decebat nomine Imperatoris & Domini nostri perlata accipere: & mandata illa, & quę præterea clementer nobis C. M. significauit, sic intelleximus: C. M. responsum non satisfeciisse animo nostro, quod C. M. vobis & nostro Consiliario Iohanni de Delzigk superioribus die-

bus diebus dedit, quodq; id vehementer miretur C.M. propter certas causas, quæ in Instructione recensentur, videlicet quòd non putasset C.M. molestum nobis fore, quòd Cæs.M. cùm alioqui clementissimè respondisset, non exposuerit mentē suam, sed distulerit ad petita respondere: nam si expendissemus responsionem, potuisse nos ex ea colligere, quòd ipsa etiam C.M. nihil vnquam magis habuerit in votis, quàm vt præ omnibus gloria Dei illustretur, cognoscatur & summo honore afficiatur. Sed quia hoc præcipuū negocium tam graue, tamq; difficile erat, vt non potuerit de eo procul agi per scripta, aut legatos, quodq; C.M. bona in spe sit, rem, Deo volente, coràm transigi & componi posse, postquam nos obtulimus ad ea quæ digna sunt Christiano Principe: Itaq; significat C.M. Si nos valetudine impediremur, filius noster, aut ambo, iter susciperemus ad C.M. & ad Monacum expectaremus, dum sciremus, quid C.M. fieri vellet: gratum C.M. nostrum aduentum fore, quodq; in eo colloquio posit res componi placidè: Si venissemus ad C.M. & fœdera nulla haberemus, & nos, quemadmodum decet Electorem, & filius noster, quemadmodum Principem decet, nos gereremus.

Quòd etiam alios articulos præterea C.M. posset audire, Deo volente, & de ipsis deliberare & agere, siue videretur opportunū venire, siue secus videretur.

Petit etiam C.M vt deinceps, donec C.M. venerit Augustam, & de his bonam ordinationem fecerit, nostri Concionatores taceant, & minus sit disputationum.

Ad extremum addita est Imperatoria petitio, vt, quidquid ad hæc omnia & singula responsum fuerit, properè & diligenter rursus C.M. vt sciat, quid sit expectandum, significetis.

Initiò agimus gratias C.M. Domino nostro Clementissimo cum debita reuerentia & obedientia propter significationem clementiæ summæ erga nos, & præcipuè propterea, quòd Maiestati suæ gratum fuit, quòd obedienter obtulimus nos ad ea, quæ Christiano Principe digna sunt. Deinde quòd C.M. non grauatur nos coràm ad C.M.S. inuitare, & singulari clementia significat suam M. nobiscum aut cum filio nostro, de præcipuis negotijs, sed certa conditione, sicut instructio commemorat, per sese velle colloqui. Nos verò maximè cupiebamus ipsi cum filio nostro, pro nostro officio, quò magis conspici nostra erga C.M. reuerentia atq; obedientia posset, ad C.M. statim initio proficisci, postquam resciuimus C.M. venisse ad Insbruck, quemadmodum & alij quidam Principes fecerunt, ac mandata dedimus ea de re nostris, vt in aula C.M. quantum fieri posset, scisciterentur, vtrùm aduentus noster C.M. futurus videretur non ingratus. Verùm intelleximus ob hanc causam non videri consultum, vt illò veniremus, quòd hic congressus offensurus esset alios Principes ac populos, & suspicionem pariturus, & moram quandam C.M. properanti ad conuentum indictum, allaturus. Deinde C.M. significauit secundò hîc per quosdam M. suæ consiliarios, quòd M. sua peteret, vt non grauatim hîc Augustæ M. suam expectaremus, quia Maiestas sua decreuisset iter maturare & breui huc venire. Huic petitioni obedienter hactenus paruimus, toto iam mense hîc desidentes,

postquam

postquam venimus huc ad ostendendam fidem atq; obedientiam nostram erga C. M. euocati binis literis Imperatorijs, seuerè scriptis. Nunc rursus significata nobis optima voluntate C. M. cupiebamus ad M. suam statim proficisci, cognitis illis mandatis, quæ sunt in instructione perscripta, vt apud C. M. nos coràm purgaremus, & C. M. declararemus perpetuam fidem atque obedientiam nostram erga M. S. & animum dignum Christiano & Catholico Principe.

Sed ex instructione intelligimus C. M. voluntatem esse, vt vos duo Domini & Comites, priùs statim significetis M. suæ, quid ad omnia & singula nobis proposita responderimus. Quare vt hac in re quoq; C. M. & voluntati instructionis mos gereretur, duximus C. M. Domino nostro Clementiss. & vobis, loco M. suæ, cum debita reuerentia & obedientia hæc exponenda esse.

Primùm de eo, quòd videmur non æquo animo accepisse responsum Cæsareæ M. scitis vos, Comes de Nevvenar, postquam à reditu vestro à C. M. vnà cum Consiliario nostro Iohanne Delzigk, nobis exposuistis, & quid egeritis apud Cæsaream Maiestatem, & quid Cæsarea Maiestas responderit, nos reuerenter atq; obedienter Cæs. Maiest. gratias egisse, propterea quòd singulari clementia nostra negocia audiuit, & respondit, de collatione feudi & Regalium Ducatus Saxoniæ.

Et quanquam tunc commemorauimus causas, quare sperauerimus futurum, vt de articulis alijs etiam clementer & planè responderetur, quemadmodum vos fortasse Comiti Guilielmo de Nassavv ad Insbruck scripsistis; tamen hoc affirmare verè possumus, eam commemorationem summa cum reuerentia erga Cæsaream Maiestatem factam esse, vt intelligi possit magnitudo necessitatis nostræ, & nos plurimum semper spei atq; præsidij collocare in bonitate & benignitate Cæsareæ Maiestatis. Esset enim acerbum nobis, vlla in re, intempestiua commemoratione, offendere voluntatem Cæsareæ Maiestatis.

Quòd si absq; malcuolis nostris fuisset, qui suæ parti magis fauent, & aspe riùs de nobis loquuntur, facilè credimus, & nobis certò persuademus Cæsaream Maiestatem de illa nostra necessitatis commemoratione benigniùs responsuram fuisse: quia constat, quàm vetus sit coniunctio atq; amicitia nobilium familiarum Austriacæ atq; Saxonicæ: quemadmodum honorificè testatur Instructio.

Eamq; ob causam semper in omnibus nostris iustis causis plurimum confisi sumus clementia Cæsareæ Maiestatis, & adhuc cõfidimus, præsertim cùm Cæsarea Maiestas sæpe significauerit nobis clementiam suam erga nos.

Quòd verò maleuoli nostri conati sunt commouere C. M. mentione edicti, id accidit præter opinionem meam, quia maleuoli nostri non poterunt ostendere, quòd sex Electores, ideoq; in his charissimus frater noster Dux Fridericus B. M. edictum illud cum alijs Principibus ac populis approbauerint, & C. M. clementer meminit, & meminerunt alij Electores, quæ fuerit voluntas, sententia & cõsilium fratris nostri, cùm de illo edicto faciendo deliberaretur: neq; difficile esset ostendere, si opus esset.

Adhæc C.M. consideret & expendat, hæc negotia, quorum in edicto mentio est, ad religionem & priuatam quoq; conscientiam pertinere, in quibus reprehendi non potest, quòd ab alijs Electoribus, religione coacti, dissenserimus. Nam in alijs rebus omnibus, quæ ad Imperium tuendum & ad C.M. colendam pertinent, confidimus & confirmare possumus, charis. fratrem nostrum B.M. & nos (quod non dicimus gloriandi causa) summa voluntate, studio, opibus, opera, pro nostris viribus, ita inseruisse vtilitati Imperij, vt (quod tamen nolimus ad extenuandum aliorum egregia merita dictum esse) nulli in hoc officij genere cedere debeamus. Facilè autem intelligi potest, non licuisse fratri nostro & nobis, Deo & Verbo Dei, sine quo saluus fieri nemo potest, aduersari. Neq; ignorant isti, qui nos lædere cupiunt, quomodo edictum VVormatiense in omnibus postea conuentibus visum sit obfuturum tranquillitati Germaniæ, quamq; iudicatum sit, omnino opus esse Christiana Synodo: & aliquoties in hanc sententiam summo consensu ab omnibus Electoribus, Principibus & populis decreta facta sunt. Quare non oportuit maleuolos nostros edictum exacerbare, quod antea ipsi quoq; mitigauerunt. Quòd si de hac tota causa, ex quibus initijs atq; occasionibus orta sit, disputandum esset: possemus, Deo adiuuante, cum debita reuerentia verè & solidè, ita vt nemo redarguere possit, recitare, quàm impios & manifestos abvsus in Ecclesijs quidã docuerint: quorum pertinax & violenta defensio præbuit occasionem huic dissidio. Quare nostris imputare nõ debebant Ad hæc speramus fore, Deo volente, in hoc conuentu, vt C. M. audiat, qualis sit doctrina, quæ in nostra ditione docetur, cùm non minùs nobis licebit nostram opinionem, quàm alijs Principibus & populis licebit suas opiniones proponere, iuxta edicti verba, quo conuentus indicitur, quemadmodum & obedire C.M. pro nostro officio parati sumus. Neq; existimassemus maleuolos nostros nunc edicti mentionem facturos fuisse, etiamsi quid in nostra parte erratum esset, quod tamen ostendi non poterit, quia in literis, quibus indicitur conuentus, C.M. significat, se in hoc conuentu velle agere de hoc dissidio componendo, & quò id fieri meliùs & salubriùs possit, petit discordias omitti, simultates deponi, præterita errata Christo Saluatori nostro condonari, & diligentiam adhiberi, vt vniuscuiusq; opinio audiatur, cognoscatur & expendatur, vt componi controuersiæ & redigi ad vnam Christianam veritatem possint, & emendentur omnia, quæ in vtraq; parte falsò propo fita atq; tractata sunt, quemadmodum C. M. clementer meminit, verba literarum, & propter has clementiss. literas C. M. multò minùs decuit illos, causam neq; auditam neq; cognitam condemnare tanquam erroneam, vt nobis apud C.M. conflarent odium.

Quòd verò apud C.M. multò infestiùs accusant nos maleuoli, quòd cum alijs, qui in simili causa C M. non obediant, contra edictum C.M. societatem & fœdera fecerimus, & illos adhuc tanquam caput sustentemus: Ad hoc respondere summa & ineuitabili necessitate cogimur, quòd nemo in toto Imperio verè hoc dicere aut ostendere possit apud C.M. quòd aut frater noster B.M. aut nos,

nos, fiducia vllius fœderis, amplexi simus Euangelion. Consentaneum est & alios propter voluntatem Dei amplexos esse hanc doctrinam, non propter fiduciam vllius fœderis. Cùm tamen hoc nomine accusant nos apud C.M. maleuoli, vt ex instructione intelligi potest: rogamus eum debita reuerentia & obedientia, vt C. M. velit hîc clementer audire defensionem nostram, & eorum, qui vnà accusantur, si qui in præsentia accusabunt nos, vbi C.M. ad illorum accusationẽ audita nostra defensione cognoscet, nos falsissimè accusari, quòd contra edictum M.S. fœdera fecerimus. Nam quòd cum quibusdam vicinis coniungimus nos, neq; contra C. M. neq; in præiudicium aliorum factum est, sed ad naturalem & iustam defensionem singulorum, contra iniustam vim, si qua de facto inferretur contra ius his periculosis & difficilibus temporibus, absente C.M. Ideo non oportuit aduersarios apud C.M. hanc societatem aliter interpretari, quàm facta est, sed causas & occasiones eius rei considerare, & meminisse, quàm multæ atroces minæ sæpe in Imperio auditæ sint, quæ non iniustè mouerunt nos, vt nos cum amicis nostris non illicitè coniungeremus, tantùm ad defensionem, ne qua vis susciperetur, antequam res ad C. M. referri possit. Et si protulerint aduersarij nostri apud C. M. fœdera priùs facta, quàm nos societatem cum amicis nostris fecimus, neq; nos grauabimur nostra proferre, vt C.M. intelligere possit, vtri primùm cœperint, & vtri prębuerint causam quærendi socios.

De Concionibus hîc omittendis deprecamur C.M. cum summa reuerentia, ne cogat nos eas prohibere, quia bona conscientia eas prohibere non possumus. Nam Concionatores nostri nihil docẽt, nisi simplex & manifestum Euangelium: neq; permissuri essemus eos alienas & inutiles disputationes admiscere. Quare difficilimum nobis esset prohiberi verbum Dei, & manifestam veritatem doceri. Præterea cùm omnes homines plurima habeant pericula, aduersus quæ muniri non possint, nisi verbo Dei, periculosum esset & nobis, præsertim in hac ætate & valetudine, carere verbo Dei. Quare si Deum timemus & verbum Dei magnificamus, rogamus cum debita reuerentia, ne conciones prohibeantur. Nostri Concionatores etiã quotidie post conciones sedulò hortantur populum ad orandum Deum pro felici statu totius Christianæ Reipub. & præcipuè vt Deus det C.M. tanquam potestati diuinitus constitutæ, & Principibus Electoribus, & alijs Principibus & populis Imperij gratiam, his periculosis temporibus, sic tractandi omnia Ecclesiastica & ciuilia negotia in hoc conuèntu, vt gloria Dei amplificetur, & pax & concordia constituatur. Fideliter etiam docent populum contra errores & impia dogmata, in hac vrbe de Sacramentis sparsa. Quare graue esset & damnosum, prohibere conciones, cùm aliquos de populo appareat diligentiùs institutos in his concionibus ad sanitatem redire. Nec plus disputationum ex his concionibus oriri potest, quia nihil noui huc affertur. Multis iam annis hæc doctrina hîc & aliàs agitata est, & difficile esset ideo prohibere manifestum Euangelium, quia aliqui offendi videantur, cùm illi sine culpa docentium offenduntur, & plerunq; tales ne au-

diunt quidem. Hactenus in duobus conuentib. Spirensibus docuerunt publicè nostri Concionatores: Nihil ortum est mali, nullus tumultus excitatus est, nemo visus est, qui factus esset deterior, nulla vox cuiusquam Concionatoris audita est vel seditiosa, vel contumeliosa, vel docens aliquid, quod non esset Catholicũ. Et C.M. clementer velit considerare, quantò plus scandali allatura res esset, si conciones prohiberentur. Postquam enim edictum de hoc conuẽtu piè & haud dubiè maximo consilio scriptũ, vbiq; in totum mundũ euulgatum est, quòd vniuscuiusq; opinio & sententia hîc audiri, & controuersiæ componi & redigi ad vnam Christianã veritatẽ debeant: Si nunc prohibeantur conciones, multorum conscientiæ perturbabuntur, & ita accipietur res, quasi C.M. velit hanc doctrinam neq; cognitam neq; iudicatam opprimere. Non dubitamus autem, quin C.M. nolit hanc suspicionem de M. S. spargi, quòd harum literarum autoritatẽ in dubium reuocet. Et si nos pro nostro officio & fide, qua obligati sumus ad honorem C.M. amplificandum, & omnia bona promouenda, consulere deberemus C.M. non possemus M. S. aliud consulere, quàm ne pateretur mutari illa promissa, quæ continentur in literis, quibus indicitur conuentus, sed vt iuxta illas literas adhibeatur diligẽtia, vt controuersijs iudicatis & compositis redigantur Ecclesiæ in concordiam Christianam. Quod vt nos reuerenter admoneremus C.M. bono & simplici animo, officio nostro adducti sumus. Et considerata conditione horum negociorum & temporũ, iudicamus, si quis secus consulit C.M. id neq; M. S. neq; Imperio, neq; vniuersæ Christianæ Reip. profuturum esse: neq; simplici animo quenquam secus consulturum esse. Ideo C.M. Dominum nostrum clementissimum cum debita reuerentia & obedientia rogamus, vt C.M. non inclementer accipiat hanc responsionem atq; commorationẽ, quæ nobis necessaria fuit, & quòd non licet nobis contra conscientiam nos obligare: ac velit C.M. noster Clementissimus dominus & Imperator esse, quemadmodum reuerenter confidimus. Nos quoq;, donec Deus vitam nobis concedet, Deo adiuuante, præstabimus C.M. tanquam Domino nostro à Deo constituto, obedientiam debitã omni officij genere, summa fide ac voluntate: & in negocijs Imperij, quicquid suscipiendum ac faciendum erit, vnà cum alijs nostris amicis, Electoribus & alijs Principibus, pro amplitudine & vtilitate Imperij conseruanda, ita nos geremus, vt speremus nos & Deo & C.M. & vniuerso Imperio officium nostrum probaturos esse.

Postremò, quod ad reliquos articulos attinet, speramus C.M. clementer consideraturam esse, quòd nihil rogemus, de quo quisquam iure queri possit, & benignè nobis ea, quæ rogamus, concessuram esse. Nos vicissim dabimus operam omni genere officij, vel cum periculo fortunarũ & corporis nostri, vt pro his beneficijs gratitudinem nostram C.M. cum debita reuerentia declaremus. Petimus autẽ à vobis Comitibus, vel vtroq;, vel singulis, vt iuxta mandatum C.M. hanc nostram responsionem, quæ nobis necessaria fuit, cum debita reuerentia, & aptè pro vestra prudentia C.M. exponere velitis. Nos efficiemus vicissim, vt intelligatis, vos hoc officium honestissimum in Principem gratum contulisse. Datæ Augustæ sub sigillo nostro, vltimo die Maij, Anno 1530.

Decima

Decima quinta die Iunij, quæ Festum Corporis Christi, vt vocant, proximè antecessit, Imperator Carolus V. cùm postridie Pentecostes, Oeniponte mouisset, & 10. Iunij Monacum peruenisset tandem vrbem Augustam ingressus est, omnibus Principibus, qui honoris causa obuiam processerant, & in his Electore Saxoniæ Ensem nudum præferente, cum comitantibus.

Pompam ingressus, etsi ad Religionis negocia nihil pertinet: tamen cùm in Tomis Lutheri descripta extet: breuiter, vt curiosis quibusdam hac quoque in parte satisfiat, intexam. de qua Sabini quoque Elegiam elegantem, qui volent, in poëmatis illius cognoscere poterunt.

Inter Sextam & septimam pomeridianam, Electores & Principes Augustæ congregati, Cæsareæ Maiestati aduentanti obuiam extra vrbem, vsque ad Lyci pontem, progressi sunt. Quos cùm ex equis descendere & ad se accedere Imp. videret: ipse etiam, relicto equo, singulos manu porrecta salutauit.

Ibi Albertus Archiepiscopus Moguntinus, cæterorum Principum nomine, Imperatorem excepit, & de felici in Germaniam reditu & diademate Imperatorio recèns accepto ei gratulatus est, & sua ac collegarum studia & officia subiectissimè detulit.

Cumque post exceptionem equos suos singuli ascendissent, Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ, stipatus à dextris Francisco Duce Luneburgensi, à sinistris VVolfgango Anhaldino, cum Electoris Saxoniæ equitatu, vt imperij Archimarscalcus, totum agmen præcessit. Inde Palatini Ludoici Electoris Consiliarij & ministri: Postea Ioachimi Electoris Brandeburgici: Archiepiscoporum Colonienſis, Treuirensis, Moguntini equites secuti sunt. Ducum Bauariæ turmæ, quingentorum equitum, etsi inter cæterorum Principum familias sequi Cæs. Mai. debuerant: tamen extra ordinem se statim post Electorum equitatus ingesserunt, quod propter viarum angustias & alias incommoditates non potuit mutari. Proxima fuerunt Regis Boëmiæ & Cæsareæ Magmina.

Inde Principes in propria persona incesserunt, Fridericus, VVilhelmus, Otto Henricus & Philippus, agnati, Duces Bauariæ: Georgius & Fridericus, Pater & Filius, Duces Saxoniæ: Ioachimus II. & Georgius, sobrini, Marchiones Brandeburgenses: Ernestus & Franciscus, Duces Luneburgenses: Albertus, Dux Megapolitanus: Philippus, Landgrauius Hessiæ: Georgius & Barnimus, fratres, Duces Po-

ces Pomeraniæ, Iohannes & Ioachimus fratres, Anhaldini. Georgius Landgrauius in Leuchtenberg: Fridericus Lignicensis, &c.

Imperatorem proximè antecessit Elector Saxoniæ, euaginatum ensem præferens, medius inter Legatum Palatini Electoris Valentinum Comitem ab Erbach, & Ioachimum 1. Electorem Brandeburgensem. Quos Electoris Treuerensis legatus solus præibat. Prope vrbem Ioachimus, Elector Brandeburgensis, oratione latina, Legatum pontificium, Cardinalem Campegium, nomine Episcoporum & Abbatum Imperij excepit. Sub porta Senatores Augustani Cæsarem exceptum sub vmbella deduxerunt: ad cuius anteriores baculos à dextra Archiepiscopus Moguntinus, à siniſtra Colonienſis: ad posteriores, à dextris Ferdinandus Rex Boëmiæ, à siniſtris Laurentius Campegius Cardinalis & Legatus Pontificius, incesserunt. Deinde tres Cardinales, Salisburgensis, Tridentinus & Brixiensis, & Galliæ, Britanniæ ac Portugalliæ regum legati, & alij Episcopi inuecti sunt: Quos cæterorum Principum politicorum & ecclesiasticorum, qui non sunt Electores, equitum agmina, eo ordine & loco qui singulis more maiorum debetur, secuta sunt. Extremum agmen Augustani equites ducenti & pedites bis mille concluserunt.

Cùm in forum Cæs. M. peruenit: Episcopus Augustanus, cum Canonicis & vniuerso clero, sub alia vmbella receptam, ad summum templum deduxerunt. Quod ingresso Imperatore & cunctis Electoribus ac Principibus, Hymnus, TE DEVM LAVDAMVS, solenniter decantatus est. Inde Cæsaream Maiestatem, Electores & Principes in hospitium deduxerunt.

Quò cùm serò admodum peruenisset Imperator: dimissis cæteris Electoribus & Principibus: mox à Iohanne Electore Saxoniæ, Georgio Marchione Brandeburgensi & cæteris Principibus Euangelicis petit, vt conciones suorum ministrorum Augustæ deinceps intermitti curent, & postridie processioni in festo Corporis Christi, maiorum more, interſint. Principes inter se collocuti, per Georgium Marchionem Brandeburgensem, causas, cur assentiri bona conscientia hisce Imperatoris postulatis nequeant, breuiter exponunt.

Cùm autem Imperator, bis reiecta Principum excusatione, idem flagitare non desisteret, & Ferdinandus ipse Cæsaream M. à suis postulatis nec posse nec velle discedere, addidisset: Georgius

Marchio

Marchio Brandeburgensis, pio zelo exardescens, inter cætera etiã, malle se flexis ibi coram Cæsarea M. genibus spiculatori ceruicem feriendam statim præbere, quã DEVM & Euangelion ipsius abnegare dixit. Qua voce audita Imperator placidissimè respondit, Non de ceruice cuiusquam ferienda agi, verùm se, vt conciones Augustæ deinceps omittantur, seriò flagitare. Principes igitur, sumto deliberandi spacio, postridie sententiam suam se declaraturos esse ostendunt.

Altera itaq; die, 16. Iunij manè, Iohannes Fridericus, Dux Saxoniæ, loco Patris incommodiùs valentis, & cæteri Principes coniuncti, ad Cæsarem redeunt: & causas exponunt, cur processionem illam, velut cultum diuinum, præsentia sua approbare & stabilire non possint: Quòd contra mandatum & institutionem Christi Sacramentum diuidatur, & ad vsum longè diuersissimum ab institutione transferatur. Oportere autem se Deo magis quàm hominibus, in his conscientiæ negocijs, obedire. nec se præiudicare velle suo exemplo, aut facto aliquo damnare doctrinam de his abusibus, in suis Ecclesijs sonantem, quam iuxta C. M. literas Indictionis, in hoc Conuentu proposituri & ex verbo Dei confirmaturi essent. Prolixè etiam causas commemorant, cur conciones suorum Theologorum abrogare ante causæ cognitionem nequeant. Cùm autem Imperator nihil de proposito mutaret: Principes verò subiectissimè orare non desinerent, ne eiusmodi postulatis, quibus salua conscientia assentiri non possent, grauarentur: tandem Imperator mandat, vt causas recusationis suæ, scripto explicatas, quam primum sibi exhiberent. Id scriptum altera die, quæ fuit 17. Iunij, à nostris exhibitum est,

ELECTO-

ELECTORIS SAXONIAE ET PRINCIPVM CONIVNCTORVM

Responsio, ad Cæsareæ Maiestatis postulata, De Concionibus verbi Diuini deinceps Augustæ intermittendis.

INVICTISSIME Imperator, Cæsar Auguste, Domine clementissime. Cùm V. C. M. in responso hodie nobis dato petierit, vt C. M. V. grauamina nostra scripto compræhensa exhibeamus, quò C. M. V. accuratiùs de ijs deliberare possit: Nos quidem, vt subiectissimè C. M. V. mandato pareamus, quod C. M. V. ex commemoratione nostra oretenus facta clementissimè intellexit, idem hoc scripto C. M. V. rursus indicamus & repetimus, Videlicet Cæsaream M. V. certò ita existimare debere, si comperiremus à concionatoribus nostris nouas opiniones & dogmata in sacris literis non fundata, & sanctæ fidei nostræ Catholicæ aduersantia doceri & spargi: id nos scientes nequaquam laturos, verùm ita cum eis acturos esse, vt indignationem grauissimam nostram, dignamq; minimè effugerent animaduersionem.

Hactenus verò nihil aliud deprehendere potuimus, quàm solum Euangelium purum & syncerum ita ab eis doceri & explicari, sicut à vetustis patribus, qui in Christiana Ecclesia probatissimi habentur, prædicatum & expositum est: & sicut C. M. V. Recessus in comitijs Noribergæ promulgatis permittit: Quemadmodum ex declaratione nostræ sententiæ & confessione, quam iuxta C. M. V. literas, quibus hic conuentus indictus est, exhibebimus, liquidissimè patebit.

Quòd si hæc prædicatio sancti Euangelij tanquam doctrinæ falsæ & impiæ abrogari & deleri, idq; nostro consensu approbari deberet, horrendum peccatum committeremus coram Domino Deo nostro, (qui verbum suum abnegari non sinit) quòd, vt potè peccatũ in Spiritum sanctum, excusari nulla ratione posset.

Nobis etiam miseris & peccato ac omnis generis calamitatibus & periculis assiduè obnoxijs hominibus prædicatio verbi diuini ad consolationẽ conscientiarum nostrarum, & petendum à Deo auxilium summè necessaria est. Vt enim quotidiano cibo & potu ad corporis sustentationem carere non possumus, Ita multò minùs sine prædicatione & annunciatione verbi diuini viuere possumus, cùm non in solo pane viuat homo, sed omni verbo, quod egreditur de ore Dei sicuti & C. V. M. locum tenenti, & fratri, Regi Vngariæ ac Bohemiæ, apprimè nobis dilecto, cognato, & Domino clementi vnà cum cæteris C. M. V. commissarijs in comitijs Spiræ à C. M. V. indictis, idem significauimus.

Quamuis autem & hîc aliâs in templis passim publicæ conciones habentur, Tamen scit V. C. M. & alij omnes, magnã de doctrina dissensionem esse. Qua de causa etiam V. C. M. hunc conuentum Imperij indixit cum clemntissima significatione, quòd vniuscuiusq; opinio & sententia de religione audiri, & quidquid in vtraq; parte non rectè factum esset, corrigi, & Christiana vnitas & concordia restitui deberet. Quare V. C. M. clementer cogitabit, anne conscientijs nostris consultum esse possit, quòd alibi conciones in hac vrbe habentur, si illas solas audire, & nostras intermittere debeamus.

Quod

Quòd si assentiri huic prohibitioni concionum vellemus, sicut V. C. M. omnibus in rebus alijs, quæ verbo gloriæ & honori Dei non aduersantur, subiectissimè parere cupimus, tum ipsi contra conscientiam condemnare nostram doctrinam, antequam iuxta V. C. M. literas indictionis, in hoc conuentu causa audita, & quid in vtraq; parte non rectè fiat, iudicatum erit, cogeremur. Nam V. C. M. pro sua singulari Cæsarea sapientia facilè existimare potest, si nostras conciones aboleremus, & alias audiremus, tum necessariò sequi, vt re ipsa & in effectu fateri cogamur, nostram doctrinam, quia publicè doceri prohibita sit, falsam, & alteram doctrinam, quæ à nobis alibi audiretur, veram esse.

Nam quod abrogari debet, id iuxta V. C. M. literas indictionis, & iuxta cuiuslibet sani hominis rationem, eo ipso statim iniustum & falsum; quod autem illius loco instituitur iustum. & rectum esse iudicatur.

Quo præiudicio de nobis facto quiuis intelligit longiorem tractationem de hoc maximi momenti negocio ad Deum conditorem & animas nostras ac æternam salutem pertinente, non valdè necessariam existimatum iri. Quod ex diametro V. C. M. literis interdictionis iam sæpè allegatis repugnat, quæ clarissimè demonstrant, vnumquemq; antea audiri, & postea primùm, quicquid in vtraq; parte, h. e. in altera parte non minùs quàm in nostra parte, & non tantùm in nostra parte, non rectè factũ sit, abrogari debere. Quòd verò ad V. C. M. fortasse delatum est, à nostra parte noua dogmata & scandali plena doceri: Nos quidem, paulò antè & heri viua voce V. C. M. reuerenter indicauimus: si nostra confessio, iuxta literas indictionis V. C. M. audietur, rem ipsam demonstraturam esse, nihil aliud à nobis quàm purum Euangelion, sicut probatissimi & præstantissimi Patres secundum scripturas illud interpretati sunt, & nulla noua dogmata à nostris prædicari. Fingamus autem, quod tamen contra veritatem diuinam & non conuicti, nequaquã concedimus, quòd nouæ opiniones & abusus aliqui nostræ doctrinæ mixti sint: Tamen vicissim V. C. M. non ignotum est, quàm horrendi noui abusus à sacris literis & sanctorum Patrum doctrina & ritibus discrepantes in aduersa parte recepti sint: de quibus totus Christianus orbis & pij etiam antehac tempora miserabiliter questi sunt. Meminit etiam V. C. M. quàm multi & magni abusus V. C. M. in primis V. C. M. comitijs ab omnibus ordinibus propositi sint. Qui cum cæteris & multò grauioribus hucvsq; nondum emendati sunt. Quod eam tantum ob causam V. C. M. subiectissimè in memoriam reuocamus, vt V. C. M. clementer indè cognoscat, quàm iniquè hæc negocia apud V. C. M. per aduersarios nostros contra nos agantur.

Confidimus etiam, & certò scimus, neminem, nostrorum concionatorum doctrina, offendi bona conscientia posse. Quòd si quis se offendi ostenderet, nos, sicut heri V. C. M. subiectissimè indicauimus, concionatores nostros vnicuiq; illorum doctrinæ suæ rationem Christianè reddere iubebimus, vt nemo queri de ipsis iustè queat, Grauissimum verò nobis coram DEO omnipotente futurum esset, si propter eos, qui rationem doctrinæ sibi reddi non petunt, & sine vlla necessitate offenduntur, prædicatio sacrosancti Euangelij & veritatis diuinæ conflescere deberet, Cùm secundum propria ipsorum iura offendiculum veritati, & non veritas offendiculo cedere debeat. Quàm grauiter autem proximum nostrum violata fide & dilectione offensuri essemus, si nos prohibitioni concionum Euangelij assensos esse, & doctrinam nostram reipsa velut impiam & falsam condemnasse verè spargeretur: V. C. M. & quilibet alius facilè æstimare potest, an conscientiæ nostræ coram DEO iusto iudice, excusari possint. Nec V. C. M. vt Christianissimus Cæsar, vllo modo nobis imponet, vt nos, velut reos impiæ doctrinæ, iusto

iudicio

iudicio & iræ DEI, & quidem non conuictos, obnoxios reddamus. Et nos Deum ardenter precabimur, vt clementer nos ab hoc tanto & omnibus alijs malis custodiat. Præterea nuper V.C.M. subiectissimè significauimus, concionatores nostros quotidie finita concione populum diligentissimè ad preces ardentes hortari, cum pro omnibus totius orbis Christiani necessitatibus ad DEVM fundendas, tum verò nominatim, vt V.C.M. tanquam summo Magistratui, diuinitus ordinato, & Electoribus, Principibus, Statibus, & nobis, gratiam suam his periculosis temporibus ad ea, quæ DEI gloriæ & Christianæ paci & concordiæ seruiant, in his comitijs tractandalargiatur. Hanc necessariam admonitionẽ cùm DEVS seuerissimè flagitet, & præcipiat, vt pro instante necessitate ipsum ardenter inuocemus, intermittere profectò pium non est, nec Christianitativtile esse potest.

Fideliter etiam à nostris concionatoribus monentur & instruuntur auditores contra quædam dogmata, quæ de Sacramentis vulgò in hac vrbe impiè instillantur. Horum aliquos ab errore abduci & DEI gratia conuerti spes est. Quare si conciones nostras abrogari sponte sineremus: nostra conscientia coram DEO nos iudicaret, quòd seductarum animarum rei essemus.

Præterea iam aliquot annis hæc causa disputata est, & præcipuè in duobus conuentibus Imperij Spiræ doctrina Euangelij coram nobis & coniunctis nostris ita publicè & modestè prædicata est, vt hoc tempore disputatio ea de re non necessaria sit, ne scandalum, de quo V.C.M. nomine nobis indicatum est, metui possit.

Ad hæc omnia manifestum est, Recessum Spiræ superiori anno promulgatum, etsi iustis de causis, quas tunc indicauimus, assentiri illi non potuimus, tamen non tantum nobis adimere, quantum nunc prohibitione concionum à nobis flagitatur.

Semper etiam apud V.C.M. antecessores & apud V.C.M. Electoribus & Principibus (nisi quòd in duobus proximis conuentibus Spiræ nobis publica templa ad prædicationem Euangelij negata sunt) liberum & non prohibitum fuit, vt singuli suos concionatores verbum DEI in templo coram ipsis & alijs, qui accedere voluerunt, docere sinerent.

Postremò V.C.M. ipsa clementissimè æstimet, siquidem V.C.M. hoc modo, vt instituit, conciones nostras abrogabit, tum omnes ita existimaturos esse, V. C. M. inaudita causa atq; etiam contra V. C. M. literas Indictionis, nulla suscepta tractatione, doctrinam nostram velle abolere. Quam opinionem de C.V.M. nos quidem V.C.M. vt nostri clementissimi Domini nomine spargi doleremus, cùm V. C. M. literæ Indictionis per totum Imperium & vlteriùs innotuerint, & omnes omnium ordinum homines sperent, & à DEO & V.C.M. expectent, vt grauissima hac religionis causa vera fide & dilectione, solius diuinæ veritatis inquirendæ gratia, legitimè cognoscatur & ordine tractetur.

Propter has causas denuò V.C.M. Dominum nostrum Clementissimum subiectissimè & humilimè oramus, sicut proximo biduo etiam fecimus, vt V.C.M. hanc nostram Christianam & subiectissimo, fideli & recto corde factam indicationem & cõmemorationem clementissimè consideret, & petitam abrogationẽ nostrarum concionũ, fidei, dilectionis, & nostræ conscientiæ causa benignè remittat: nec aduersum C. M. S. esse patiatur, vt, quemadmodũ Spiræ & hactenus in hac vrbe factum est, nostros concionatores publicè docere sinamus. Hoc C.V.M. beneficium vicissim in omnibus alijs reb. ad nostra corpora, fortunas & bona spectantibus, sicut iuxta DEI Verbum & mandatum nos debere agnoscimus, erga V. C. M. vt V. C. M. & Imperij subiectissimus Elector & Principes, omni studio & obedientia promereri conabimur: & nos

erga

erga V. C. M. ita geremus, vt in ijs, quibus gratificari V. C. M. nostris corporibus & fortunis subiectissimè possumus, DEO volente, non postremi inueniamur. Actum Augustæ 17. Iunij. Anno M. D. XXX.

V. C. M.

subiectissimi,

Iohannes Dux Saxoniæ & Elector.
Georgius Marchio Brandeburgensis.
Ernestus Dux Brunsv. & Luneburg.
Philippus Landgrauius Hassiæ.
VVolffgangus Princeps in Anhaldt.

Hoc scriptum post meridiem Cæsar cum Senatu Principum communicat: à quibus, re deliberata, delecti ad Electorem Saxoniæ & socios, die 18. Iunij ablegati sunt, obnixè petentes, vt Cæsareæ Maiestati, in intermittendis concionibus, gratificarentur. Id enim Cæs. M. non ab ipsis solùm, verùm etiam ab aduersarijs flagitare. Quo impetrato, statim Cæsaream Maiestatem, iuxta literas Indictionis, causam Religionis audire & cognoscere velle, & amicis ac pacificis rationibus pro virili componere & sedare.

Elector Saxoniæ & socij multis rationibus expositis, cur assentiri bona conscientia non possent: tandem, vrgentibus illis, respondent, Se Cæsareæ Maiestati, in Cæs. Maiestatis vrbe conciones prohibenti obstare non posse. Itaque se tolerare & ferre, quod Cæsarea Maiestas in hac causa ordinet, sed tamen non approbare bona conscientia posse.

Statim igitur eadem vespera caduceator Cæsareus, præcinente tuba, omnibus concionandi munere in vrbe Augusta interdixit, exceptis ijs, quos Cæsarea M. ipsa constituisset: Qui plerumq; nudum Euangelij & Epistolæ textum sine explicatione recitabant, & publica Confessione & absolutione addita concludebant.

Id cùm ad Lutherum relatum esset, his literis suum iudicium Iohanni Islebio, qui tum Electori Saxoniæ à concionibus erat, significauit.

D. MARTINVS LVTHERVS M. IOHANNI ISLEBIO.

DE Interdicto Cæsaris, quo vestras conciones inhibuit, sic sentio, rectè fecisse Principem nostrum, qui in vrbe aliena dominum agnouerit, & dominari non tentauerit, vtcunq; etiam videatur vis ista esse. Malo enim resistere non licet, & CHRISTVS cedere iussit, dicens: Si in vna ciuitate vos persecuti fuerint, fugite in aliam. Item: Exite de domo illa. Sic arbitror Principem, quandoquidem corpore abire non licet, vt membrum Cæsaris, silentio tamen velut fugit in aliam ciuitatem, & exiuit de domo illa. Poterit cum Naaman Syro in templo Nisroch, deniq; apud seipsum legere & colere verbum. Veruntamen res mali exempli est, non scandali quidem. Sed ego hinc suspicor fore, vt finis Comitiorum idem fiat, scil. vt cogat Cæsar Principem abstinere à tota doctrina. Hæ meæ cogitationes sunt: & tunc primùm erit paroxysmus comitialis verus, in quo DEI manus expectanda est, & imploranda. Nam Papistas dæmonibus traditos aliud non posse quàm furere, certissimum est: premit eos sanguis Abel, & abominationes suæ indurant eos, vt, nisi sanguinem biberint, viuere non possint.

Philippum hortare, vt Sacrificium Spiritus contriti moderetur, ne non sufficiant tandem sumtus diutius sacrificandi. Solatium quidem est magnum, scire se conteri Spiritu propter optimam causam, propter ipsum DEVM: Vbi dubitare non potest, se placere DEO, velut odorem suauissimum. Sed modus in rebus est. Sacrificium placet, nõ exitium. Nec vult DEVS animas perdi. Hoc est Sathanæ additamentum.

Nam quod de Cæsaris clementia speratur, nihil est. Ego cogito Pontifices Cæsarem impulisse, vt cognosceret causam, vt Apologia nostra audita, denique statuant quæ velint, & tamen obtineant hanc gloriationem, quòd nos satis audierint, & ita calumniam pertinaciæ eò liberiùs & speciosiùs vrgeant, vt qui auditi & moniti deniq; Cæsarem non audierimus. Quid enim aliud struit Sathan, & quid boni ex eo speremus? an ignoramus eius cogitationes, vt omnia fucis, mendacijs, astutijs, dolosè sic versetur, vt speciosus ipse sit, & Christus fœdissimus? Certè non cum hominib. agitis Augustæ, sed cum ipsissimis portis inferni, ijsq; instructissimis, & exercitatissimis: sed, quod solatur, iracundissimis: Quia iracundi excœcati tandem euadere non possunt, quin impingant in sapientiam Dei, Vnd beſcheiſſen ſich in der Klugheit/Amen/Amen.

Dominus IESVS, qui vos omnes isthuc misit confessores & seruos suos, pro quo & ceruices vestras obijcitis, sit vobiscum, Spirituq; suo det vobis testimonium πληροφορίας, vt sciatis & non dubitetis, vos esse confessores suos. Ea fides viuificabit & consolabitur vos: Quia magni Regis estis Legati. Hæc sunt verba fidelia. Amen.

Eadem

Eadem die 18. Iunij, qua decretum Cæsaris de concionibus, Augustæ promulgatum est: Alphonsus Valdesius Hispanus, Erasmi amicus, intimus Cæsaris Secretarius, & Mercurino Cancellario, quem optimè volentem saluti Ecclesiæ & orbis Christiani DEVS pridie Pentecostes 4. Iunij Oeniponte ex hac vita euocauerat, familiarissimus: Philippum, qui pridie cum illo, & Cornelio Sceppero, de Religionis controuersiijs contulerat: denuò ad colloquium vocat, eique exponit, se ante meridiem, commodissima occasione oblata, Cæsarem de omnibus Lutheranorum articulis docuisse, quòd nihil contra fidem aut Ecclesiam Catholicam profiteantur: ac mandasse Cæsarem, vt breuem designationem articulorum, sine vllis ambagibus & disputationibus prolixioribus, sibi exhiberi curaret, vt fundamenta causæ & controuersiarum momenta rectiùs considerare & expendere posset. Philippus igitur ipsos confessionis articulos, antequam publicè exhiberentur, Alphonso Cæsaris Secretario monstrat: sicut ipse in Epistola quadam narrat, Alphonsum vidisse articulos Confessionis, antequam legerentur. Autitheses verò illæ, quas quidam hoc tempore Cæsari traditas esse fingit, ipsa confessione prolixiores & vehementiores, multis post hunc conuentum annis primùm natæ sunt.

* h.e. Coelestinus.

Postridie Philippus Lutherum, de aduentu Cæsaris, & prima συμβάσει de concionibus intermittendis, & colloquijs cum Cornelio Sceppero, & Alphonso Valdesio suis, certiorem reddit.

Pridie corporis Christi, quod faustum sit, felixq; Cæsar vrbem Augustam vesperi circiter octauam horam est ingressus. Noster Princeps de more prætulit ensem. Ibi cùm serò admodum (nam pompa tardè procedebat) ventum esset in hospitium Cæsaris, mox petitum est, vt conciones intermitterentur. Hac de re postea diebus tribus disputatum est. Neq; enim statim desierunt nostri concionari. Tandem post longam decertationem, decursum est eò, vt Cæsar vtriq; parti prohiberet conciones. Ipse vnum aliquem iubebat recitare Euangelium, & Epistolam sine explicatione. Ita meo iudicio futurum est, vt magis etiam suam partem Pontificij lædant. Multas causas pro tua prudentia facilè colligere poteris.

Sic se habent principia, nihil spei ostenditur ex aula Cæsareana. Nam Campegius tantùm est autor, vt vi opprimamur. Neq; quicquam in tota aula est mitius ipso Cæsare. Nam ipse mitigauit acerbissimas sententias Principũ, vt mihi narrauit Dux Henricus Brunsuicensis. Duo tantùm sunt Principes, qui afficiuntur nostro periculo, Moguntinus, & Brunsuicensis. Palatinus, & Badensis Marchio non adsunt. Bauari mirabiliter insolentes sunt. Orabis igitur Deum

pro nobis. Cornelius inquit, spem se habuisse pacis aliquam, viuo Mercurino. Hoc extincto, neminem esse in aula affirmat, qui authoritate valeat, qui pacis autor sit: sed ludit suo more, ac videtur singulari diligentia cauere, ne veniat in suspicionem nostræ amicitiæ. Ideò nihil nos adiuuat.

Est alius quidam Hispanus Secretarius, qui benignè pollicetur, & iam cũ Cæsare & Campegio de mea sententia contulit. Sed tota res est ἐν γούνασι θεοῦ. Vale.

Die 19. Iunij Imperator ad sacram synaxin in templo S. crucis accessit, post meridiem inter Principes de sessione dissidentes autoritate sua transegit, ita vt in illis comitijs, saluo tamen cuiq; suo iure, nihil turbarum sessionis causa mouerent.

Die XX. Iunij, initium Comitiorum factum, ac primùm Missa de Spiritu Sancto per Archiepiscopum Moguntinum celebrata est, ad quam vocatus etiam Elector Saxoniæ, vt officij ratione ensem Imperatori præferret, cùm de missa quid sentiret, antea testatus fuisset, accessit. Post decantatum Symbolum, legatus ad regem Ferdinandum Pontificius, Vincentius Pimpinellus, Archiepiscopus Rossanensis, Concionem latinam, ad Imperatorem & ordines Imperij, de bello Turcis inferendo habuit: Augustæ postea typis publicè expressam. Quæ cùm prorsus politica & bellica sit, & ad religionis negotia, in conuentu illo suscepta, nihil ferè pertineat: consultò eam hoc loco omitto, fortasse ad libri huius calcem adiuncturus.

Finito sacro, Imperator cum Electoribus & Principibus ac cæteris Imperij ordinibus in curiam ascendit, & PROPOSITIONEM Deliberationum, in Senatu Imperij tractandarum, ex scripto recitari iubet, in quo, à prima origine, Historiam decem annorum Imperij sui breuiter repetens, duo pręcipuè capita ordinum consultationi subijcit: prius de bello Turcico, alterum de Religionis dissidio componendo.

PROPO-

PROPOSITIO CAESAREAE MAIESTATIS, AVGVSTAE IN Comitijs anni 1530. die 20. Iunij facta.

SACRA Cæsarea Maiestas, Dominus noster clementissimus, non dubitat, Cæsareæ ipsius Maiestatis dilectos amicos, agnatos, fratres & consanguineos, Electores, Principes, & omnes S. Imp. Ordines recenti tenere memoria, ac probè scire, cùm Cæsarea ipsius Maiestas diuina prouidentia, ad dignitatem & fastigium Cæsarei muneris & gubernationem Romani Imperij, consentientibus omnium suffragijs, primùm electa, & deinde Aquisgrani coronata fuisset: quòd statim comitia Imperij VVormatiæ congregari, & negotia Sacri Romani Imperij tum oblata, summa ac clementissima fide suscipi & tractari curarit, & durantibus adhuc comitjis, moto à Cæsareæ ipsius Maiestatis aduersarijs crudeli bello, causas adeo graues & necessarias Cæs. ipsius Maiestati oblatas esse, vt (quamuis diutius commorari in Imperio prorsus antea decreuisset) eius tamen Maiestas in hæreditarium Hispaniæ regnum redire coacta fuerit: quod tamen præscientibus & assentientibus Imperij Ordinibus fecerit, expeditis priùs & conclusis omnibus Sacri Imperij negotijs, & consilio ac decreto Ordinum constituto locum tenente & Vicario C.M. fratre Ferdinando Vngariæ & Bohemiæ Rege, & ordinato Senatu Imperij ex Electoribus, Principibus & omnibus alijs statibus, quibus plenariam dederit potestatem, absente illius Maiestate, in Imperio omnia faciendi & decernendi, quæ ad Imperij necessitatem, & decidendas causas quascunq; oblatas, non secus quàm si Maiestas eius ipsa præsens adesset (paucis saltem in constitutione exceptis) pertinerent: eosq; non peperciſſe vlli curæ, labori ac sumtibus, sed assiduè ea egisse, quæ pro conditione temporum & negotiorum, quæ post Comitia illa VVormatiæ habita Edicto ac statutis VVormatiensibus aduersa, subinde inciderunt: perfici omnino potuerunt.

Ex quo pateat, nihil eorum, quæ ad conseruandam pacem, & iusticiam in Romano Imperio administrandam spectarint, in Maiestate eius iure desiderari potuisse. Quam ob causam quoq; Cæsa-

rea ipsius M. tranquilliore animo ex Imperio in auita regna sua concessisset.

Postquam autem in Hispanias redijt Cæsarea Maiestas sua: cognouit non solùm magnas difficultates & dissensiones ac discordias inter S. Imperij Germanicæ nationis incolas, religionis nomine, & alijs quoq; de causis exortas esse: sed etiam hæreditarium Christiani nominis & fidei hostem Turcam in aliquot limitibus orbis Christiani, ac inprimis aduersus Vngariam, immania omnia machinari ac hostilis impressionis initiũ iam feciſſe aliquot propugnaculis & arcibus, per quas aditus ipsi pateret, expugnatis. Ideoq; Ludouicum Regem Vngariæ, fratrem & affinem suum, amplissima cum sua, tum communi ordinum totius regni legatione missa ad Cæsareæ Maiestatis suæ locumtenentem & senatum Imperij, & simul ad commissarium & oratorem Cæsareæ Maiestatis, Electores, Principes & Status omnes in comitijs Noribergensibus congregatos, nunciasse de impendentibus periculis & calamitatibus, quæ amisso Belgrado & alijs propugnaculis & arcibus Vngariæ captis imminerent: ac inter cætera etiam, disertè significasse, communem Vngarorum, in Turcico bello, cum Statibus Imperij & omnibus Christianis causam esse & eadem omnes pericula manere, & nisi ipsis auxilia idonea mittantur, longè futuros se inferiores, quàm vt illatam à Turca vim repellere possint. Sin verò necessariam opem eis tempestiuè ferant, sperare se, coniunctis Imperij auxilijs, non tantùm hostem depulsuros, sed sua quoq; vi ablata recuperaturos esse. Negato autem auxilio, ipsos Turcarum potentiæ sponte subijci, atque ita vicinis Christianis se deinceps non solùm nihil præsidij aut defensionis amplius adferre posse: verùm etiã coactum iri, tanquam Christianorum hostes, omnia inimica & hostilia aduersus illos perpetrare. Præterea in eadem legatione eos commemorasse, quomodo olim Christiana Imperia, Constantinopolitanum & Trapezontinum, & regna Bosnæ, Dalmatiæ, & magna pars Croatiæ, ac complura alia regna & nationes, à Turcis subactæ sint, ita vt paucorum annorum spacio Turca potentiam suam adeo amplificarit, vt præter innumeras nationes & regiones alias, duo nobilissima imperia & vltra 20. regna, vi subiugarit, quæ omnia, tristissima & turpissima seruitute oppressa, ipsi parêre cogantur.

Hæ tristissimæ querelę & imminentia non Vngariæ solùm, sed toti etiam Christiano orbi, pericula, adeo Cæsaream ipsius Maiestatem

tem mouerunt, vt, quò celeriùs periclitantibus subueniretur, eam pecuniam, quam VVormatiæ in comitijs sibi Romam inaugurationis causa proficiscenti ordines Imperij promiserant, totam huic necessariæ defensioni Vngarorum aduersus Turcas impendi sponte mandarit.

Cùm autem non integra summa, sed pars tantùm promissi subsidij tum ad Vngaros inde peruenisset: nec multum eis prodesse potuisset: factum est, vt post expugnatum Belgradum Turci alia propugnacula & castella Vngariæ, miserabili cum clade & calamitate Christianorum occupauerint, & paulò pòst Rhodum quoq; inuaserint, & tandem dura obsidione pressam ad deditionem coêgerint. Quæ duæ arces & propugnacula aduersus Turcas adeò munita fuerunt, vt Christiano orbi non parum in illis præsidij & solatij constitutum fuerit.

Postea denuo robur suum Turca in Vngariam conuertit, & occupatis portubus, multis arcibus & castellis, Regem Ludouicum & ipsius exercitum, ad suscipiendam defensionē necessariam coactum, acie vicit. Quo prælio Christianæ copiæ miserabiliter profligatæ, & Rex Ludouicus ipse extinctus est: Turca verò omnes inter Sauũ atq; Drauum arces, vrbes & castella vi subegit, & metropolin Vngariæ Budam & Pestum è regione situm, ac plura alia castella & vrbes, prima impressione diripuit & incendit, magnis agminibus Christianorum trucidatis, & superstitibus eorumq; bonis in miserandam seruitutem abductis. Nec tot victorijs & spolijs satiatus hostis, sed inexplebili cupiditate & siti Christiani sanguinis accensus, immane odium & rabiem suam in commune nomen Christianum, & præcipuè aduersus Germanicam nationem conuertit: & Maiestatis suæ regna & ducatus, Croatiam & Carniolam oppressit, & incendijs ac direptionibus regione vastata supra 30. millia hominum vtriusq; sexus abduxit, & qui sequi cum impedimentis non poterant, crudeliter trucidauit.

Et proximo superiori anno 1529. tantis copijs, quantas à temporibus Attilæ, qui flagellũ Dei appellatus est, nunquam collectas fuisse auditum est: rursus Vngariam penetrauit, eaq; denuo miserè vastata, innumerabiles copias suas statim in M. S. Austriacas regiones conuertit, vbi primariam vrbem Viennam grauissima obsidione pressam, in angustias extremas redegit, simul etiam ad latera Viennæ, agminibus suis longè lateq;, immani rabie omnia versus Lyn-

ceam, vsq; ad flumen Anasum populatus est, & direptionibus ac incendijs omnia vastauit: senes ac iuuenes, pueros & infantes, inhumana crudelitate dissecuit: matronas & virgines, vt antea sæpe accidit, pro consuetudine & libidine sua nefariè stuprauit, & more pecudum vnà cum eorum facultatibus & bonis abegit.

Quamobrem, nisi hæreditarius Christiani nominis ac fidei hostis soluta obsidione retrocessisset: Cæsarea ipsius Maiestas seriò decreuerat, & parata erat, rebus omnibus posthabitis, cum omnibus copijs suis in propria persona illi obuiam proficisci, & omnes suas vires & robur in hostem illum propulsandum, transferre, sicut Cæs. ipsius M. ad Regem Ferdinandum fratrem, & supremum exercitus Imperij ducem, & Capitaneos ac milites Viennæ circumsessos, vt suum aduentum cum copijs certò expectarent, literis suis testata est. Cùm autem Turcas, obsidione soluta, discedere intellexisset, multis grauibus de causis, optimum & vtilissimum fore iudicauit: res in Italia turbatas ante discessum suum pacare, & ad Pontificem, Bononiam proficisci, ac de his & alijs negotijs, salutem totius orbis Christiani, & sanctam fidem nostram concernentibus, coràm cum sanctitate illius, consilia conferre, sicut hæc ipsa in literis indictionis horum Comitiorum vberiùs & fusiùs comprehensa sunt.

Cumq; Cæ. M. deprehendisset, extremam necessitatem, in literis indictionis explicatam, & inprimis hæreditarium orbis Christiani hostem Turcam, & Religionis nostræ controuersias, publicum Imperij conuentum flagitare: simul rectissimum ac vtilissimum fore iudicauit, statim Bononiæ coronam Romani Imperij suscipere. Quam, vt omnibus constat, absq; vllius contradictione & impedimento, Romæ accipere, ac inde in C. M. S. Regnum Neapolitanum proficisci, & regni illius grauissima negotia, ad communem regni salutem & C. M. emolumentum summopere spectantia, expedire potuisset: Sed Cæs. M. commodis suis priuatis neglectis, cogitationem omnem, vt consueuit, ad communem orbis Christiani vtilitatem contulit, ac, vt primo quoq; tempore ad hæc comitia accederet, operam enixè dedit.

Etsi autem Turca Viennam, Deo prouidente, & virtute fortissimorum ducum & militis præsidiarij resistente, expugnare non potuerit: tantæ tamen clades & irrecuperabile damnum, Archiducatui Austriæ, hostis sæuitia illatum est, vt breui tempore restitui & recu-

& recuperari nequeat. Deinde licet exercitum suum reduxerit Turca, tamen in limitibus firma præsidia, Bassas & Duces reliquit, qui assiduas interea in Vngariam, Croatiam, & Germaniæ fines ad Stiriam & Carnos, incursiones fecerunt. Nec quidquam certius expectandum est, quàm vt oblata occasione commoda, cum eisdem, vel maioribus etiam copijs, & immaniore sęuitie (siquidem, proh dolor, coniunctos multis in locis fines cum Christianis habet) in orbem Christianum & Germanicam præcipuè nationem irrumpat, & sine intermissione adfligat & vrgeat, donec funditus eã deleuerit & extirpârit. Quas verò & quàm multas Tyrannus Turcicus, ante & post expugnatam Constantinopolim, vsq; ad paulò antè memoratas Vngariæ clades, occuparit ditiones, arces, vrbes & regiones: quantũ humani sanguinis fuderit: quanto pere labefactauerit Christianorum vires, & in quantas angustias orbem Christianum redegerit, id partim suprà expositum, & quia omnibus notum est, querelis & lacrymis potiùs deplorandum, quàm verbis explicandum erat.

Hanc Turcarum crudelitatem & immanitatem, tot Christianorum populorum & regionum amissione, & tanto sanguine humano nefariè profuso, perpetratam, omnia Christianæ Ecclesiæ membra & Imperij ordines, vera commiseratione meritò expendere, & de præteritis exemplum capere & statuere deberent, Si rursus in hoc negotio, vt antehac, cunctanter & remissè agetur, nec firmiore apparatu & fortioribus animis, immani Turcarum truculentiæ & impressionibus occurretur, non esse quòd vllam sibi salutem deinceps aut incolumitatẽ Christiani polliceantur, sed vna prouincia Christiana post alteram amissa, expectandum esse, vt Turcicę potentiæ breui omnes subijciantur.

Aliquot sanè Imperij comitia & conuentus, absente C. M. de incidẽtibus Imperij negotijs, ac inprimis de immanibus Turcarũ impressionibus, & qua ratione illæ auerti possint, celebrati sunt: quibus Cæs. M. etiam ipsa summa voluntate præsens interfuisset, nisi obiecta aduersariorũ & hostiũ suorum impedimenta eam hactenus retraxissent: sicut C. ipsius M. partim viua voce, partim literis per cõmissarios suos, in proximis comitijs, & aliàs indicari & absentiã suam excusari curauit. Sed tamen propter Imperij & Christiani orbis publicam salutem, ac vt Turcicæ clades & alia incõmoda auerti ab Imperio rectiùs possent: Cæs. M. cum Cæs. M. S. aduersarijs & hostibus, posthabita vtilitate priuata, & multũ de suo iure cedens,

inita concordia pacem fecit, & audita Turcæ in Germaniã impressione, & grauioribus, quàm antehac fuissent vnquam, Imperij difficultatibus cognitis: diutius reditum suum in Germaniam differre noluit, atque ita relictis hæreditarijs regnis ac subditis suis, non exiguo cum periculo mari se credidit: & in Italiam, adhuc magna ex parte hostibus suis plenam, traiecit, eamq; Dei beneficio pacauit. Quæ res Maiestatem illius etiam aliquantisper remorata fuit, quò minùs ad indicta Comitia celeriùs venire potuerit. sicut hæc ipsa impedimenta, & causas moræ nuper adhuc Electoribus, Principibus & ordinibus hîc congregatis per literas indicauit.

Intelligit etiam C. Maiestas ipsius, in proximis conuentibus & comitijs, aliquot notulas & designationes auxiliorum aduersus Turcas durabilium delineatas esse, quæ multò antè omnibus Imperij Statibus exhibitæ sint, vt singuli eas accuratiùs considerare & cum subditis expendere, & in proximis comitijs certi aliquid de perpetuis illis auxilijs determinari & concludi posset: sed nihil interea, ea de re, vt necessitas flagitabat, vel actum vel decretum est, & tantùm subitaria quædam auxilia aliquoties suscepta fuerunt: eáq; ex Maiestati suæ destinata ad coronationẽ Romæ assequendã, de consensu ordinum VVormatiæ promissa pecunia, quam tamen Cæs. M. nullo priuati detrimenti habito respectu, liberaliter ad S. Imperij & totius Christiani orbis defensionem aduersus Turcas impendi passa est.

Cùm autem articulus de necessarijs & perpetuis aduersus Turcas auxilijs, omnium primus & præcipuus sit, & non modò ad Sacri Imperij, verùm etiam totius orbis Christiani salutem plurimum momenti habeat, ac non leue sit in mora periculum, cùm quælibet hora dilati auxilij damnosa esse possit, si nõ primo quoq; momento obuiã eatur atrocissimo hosti, qui inexplebili Christiani sanguinis siti flagrans nunquam cessat, sed continuo ac indefesso ardore Christianitatem persequitur & oppugnat, hunc finem vnicè spectans, vt totam sibi subiuget & tandem funditus extirpet:

Ideo C. M. S. benignissimè & clementissimè petit, vt Electores, Principes & Status Imperij omnes sine vlla longiore mora, causam istam de durabili ac perpetuo belli contra Turcas apparatu cõstituendo, tractandam suscipiant: ac, vt extrema necessitas flagitat, secundum prædictas & statibus exhibitas notulas, vel alijs commodioribus vijs ac rationibus monstratis, ita deliberent & dirigant, vt

tandem

tandem ineuitabiliter necessaria defensio aduersus Turcas, firmis & perpetuis copijs,ac sumtibus certis, & industria ac fortitudine & efficacitate in rebus gerendis felici, institui, suscipi & vrgeri possit, vt immanissimi Turcæ consilia & conatus, & crudeles orbis Christiani vastationes,per Dei omnipotentis gratiam auerti & frangi queant,& violenter ademta Christianis Imperia,regna,ditiones,vrbes, arces &oppida recuperentur,ac ipsi Turcæ,tandem etiam in suis ditionibus, fortes Christianorum exercitus experienti, æqua compensatione multiplices &atroces vastationes & sęuitia retalientur. Pontifex etiam maximus liberaliter Cæs. M. ipsius promisit, se omnia, quæ proficiscì ab eius sanctitate possint, cõsulere & agere, & nihil eorum, quæ vtilia & salutaria esse præsenti negotio poterunt, prætermittere velle.

Adhæc Cæsarea Maiestas quoq;,licet pecuniã in comitijs VVormatiensibus,communi ordinum consensu sibi aditer Romanum & coronationem, promissam,ad hanc necessariam defensionem aduersus Turcas impendendam sponte concesserit, ac recens coronam Imperij,proprio, eóq; non exiguo sumtu, acceperit: præter ea immensos sumtus bellorum proximis annis , qui multos auri milliones excedunt , sustinuerit: tamen nihilominus, vt æquum est, clementissimè offert & promittit, se,omnibus regnorum & regionum suarum viribus collatis,vt Cæsare Christiano tali tempore dignum est,declaraturam esse,vt omnes,summi & infimi,reipsa intelligant,nihil hac in parte in C.eius M.quod ad firma & amplissima auxilia suppeditanda attinet,desiderari potuisse.

Nec dubitat C. eius M. Fratrem Ferdinandum , Vngariæ & Bohemiæ Regem,qui iam totius orbis Christiani,& Germaniæ præsertim,communeaduersus sæuientes Turcas propugnaculum est, sua quoq; persona & suorum regnorum, ditionum ac subditorum viribus cunctis, non minus auxilij & opis ad communem defensionem collaturum esse, quemadmodum hactenus semper fecit, & cursum victoriæ Turcicæ, ne vlteriùs in Germania progrederetur, feliciter repressit. Sperat etiam C. M. omnes cæteros Christianos Reges,Principes & potestates,in hoc Christiano negotio, vt communis necessitas flagitat, & ipsos docet, piè & Christianè se gesturos esse, quorum nonnullos iam Cæsarea Maiestas eo nomine requisiuit, & deinceps etiam , vt causæ necessitas postulabit, appellatura est.

Porrò

Porrò quod ad dißidia & controuerſias, de ſancta fide & religione Chriſtiana pertinet: magno cum dolore Cæſarea M. ſtatim poſt primam inaugurationem in Imperio intellexit, diſſidia illa & diſtractiones, in quibuſdam Germaniæ locis exortas eſſe, & radices alicubi egiſſe. Quare C.M. tanquam Romanus Imperator & ſupremus aduocatus & defenſor Chriſtianæ fidei, religionis, & eccleſiæ, pro officij ſui ratione, in primis Cæſ. M. ipſius comitijs VVormatiæ, de rationibus maturè occurrendi hiſce difficultatibus, & priuſquam altiùs inſiderent & latiùs manarent, eas auertendi ac præcidendi conſiderationem accuratam ſuſcepit, ac de conſilio & conſenſu Electorum, Principum, & cæterorum ſtatuum ad hæc dißidia & diſtractiones tollendas, EDICTVM publicum promulgauit, omninò exiſtimans, ſi Edicto illi obedientia præſtaretur, errores illos & incommoda inde ſecuta, non adeo latè propagatum iri.

Sed non conſiderata hac tota clementißima, maximeq; neceſſaria & benè deliberata actione, non exigua cum animi ſui moleſtia percepit Cæſarea Maieſtas, interea multis modis, prædictæ clementißimæ actioni contrauentum eſſe. vnde non modò reputationis Cæſ. M. imminutio & contemtus, verùm etiam diſceßio ab omnipotentis DEI mandatis, & aduerſus legitimos à Deo conſtitutos Magiſtratus contumacia multiplex ſecuta eſt. Quæ ipſius Imperij ordinibus magno incommodo fuit, & rapinis, incendijs, bellis & alijs malis, Domino Deo ſummè diſplicentibus, & ſanctæ fidei noſtræ aduerſantibus, & ad commune totius reip. exitium ſpectantibus occaſionem præbuit, ſicut multis non obſcuris documentis præcipuè in proxima Ruſticorum ſeditione & in Anabaptiſtarum dogmatis & tumultibus apparuit, & deinceps apparere & accidere poteſt.

Poſtquam igitur Cæſarea Maieſtas, vt dictum eſt, magno cum dolore animi comperit, hoc diſſidium Religionis paulatim latiùs & periculoſiùs auctum & diffuſum eſſe, neque tot ſedulis, præſtantibus, & accuratis actionibus ſuſceptis, hactenus ſublatum aut compoſitum eſſe: cogitauit tandem hoc diſſidium non commodiùs aut ſalubriùs auerti, & rurſus in concordiam redigi poſſe, quàm ſi Cæſarea Maieſtas ipſa actioni præeſſet. Ideóque natiua bonitate & clementia, hanc viam iuxta literas Indictionis ſuſcepit, omninò ſperans eam ab omnibus intelligentibus probatum iri, & aditum eſſe præbituram, ad communem concordiam, vt omnia iterum in bonum ſtatum deducantur, & Cæſarea Maieſtas, in clementißimo propoſito iuuanda ſalutis publicæ poßit perſeuerare.

Clementißimè igitur decreuit Cæſ. M. hanc cauſam ita ſuſcipere, deliberare, & concludere, vt non ſolùm de Turcarum irruptionibus in orbem Chriſtianum auertendis, verùm etiam de prædicto diſſidio & controuerſijs ſanctæ fidei & religionis Chriſtianæ tractari & concludi poßit & debeat:

Amanter & clementißimè ac diligentißimè ac ſeriò petens, vt Electores, Principes & cæteri ſtatus, in his omnibus, quantum ad vnumquemq; pertinet, conſentiant, & promouendi negocij cauſa, vnuſquiſque iuxta Cæſ. Maieſtatis literas Indictionis, ſuam opinionem & ſententiam de præſentibus FIDEI controuerſijs & de abuſibus, quos Eccleſiaſtici contra politicos, & vicißim politici contra Eccleſiaſticos, vel inter ſeipſos fortaſſe habent, germanicè & latinè ſcriptis comprehenſas exhibeant, vt hæc dißidia & controuerſiæ rectiùs intelligi & expendi, & ad vnam concordē & Chriſtianam veritatem citiùs reduci & cōponi poßint. &c.

Hac propoſitione facta, cùm primùm de Religione deliberandum

randum esse Principes censuissent: Electori Saxoniæ & coniunctis Principibus ac statibus mandatum est, vt fidei suæ confessionem, & sententiam de abusibus emendandis, scripto compræhensam, Cæsareæ Maiestati exhiberent.

Quatriduo pòst, 24. Iunij, festo Iohannis Baptistæ, post meridiem, in Senatu Imperij, assidente Carolo Imp. Ferdinando Rege Boëmiæ, & cæteris Electoribus ac Principibus Germaniæ, Cardinalis Campegius, Clementis VII. Pontificis legatus, ad concordiam in Religione & bellum Turcicum Principes cohortans, Orationem habuit, cuius exemplum, vt Augustæ tum in comitijs editum est, subijcio.

ORATIO CARDINALIS CAMPEGII.

SI hac causa, Carole Imperator, Ferdinande Rex Christianiss. vosq; cæteri cuiuscunq; ordinis, dignitatis & gradus illustriss. potentissimiq; Principes, de qua verba facturus sum, mea, non vestra, si priuata, non publica esset: Si ad vnius & non omnium salutem pertineret: veniret profectò mihi in mentem vereri, ne Maiestates & Celsitudines V. me de hac, non quidem pro dignitate, sed paucis tantùm differentem audire sustinerent. Sed ab hoc timore reuocat animum meum ea necessitas, quam mihi dicendi materiam vberrimam præbere, omnes intelligitis. Serpit enim, repitq; longiùs malum tristissimum, quod tot discordijs, dissensionibus & inimicitijs planiorem subinde sternit viam, & latiorem aperit fenestram. Atq; sanè hoc, quod in omnium oculis positum est, & multorum pijssimorum hominum animos dolore summo afficit, pluribus verbis demonstrare non necesse habeo, ne, quæ consolidare vulnera ipsa studeo, ea verbis refricare velle videar.

Eò enim curiosis prauorum hominum ingenijs Christiana religio redacta est, vt nunquam penè à primis salutis nostræ initijs magis laborauerit, ac tam varijs sectarum turbinibus, eodem in loco, Petri nauicula fluctuauerit, atque hoc ipso tristissimo & luctuosissimo tempore fieri videmus. quæ certè res non aliunde initium sumsit suum, aut progrediendo vires acquisiuit tam validas, quàm quòd præceptorum Christi immemores, à vera conseruandæ in Ecclesia cõcordiæ via declinauerimus. Ipse enim ad patrem suum cælestem ardentissimas preces fundens, non tantùm eos, quorum fides iam probata: verùm etiam, quorum animi adhuc fluctuantes, tamen paulò pòst crediturì essent, complectitur, vt ea ratione vnum essent, quemadmodum ipse in Patre, & pater in eo. A quo etiam præcepto nec illud alienum est, quòd propè cætis totius mundi æterno patri satisfacturus, & ex hac vita migraturus, discipulis postremum dedit mandatum, vt se inuicem diligerent, ex ea mutua dilectione fore affirmans, vt omnes cognoscerent, quòd sui essent discipuli. Verùm hoc non tantùm ex iam cõmemoratis patet & manifestum euadit scripturæ testimonijs: sed multi alij quoq; sunt Sacrarũ literarũ loci, ex quibus

videre

videre est & animaduertere, Christum nihil frequentiùs in ore habuisse, & auribus discipulorum suorum sæpius & diligentiùs inculcasse, quàm mutuam beneuolentiam, ardentẽ dilectionem & charitatem. Ad hoc vas quoq; electionis Paulus docuit, charitatem alijs omnibus virtutibus præferri, quòd sit vinculum perfectionis, diligere proximum sicut seipsum, & quòd hoc omnis lex compleatur, & quòd, in quibus nõ exercetur charitas, illi à vera via aberrantes in vaniloquium delabantur, & tanquam æs sonans ad omne opus bonum inutiles reddantur.

Horum mandatorum, Carole Imperator, Ferdinande Rex Christianiß. cæteriq; Illustrißimi Principes, si memores fuissemus, illa si penitiùs oculis nostris introspexissemus & accuratiùs animis considerassemus, non tot dissensiones ac corruptelæ, non tam tetræ horribilium opinionum confusiones, non tam audaces multorum paradoxorum assertiones, ac deniq; non tot perniciosi errores ac doctrinæ labyrinthi in Ecclesia exorti essent ac radices egissent.

Sed vt in politico regimine, si qui à legibus Magistratus recedentes, ac nouas sibi constitutiones sequendas proponentes, non tantùm communem hominum societatem perturbant & irrequietam reddũt: verùm etiam horribilẽ ἀναρχίαν in politias introducunt & inuehũt. Ita leuibus ingenijs praditi homines suapotiùs somnia, quàm verbi Diuini oracula proposita habentes, absurda & intoleranda in religione παράδοξα nullo non tempore comminiscuntur: & in Ecclesiam ea inuehentes, pijs huius membris, & surculis Christo insertis probanda & sequenda obtrudunt. Quod cùm nostris etiam temporibus multi arroganter tentare, & re ipsa aggredi, proh dolor, non sint veriti, eò res processit, vt à Christiana charitate & mutua beneuolentia discedentes, in asperrimas inimicitias & acerbißimas contentiones inciderimus.

Atqui illa doctrinæ & rituum quorundam mutatio, non tantùm Ecclesiam tristißimè lacerauit: Sed in politiam quoq; inuasit & horribiliter est grassata. Vt enim impia dogmata & absurdas opiniones in illã intulit: ita in hanc horribilia, funesta & sæua bella atq; detestandas clades inuexit, per quas non modò lacerata, & penè excisa vtraq;: verùm etiam nobilißima Germaniæ prouincia in eum statum est adducta, vt vix vmbra appareat florentißimæ illius & pulcherrimæ constitutionis, quam ante annos non ita multos videre licebat.

Cuius calamitati & nutanti atq; labanti statui opem ferre cupientes quidam Rom. Pontifices, nullis occasionibus, nullis precibus, nullis ad conuentus Germaniæ mißis legationibus efficere & obtinere potuerunt, vt hæc religionis dißidia tollerentur, Ecclesiæ vulneratæ sanarentur, & pax atq; concordia inter eiusdem Doctores coalesceret. Quorum infelices, & hactenus euentum optatum nullum sortiti conatus, etsi Clementem huius nominis VII. Pontificem Maximum ac Pastorem vigilantiß. minimè laterent: tamen ne ipse quoq; aliquid intentatum reliquisse, vel suo officio non omni ex parte satisfecisse videretur, mihi Legato suo hanc prouinciam demandauit, vt vestris Maiestatibus & Celsitudinibus in hoc pulcherrimo conuentu congregatis præstò essem, atq; ad ea, quæ pacis & reconciliationis essent, hortator diligẽs existerem; ac deniq; in medium consulendo, res Ecclesiæ collapsas ac penè protritas & concisas erigerem, sanarem & in integrum restituerem.

Cùm enim inuictißimus Imperator Carolus Quintus hac Comitia, velut præcursorem quendam, instituerit, qui salutare aliquod remediũ periculoso & nimis inueterato morbo afferat atq; faciat, Clemens quoq; septimus, Pontifex Maximus in bonam spem venit fore, vt multi errorem agnoscentes & reijcientes, ad pientißimam matrem Ecclesiam Romanam redeant, hac ratione dißidia Ecclesiæ tam tristia & periculosa componantur, ac deniq; pristina pax & concordia tot piorum votis, ac tam longo tempore expetita & exoptata, rursus coalescat

atque

atque coëat. His enim hæresibus diutius & latiùs in Ecclesia hærentibus ac serpentibus, & communis tranquillitatis hostibus nõ sublatis, neq; Ecclesia ab errore vindicari, neque resp. commodè constitui & administrari poterit.

Quod Maiestates & Celsitudines Vestræ, Inuictißime Imperator, Christianißime Rex, cæteriq; Illustriß. Principes videntes, simul intelligunt, quàm graue onus, quàm pium atq; sanctum negocium, nostrum omnium humeris sustinendum & transigendum incumbat, ac quanta deniq; maximarum rerum momenta à nostris consilijs pendeant. Quæ nisi expediuerimus, Ecclesiæ res nutantes ac vacillantes nisi nostra autoritate fulciuerimus, hæreticos & communis pacis turbatores nisi iusta animaduersione puniuerimus, nihil aliud futurum esse certò nobis persuadere poßumus, quàm totius Ecclesiæ tristißimam confusionem, omnium politiarum sapienter constitutarum extremam euersionem, humanorum cum diuinis turpißimam commixtionem, ac deniq; barbaros & ferocißimos quosq; in pia Christi membra liberè grassaturos, nullumq; ampliùs in his terris humanitati locum reliquum futurum. Si verò his malis tam atrocibus mederi in tempore studebimus: si Ecclesiæ dißidia componere, rixas tollere & animos reconciliare conabimur: si pacem ac tranquillitatem publicam recuperare, & recuperatam confirmare nitemur: Ecclesiæ salus salua & incolumis permanebit, curriculum vitæ in terris & inter homines sine errore absoluemus, tranquillam & honestam vitam agemus, ac deniq; factum & institutum nostrum optimis quibusq; probabimus.

Quæ cùm ita sint, sedulò cohortor, fraterneq; admoneo Maiestates ac Celsitudines Vestras, per æternam illam salutem, quam intercedẽte & mediante Domino nostro Iesu Christo, post hanc mortalem & miseram vitam cõsequemur, vt in ijs quæ ad reconciliationem & pacem publicam faciunt, eam rationem adhibeatis, quam prudentißimos viros, ad tam grauẽ rem componendam & transigendam delectos, habere oportet. Quod vt faciliùs fieri poßit, hæreses tollantur, & animi concilientur, Illustrißimis Electoribus, Principibus & omnibus Imperij ordinibus prima & vnica cura sit, præcipuus labor & serium studiũ Imperatori Inuictißimo obsequi & morem gerere, in omnibus ijs, quæ Maiestas ipsius, de causa religionis & Christianæ fidei articulis, constituta & rata esse voluerit.

Cuius quanta hactenus de Ecclesiæ & Reip. salute, pace, quiete, concordia & tranquillitate pristina recuperanda, firmanda & conseruanda fuerint consilia, qui labores atq; conatus, adeò perspectum & notum omnibus esse arbitramur, vt nulla hominum malitia, aut inuidorum maledicis voculis, existimatio, autoritas, nomen, honórue ipsius in dubiũ vocari, deformaxi aut ladi posse videatur. Semper. n. in id summopere incubuit, vt publica bona priuatis anteferret, salutem Ecclesiæ & Reip. quæreret ac propagaret, ac deniq; actiones & conatus suos omnes, non pauciùs ijsq; stolidis & omnis recti iudicij expertibus: sed grauibus ac prudentibus viris, Deoq; Opti. Max. corda ac renes scrutanti probaret. Atque hoc ita esse nemini obscurum aut ignotum esse potest, qui diligentiam, pietatem & labores in resarciendis dißidijs & consulendo Reipublicæ cognita & perspecta habet. Sed longum foret, de præstantißimis felicißimi Imperatoris virtutibus sigillatim dicere, quæ cùm ita notæ & laudatæ sint, vt alienis verbis ornari non opus habeant, ac Inuictiß. Imperatoris ea sit ingenuitas & modestia, vt se præsente laudari eas & recenseri nolit, alias, quæ his meritò addi debebant, prudens prætereo.

Hæc igitur, Germani Principes, cùm in Celsitudines Vestras profecta sint Cæ. M. beneficia, hæc cùm Inuictißimi Imperatoris in vos constent merita, eam animi gratitudinem in animis vestris repertum iri non dubito, quæ non modò accepta beneficia summis laudibus extollat

& prædicet:

& prædicet: verùm etiam C. M. in omnibus libentißimè gratificetur & morem gerat. Operam igitur date, Illuſtriſſimi Principes, vt perſonam, quam ſuſtinetis, & à DEO ipſo demandatam prouinciam, Deum ſolum præ oculis habentes, ita geratis & adminiſtretis, vt omnibus & ſingulis meridiana luce magis clarum & manifeſtum euadat vos ſanctæ Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ (quæ vos filiorum nomine ſemper eſt dignata) & cõmunis pacis ac tranquillitatis rationem maximam habuiſſe. Ego vicißim polliceor omnẽ operam, indefeſſum ſtudiũ, debitam diligentiã & ſolicitam curam, in ijs omnibus efficiendis & obtinendis, quæ Pontifex Maximus pro Eccleſiæ ſanctæ communione & incolumitate, pro pace & tranquillitate publica conſeruanda, ſalua pietate concedere & impertire poterit.

His de abijciendis erroribus & ſanandis Eccleſiæ vulneribus dictis, ad vos venio, Principes Germani, de altera quoq; particula, & ea quidem perneceſſaria verba facturus, ad quam proponendam & explicandam, ſi ea mihi verba ſuppeterent, quæ animos veſtros excitare & mouere poſſent, vt me non fictitia aut falſa, ſed veritatem ipſam dixiſſe intelligeretis: abundè ſatis me conſecutum eſſe, ac Chriſtianæ Reip. inpoſterum meliùs proſpectum iri planè mihi perſuaderem. Hoc autem in loco nõ tam inconſideratos & incogitantes, neq; adeò rerum omnium imperitos & ignaros vos dixerim, qui ſcire non poßitis, hactenus non ſemel, ſed aliquoties, Dei immortalis templa, domos, ſedes, aras, focos, ſepulchra maiorum, leges, libertatem, coniuges, liberos, amicos & patriam ipſam in præſentißimo periculo verſatam ac poſitam fuiſſe. veſtra, totiuſq; Imperij iura ferè in immaniſſimi Turcici Tyranni poteſtatem veniſſe, ac campos veſtros piorum hominum nefariè trucidatorũ ſanguine ſtagnaſſe, eumq; multa hominum millia in miſerabilem ſeruitutem abegiſſe. Quam quidem Chriſtianorum hominum ſtragem triſtiſſimam, tantò magis veſtrum omnium animos afficere, angere, contriſtare & excruciare credo, quantò naturæ eſtis & generoſiores, & maiori pietate, & humanitate exculti.

Conſiderate igitur quæſo, Illuſtriß. Germaniæ Principes, in quem ſtatum turbulentum & triſtem, omnes Germanicæ nationes, à truculentißimo Turcarũ Tyranno, adductæ ſint, & grauißimis periculis noſtrum omnium ceruicibus impendentibus moti, libertatem & ſalutem communis patriæ acriter defendite, & cum inſigni gloria mori, quàm turpißimam ſeruitutem obire, & ſummã ignominiam pati, glorioſius & melius iudicate. Nam immaniſſimum hoſtem nihil aliud cogitare, aut propoſitum habere, quàm vt omnes Chriſtiani nominis participes ſub ſuam poteſtatem redigat, in ſeruitutem triſtem & miſerabilem abigat, & extra naturæ fines exterminet, vel ex eo apparet, quòd de inueterato odio, & lupinarabie erga Chriſtianos concepta nihil remittit: ſed illam auget & confirmat indies, ac plures ditiones, regna & Imperia, cum Chriſtianorum omnium ſummo detrimento & dedecore, ſuis finibus addit, Imperij ſui terminos extendit ac dilatat, multa nobis adimit, amittit pene nihil, dum nos nobiſcum bella funeſta & inteſtina gerimus, nec gentem tam crudelem, efferam barbaram & impiam priùs vinci & ſuperari poſſe credimus, quàm horridis bellis, inteſtinis inimicitijs, funeſtisq; digladationibus ipſi planè conciſi, debilitati & afflicti ſimus. Atq; hæc ita ſe habere, nemo eſt, qui, ſalua pudore, inficias ire poßit, dum multi patriæ flammam, incendium & excidium non modò non perhorreſcunt, verùm etiam fouere & augere ſtudent, ac occidentia mala rurſus excitãt & inflammant, bellum ſalutare, pacẽ perniciоſam eſſe exiſtimantes. Germaniæ igitur in tot ac tam infeſtas diſtracta partes & inuicem diuiſa ferociſſimo hoſti commodiſſimã occaſionem præbet, armis nos inuadendi, & non tantùm neceſſaria vitæ ſubſidia auferendi, verùm etiam vitam ac fortunas noſtras petendi. Quæ enim ipſius vis, quæ cædes, incendia, rapinæ, populationes, vrbium excidia,

um excidia, fugæ, captiuitates, prædæ, fœda atq; inhumana omnia, iam pridem nimis est pervulgatum & auditum.

Quarum cladium cõmemoratione, cùm aures nostræ commoueantur, animi cohorrescant, & totum corpus stupore quodam obducatur, an non euigilare, & pro communi omnium Christianorum salute excubare, vim & iniuriam illatam propulsare, dulcissimam patriam à tanta tyrannide, & summa hostis immanissimi crudelitate defendere, ac pristinam gloriam & nominis nostri dignitatem nobis ipsis asserere deberemus?

O nos languidos & segnes! ô nos stupidos & vecordes! ô rigidos & lapidei cordis homines! Ipse nos tantis cladibus afficit, nobis tot vrbes & castella eripit, cædes minatur, seruitutem, bella & exilia denunciat: nos tantis periculis parum moti, ocioſi sedemus calamitatis nostræ spectatores, ac nostræ salutis defendendæ gratia, cum immanissimo hoste bello decernere subterfugimus.

Annon ex omnibus circumstantijs colligere & videre est, breui futurum, vt imperio tanti tyranni subiugemur omnes, liberi nostri, carissima pignora, nobis inspectantibus, quasi per lusum in frusta conscindantur, & coniuges ac filiæ nostræ, tenerrima corpuscula sua, efferæ immanissimi hostis libidini turpissimas cloacas præbere & substituere cogantur? Hæc cùm ante fores sint pericula, hæ cùm aliquoties nos oppresserint calamitates, cur dormitamus & cunctamur diutius. Quis igitur tantũ callum animis & oculis nostris obduxit, vt mala tam grauia & omnibus cõmunia intelligere & videre non possimus? Qui veternus & sopor vires nostras adeò occupauit, vt ad tantarum rerum auditum expergisci nolimus? Qui noster est immisericors & durus animus, vt tantis Patriæ & omnium Christianorum periculis & calamitatibus non afficiatur?

Hoc enim tempore, & in hoc negocio, ne lentè, ne cunctanter, ne remisse agamus, causas habemus grauissimas, cùm omnia illa turpia & crudelia flagitia atq; facta, quæ hostis ille Christiani nominis atrocissimus & sitientissimus, longo nunc tempore in alios exercuit, parua interiecta mora vel in nobis ipsis, vel in posteritate nostra simus experturi. Quæ deinde non tantùm auribus audire, quod aliquantò longiùs à dolore abest, verùm hisce, hisce, inquam, oculis nostris intueri cogemur. Quæres quantũ omnibus & singulis mœroris, acerbitatis, doloris & ignominiæ paritura sit, qui non videt ac intelligit, plus quàm cæcus & amens meritò censetur.

Si igitur animis vestris aliquis tantùm humanitatis sensus ineſt, si amor erga patriam (pro cuius incolumitate vitam profundere quis bonus dubitet?) nõ planè est extinctus, si liberorum, coniugum & amicorum salute afficimini, expergiscamini quæso, Proceres, expergiscamini, inquam, & abiectis contentionibus, funestis ac turbulentis periculosissimisq; dissidijs sublatis, in vnum animis coalescite, ac ceruicibus humerisq; vestris, nisi in disijciendis, auertendis & propulsandis illis diligentes, vigilantes & circumspecti fueritis, imminentes ac impendentes clades depellite, hostem efferum & immanem eijcite & exterminate ex Germania, ne Christiani nominis professores ad internecionem omnes deleat, ne nobilissima Germaniæ prouincia, omnis pietatis & doctrinæ præcipua sedes, trucidatis Christianis & sublatis ordinum gradibus arx fiat blasphemiæ Mahometicæ & turpissimum Turcicorum latronum stabulum, atq; ita hæc in suscipiendo & gerendo contra Turcam bello, mora & ignauia, non modò vobis sit dedecori, verùm etiam summo detrimento & exitio.

Si enim immanissimi hostis libido in innocentes quosq; grassandi & inuadendi non inhibita fuerit, si conatibus tam diris & cruentis non obuiam ibitur: si hostis tam potens, sæuus,

impius, obscœnus, auarus, libidinosus & crudelis non communi Germanorum consensu & coniunctis viribus oppressus, & ex Germania eiectus fuerit: quid quæso nobis omnibus præter captiuitates, fugas, cædes, excidia & omnis generis alias calamitates & miserias expectandum erit? quibus oculis hostis insolentissimi victorias tam cruentas intueri poterimus? ac quis deniq; insatiabilis & inexplebilis libidinis & cupiditatis, omnia subiugandi & funditus perdendi, finis omninò est futurus?

Non enim est quòd suspicemini, ipsum tot victorijs clarum & spolijs auctum, in posterum de odio suo erga Christianos concepto aliquid remissurum, aut regnis subiugatis contentum fore: sed vt fama nimis, proh dolor, certa vagatur, imperium suum insatiabili propagandi & extendendi studio, prima quaq; occasione, validissimo exercitu conscripto, Pannoniæ fines, & inde Germaniam, aliasq; nationes furibundus & populabundus est inuasurus. Liber enim ei est aditus, & expedita patefacta via, cũ Buda & Belgrado, ciuitatibus illius regionis munitissimis expugnatis & captis, ac Christianis Principibus intestinis bellis detentis, nemo sit, qui effrenatæ audaciæ resistat, impetus ferocissimos inhibeat, aut sanctæ Ecclesiæ & communis patriæ salute afficiatur.

Per Deum igitur obtestor vos, ô Germani Principes, vt aliquandò, non alieno, quod sapientis, sed proprio malo edocti, ferrum, quo vos inuicẽ confoditis & trucidatis, in immanissimos hostes stringatis: validissimas vires, quibus Germaniæ prouinciã labefactatis, in truculentissimum Tyrannum conuertatis: consilijs, quibus in vosmetipsos & viscera vestra sæuitis, ad Turcam penitus debellandum, & vestra recuperanda vtamini. O ferreos & inhumanos, si ex hoc loco vobis persuaderi non patimini! ô impios & malignos, si pro Dei gloria pugnare & arma capere subterfugitis! ô amentes & inconsideratos, si pericula imminentia non perpenditis! ἀσόργους & crudeles, si liberorum, coniugum & amicorum clade accepta, non afficimini!

Quid enim vos à bello tam necessario, & instituto tam sancto auertere & auocare possit, non video, cùm hostes, cum quibus bella gerere & manus conserere debetis, molles sint & effœminati; vos verò duris assueti laboribus & in pugnis educati: Illi choreis ducendis, vos armis tractandis assuefacti: Illi omnibus rebus destituti & artis militaris ignari, vos militum fortitudine & Ducum peritia excellentes: Illi iniustũ bellum gerentes, vos iniurias illatas propulsare conantes: Illi aliena appetentes & crudeles, vos vestra defendentes & iustitiæ studiosi: Illi odio Dei bellum gerentes, vos gloriam Dei à tanti hostis contumelia vindicare conantes: Illi Mahometis mendacis sui prophetæ opem & auxilium implorantes, vos Seruatoris nostri Iesu Christi virtute & manu iuuari petentes. Quorum igitur conditio nunc melior sit, & quibus iustior bellandi causa, nisi res ipsa loqueretur, pluribus & clarioribus argumentis & verbis iste demonstrare & planum facere conarer.

Sed quia de causis, ob quas arma capessenda & bellum sit gerendum, satis sufficienter dictum esse arbitror: nunc, quibus auxilijs id faciliùs incipere & feliciùs perficere possitis, sum additurus.

Primùm igitur vestræ partis Inuictissimum & potentissimum Imperatorem eum habetis, qui vel instructissimas copias, nutu profligare & abigere, nullo tormentorum genere vsus, arces validissimas expugnare & disijcere, altissimas turres ex imo euertere, ac nullo cinctus gladio, vel galea tectus, fortissimè pugnare & victoria potiri potest. Si, qui sit, quæritis: DEVM dico, quem tantis Domini nostri Iesu Christi contumelijs irritatum nominis sui gloriam nõ vindicaturum, aut iustissimæ causæ non patrocinaturum esse qui dubitat, non hominem sed belua, non

Christia-

Christianus, sed Turca, non pius, sed ἄθεος & meritò censetur. Igitur ad ipsum animos vestros tol lite, in eum spem ac fiduciã vestram reponite, cum eo stet q3 cadat q3 salus, incolumitas, victoria & triumphus vester: ipse vos vestras q3 copias armabit Spiritu lætitiæ, ipse vobis bona & vtilia consilia suggeret, acies instruet, animos addet, commeatum vel cælitus demittet, & omnia alia subministrabit necessaria: modò Maiestatem & nomen ipsius à spurcissimi hostis summa contumelia & blasphemia strenuè & fortiter vindicaueritis.

Quòd si de humanis quoq3 auxilijs soliciti eritis & quæstionem instituetis, neq3 hîc quod respondeam, deesse potest. Omnium enim Christianorum Regum & principũ etiam exterorum subsidiariæ & auxiliares copiæ vobis nequaquam deerunt. Heluetij, gentes fortissimæ & bellicis rebus gestis clarissimæ consurgent, Galli, Britanni, Belgæ, auxilio non sunt defuturi, Bohemi, Vngari, Poloni, vires suas coniuncturi, coniunctis animis & armis hostiles conatus elident, hostem profligabunt ac spolijs onusti triumphabundi reuertentur. Nec Clemens Pontifex Max. Pastor vigilantissimus vllis sumtibus in bellum tam pium, iustum & necessarium faciendis parcere destinauit: vt de tot Imperij liberis ciuitatibus nihil dicam, quarum vires coniunctæ tantam immanissimi hostis vim vel solæ sustinere & fortiter replere possent.

Nec de victoria & spolijs reportandis dubitare potestis, quoties tot Principes & Heroas, iuuenta simul & corporis specie atq3 robore præstantes aspicitis. Tanta enim est nominis & famæ eorum claritas, tanta corporum proceritas & robur, vt, qui eos intuetur, non modò non magnopere formidandos Turcas iure putare: verùm etiam certissimam victoriam sibi polliceri possit. Vobis enim peritissimi Duces adsunt, robore & multitudine militum excellitis, vestris hostibus nõ solùm superiores, verùm etiam fortiores: iustiorem causam, quàm ipsi, defenditis, bellum legitimum geritis, necessitate coacti pugnatis, & sumtibus omnibus q3 alijs rebus ad bellum gerendum necessarijs abundatis. Quæ igitur rationes & causæ esse possunt, ob quas bellum tam vtile, necessarium, gloriosum, pium & honestum detrectetis?

Cur oscitetis? cur hæc quasi clausis auribus vobis narrare & occinere patiamini? cur tantarum rerum & miserrimarum cladium commemoratione animi vestri non commoueantur? Cur hostem tam sæuum, contumeliosum, blasphemum, rabidum & immanem non vlciscamini? proh Germani Principes, gens formidolosa & præpotens, pigrine nunc & socordes eritis, quorum virtus & fortitudo, olim omnibus exteris gentibus, non solùm nota, sed & formidolosa fuit? Surdi nunc & inexorabiles, quorum amor & pietas erga Patriam multis cõmendata monumentis extat? In proprijs sufferendis iniurijs, & patriæ periculis arcendis tam lenti & cunctantes, qui iniuriam exteris gentibus illatam non solùm propulsare, sed & vindicare strenuè studuistis? Quin igitur & nunc idem vobis sit animus, & moras tam perniciosas rumpatis, arma iustissima induatis, hostem è communi patria eijciatis, & animis conciliatis & intestinis bellis sopitis, vires coniungatis, patriã, vrbes, ciuitates, oppida, vicos, arces, domos, focos, libertatem, natos & coniuges vestras à tanti hostis rabie & truculentia, pristina virtute & solito studio atq3 cura defendatis, vt luctuosam & miserabilem vitam, tristem seruitutem, filiorum & coniugum contumeliam atq3 stupra, agrorum populationes, vrbium excisiones, ac necem & mortem ipsam effugiatis. Si enim Turcicos exercitus longiùs progredi passi fueritis, si Tyrannicos conatus non compescueritis, nec vim hostilem repellere studueritis: Non, quis rerum vestrarum status futurus sit, est quærendũ: sed an vobis vllus in his terris locus sit futurus reliquus, solicitè est dispiciendum.

Cùm igitur tanta instet necessitas, quanta multis retroactis annis nulla fuit, cùm satis

superq; mutuis vulneribus & intestinis bellis inter vos digladiati fitis, cùm satis longo & diutino dissidio rem eò adduxeritis, vt non tantùm Germania, verùm etiam exteræ nationes vim & Tyrannidem Turcicam reformidare incipiant: Vestri etiam officij erit, vt, qui horum malorum autores extitistis, vestra prudentia ea rursus sedetis & tollatis, qui vestris manibus vulneratam periculosa Ecclesiæ & Reip. inflixistis, ea vestris remedijs atq; cura ad cicatricem reducatis, qui in diuersas distracti partes, communis patriæ & Ecclesiæ res omnes extremè labefactastis, ea nunc vestra concordia & vnanimi consensu atque consilio rursus erigatis, sarciatis & confirmetis.

Quod si feceritis, prudentes & prouidi: sin neglexeritis, insipientes & inconsiderati iudicabimini. Quod si feceritis, circumspecti & seduli: sin distuleritis, socordes & negligentes existimabimini. Quod si feceritis, communis patriæ res iuuabitis, dignitatem & Maiestatem Imperij Romani amplificabitis, & concordiam publicam restituetis: sin neglexeritis, eas, quæ reliquæ sunt Germaniæ facultates, prorsus pessundabitis, Imperium Romanum vestra virtute partum & acquisitum turpiter amittetis, ac mutuis discordijs ac dissensionibus omnia replebitis.

Igitur cùm tantarum calamitatum & cladium tristissima mala, iam in vos vestros q; sint experrecta, ac nullo alio tempore magis, quàm hoc, publica pax & concordia, inter Principes Germanos, cum ad religionem Christianam defendendam, tum ad propulsandas hostis immanissimi summas iniurias & truculentos conatus infringendos, necessaria fuerit: per ipsam Saluatoris & Redemtoris nostri mortem, per vestram & patriæ vestræ salutem & incolumitatem vos obtestor atq; moneo, vt, abiectis erroribus, ac priuatis iniurijs & odijs CHRISTO condonatis, in vnum animis coalescatis, ad communis pacis commoda & ornamenta retinenda & augenda, DEI Optimi Maximi gloriam, eiusq; filij, Domini nostri IESV CHRISTI gloriosum nomen, à Turcica contumelia & blasphema spurcitie vindicandum, communis patriæ libertatem defendendam, Romanum Imperium extendendum, & nominis vestri famam amplificandam & propugnandam, omnia vestra consilia, omnes q; cogitationes & actiones vestras defixas habeatis, tantis spolijs & victorijs Germaniam ornetis, & nos omnes à tristi clade & communi periculo liberetis & defendatis.

Ad quam rem fortiter incipiendam & feliciter perficiendam, Clemens Pontifex Maximus, Petri successor & Pastor vigilantissimus, omnibus hanc expeditionem sequentibus, salutem & benedictionem Apostolicam optat atq; precatur.

DEVS, omnium bonorum consiliorum & factorum autor & gubernator, ita regat & gubernet mentes vestras, vt, quæ in his Comitijs agenda suscipitis, & perficienda decernitis, ea omnia ad ipsius nominis gloriam, Ecclesiæ concordiam, & communis Reipublicæ pacem ac tranquillitatem spectent atq; cedant. DIXI.

Huic Cardinalis Campegij orationi, cùm Archicancellarius Imperij, Archiepiscopus Moguntinus breuiter respondisset: *Cæsaream Maiestatem, Regem Ferdinandum, & cæteros Electores ac Principes, omnia quæ ad tollenda doctorum dissidia, & concordiam ecclesiæ restituendam, & Turcarum rabiem ab orbe Christiano depellendam pertinerent, summa fide & diligentia in his comitijs deliberaturos, & executioni daturos esse:*

Postea

Postea legati quinq; regionum Austriacarum, Infra & supra Anasum, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, de acceptis à Turca superiori autumno calamitatibus per Sigismundum à Dieterichstein lugubri oratione conquerentes, & auxilia petentes, auditi sunt.

Quibus dimissis, consurgens Elector Saxoniæ & coniuncti Principes, se iuxta Cæs. M. mandatum, Confessionem fidei suæ, latinè & germanicè scriptam complexos esse, exponunt: quam publicè in confessu Imperij prælegere & Cæs. M. exhibere cupiant. Cæsar sibi tradi scriptum, atq; deponi iubet. Illi contrà, cùm non dubitent, multa de ipsorum doctrina, secus ac res habeat, ad Imp. & Principes delata esse, cumq; in ea causa, ipsorum non modò existimatio & fortunæ omnes, verùm etiam animæ salus vertatur, se publicè audiri subiectissimè petunt. Cæsar se postridie eos domi suæ auditurum esse pollicetur, sed confessionem scriptam sibi statim exhiberi flagitat. Illi denuò, scriptum sibi, donec recitatum sit, relinqui, & in publico omnium Imperij ordinum cõfessu, confessionem suam audiri vehementissimè instant. Tandem Cæsar, vt scriptum, donec recitatum fuerit, retineant, assentitur: verùm non in publica audientia, sed in Cæs. M. S. palatio postridie illud recitari iubet.

Id, altera statim die, 25. Iunij, manè, Elector Saxoniæ, & Theologi ipsius, Luthero significant, & quæ hactenus inter Cæs. M. & Electorem Saxoniæ in Religionis negotio acta sint, exponunt.

IOHANNES DEI GRATIA DVX SAXONIAE, ELECTOR, &c. D. MARTINO LVTHERO, S. D.

INTERMITTERE non possumus, quin clementer vobis, qualis in præsentia causæ nostræ & confessionis verbi Diuini, quam suscepimus, status sit, significemus. Quamprimùm enim Cæsarea Maiestas Augustam ingressa, de equo descendit, à nobis & coniunctis nobiscum in hac causa flagitauit, vt conciones intermitti curaremus. Etsi autem eodem vesperi & postridie Cæs. M. ne id fieret, subiectissimè, indicatis rationibus grauissimis, orauerimus: tamen obtinere illud nequiuimus. Sed tandem nobis indicatum est: C. M. grauibus de causis, vtriq; parti conciones prohibere, & tales Concionatores constituere velle, qui Euangelion purè sincereq; prædicent, ne quisquam se animæ pabulo salutari destitui, iustè

tui, iustè queri posit. Præterea Regem Vngariæ & Boëmię, C.M. fratrem, Fabro etiam concionandi facultatem nõ concessurum esse. Postea Imperator concionibus in tota vrbe interdixit, ac interdictũ illud, in omnibus plateis, per Fecialem, præcinentibus duabus tubis, proclamari mandauit.

Intelligimus autem, Concionatores à Cæsare constitutos, plerumq; non plus quàm nudum textum Euangelij recitare: Cætera, quæ addunt, puerilia & inepta esse. Ita Domino Deo nostro in his comitijs silentium impositum est. Quanquam non tam optimo Cæsari, quàm nostris aduersarijs, ac Ecclesiasticis Principibus, Euangelij hostibus, illud imputemus.

Præterea nos, cum cæteris Principibus & ordinibus in hac causa coniunctis, promittere oportuit, Nos sententiam & confessionem fidei nostram, scripto expositã, exhibituros esse. Sed aduersarij nostri, vt nobis refertur, nihil exhibere, sed Cæsari indicare volunt, se Edicto Cæsareo obtemperasse, & fidem à maioribus acceptam retinuisse & deinceps retenturos esse. Quòd si Papa, vel illius Legatus cum C.M. aliam nouam fidem ipsis tradere vellent: se C.M. sententiam subiectissimè audituros esse.

Ita die Iohannis Baptistæ, cum nostris in religione coniunctis, coram C. M. Rege Boëmiæ, Electoribus & ordinibus in publico conseſſu comparuimus: ac obtulimus nos, iuxta C.M. mandatum, ad Articulos nostros, latinè & Germanicè exhibendos, & Germanicos publicè recitandos. Verùm vt publicè Articuli nostri eo, quo petebamus, modo legerentur, sæpe etiam ac subiectissimè precando, impetrare non potuimus: cùm Rex & aduersarij nostri omni conatu id impedirent.

Tantum autem obtinuimus, vt hodie C. M. articulos nostros in C. M. S. palatio audire velit. Quod eam ob causam ita institutum est, ne multi homines interesse recitationi possint.

Omnipotens DEVS deinceps etiam sua gratia nobis adsit, & causæ exitum, ad suam laudem & gloriam, gubernet. Quod ardentibus votis, vt nobis etiam non monentibus facitis, à Deo precabimini. Quæ deinceps agentur, omnia vobis significabimus. Nam clementer vobis & ex animo fauemus. Datum Augustæ, 25. Iunij, Anno

M. D. XXX.

D. MAR-

D. MARTINO LVTHERO IVSTVS IONAS.

GRATIAM & pacem Dei in Christo: Suspendit hîc Cæsar & prohibuit vtrinq; conciones, vbi penè biduo deliberatum est, non contrà faciendum esse, sed ferendum & parendum esse Cæsari mandanti, vt hîc in vrbe Imperiali præsertim, cùm non solùm nobis, sed & Papistis & Sacramentarijs, qui hîc regnarunt, interdictum sit concionibus, pacis causa, donec fiat cognitio. Interim Dominicis diebus prælegitur nudus textus Euangeliorum & Pauli. De hac re scripsit tibi Dominus Philippus, & ego quoq; in meis literis significaui.

Heri Cæsar, cum Electoribus & statibus Imperij, conuenit in Prætorio, & audiuit perorantem Cardinalem Campegium, qui hortatus est Germanos, ad concordiam in Religione, & ad bellum gerendum contra Turcas. Nihil nominatim acerbè aut odiosè dixit contra Lutheranos.

Sub idem tempus, mox audita est legatio Austriacorum, qui miserabiles querelas proposuerunt, de minis & terroribus Turcicis, & in quanto iam discrimine vitæ & bonorum, cum vxoribus, & liberis, singulis versentur momentis. Recitata instructio est assidente rege Ferdinando.

Erat hic dies etiam præfixus nostris Principibus, vt offerrent articulos suæ Confessionis, quibus subscripserunt noster Elector, iunior Princeps: deinde Marchio Georgius, Ernestus Dux Luneburgensis, Princeps Hassiæ, Dominus & Princeps ab Anhaldt, Senatus Noribergensis, Senatus Reutlingensis. Landgrauius planè hoc dimicauit & vrsit, vt coram statibus Imperij & Cæsare, articuli prælegerentur & voce recitarentur. Econtrà Rex Ferdinandus, in ipso consessu, prehendit nunc hunc, nunc illum, insusurrans in aurem, nec conquieuit, donec eo die impediret recitationẽ. Hodie tamen, hora secunda, non quidem in tam frequenti consessu, sed in cubiculo Cæsaris, coram Principibus quibusdam legentur nostri articuli.

Sumus adhuc in spe, si causam cognosceret clementer Cæsar, de qua haud scio, an vnquã cogniturus sit, sic circumdatus Cardinalibus; sumus, inquam, in spe futurum, vt tu, optime Pater, huc voceris per Heroldum. Nihil possum pronunciare: magnæ sunt disputationes prudentiæ carnis, te contra priuatas insidias & vim non fore tutum. Debebant autem nos animare priora miracula. Equidem ipse nollem, te, in hac grauissima causa, subire discrimen & periculum itineris. Dominus gubernabit.

Es sind sechß Cardinál hie/vnd viel Theologen/vnnd Hispanische Bischoffe.

Cardinalis & Episcopus Tridentinus, Saltzburgensis, Cardinalis Moguntinus, Cardinalis & Episcopus Rossanensis, Legatus Papæ ad Ferdinandum, hi quotidie sunt in Palatio Cæsaris, & aliâs examen sacerdotum circumdedit

eum, vt apes, & exardescunt & inflammantur quotidie nouo odio & inuidia aduersum nos & te, vt ignis in spinis.

Ego scripsi tibi, quomodo liber tuus acceptus sit ille Propheticus & sanctissimus. Sed Deus bone, quid scribere iuuat, si contra miseros nos, hoc tali tempore, hoc factum incidit, vt nullæ literæ reddantur?

Ad Philippum vellem dares creberrimas: mirabili enim est tristicia, nimiumq; ob publicam causam afficitur. Nos hortamur, vt arrepto Psalterio, Dauidicis verbis, alienis verbis, non suis loquatur de hac tanta causa, cum Deo: sed vincit affectus. Ego, Dominus nouit, vitam me tibi debere profiteor, pro tuo Psalterio: adeo nihil consolationis habeo in his agonibus varijs, quàm tuum Catechismum, vbi domi Deum meum esse mihi annuncias, & aureos Psalmos, quos, Christo sit gratia, nos intelligimus, & aduersarij iam cœci ignorant, vt commiseratione potiùs digni sint, quàm odio. **Ach Gott / wer dancken köndt hertzlich'/ wie viel reicher ist Argula von Stauffen/ denn alle die Bischoffe/** qui adeo ignorant Deum, & ignorantur à DEO. Rogo te & obtestor per Christum, nullam omittas occasionem ad me scribendi. Saluta M. Vitum: Saluta in tuis literis vxorem tuam, & filiolum & filiolam. Det Christus, si est voluntas in cœlo, vt incolumes videamus nostros. Amen. Datæ Augustæ 25. Iunij, Sabbato post Iohannis Baptistæ. Anno 1530.

Lutheri, ad has Ionæ & sequentes Philippi literas, responsum paulò pòst suo loco in texam.

D. MARTINO LVTHERO PHILIPPVS MELANTHON.

LITERÆ, in quibus de nostro silentio quereris, magno nos dolore affecerunt. Scripsimus enim satis copiosè singulis hebdomadis. Sed nescio, quo fato accidat hoc malum ad acerbissimas miserrimasq; curas, in quibus hîc versamur, vt culpam contrahere videamur, quò minùs ad nos scribas.

Cæsar satis benignè salutat Principem nostrum, ac velim vicissim nostros erga ipsum officiosiores esse. Ea de re vtinam iuniorem nostrum Principem admoneres. Nihil ipso Cæsare mitius habet ipsius aula: reliqui omnes crudelissimè nos oderunt.

Fui his diebus apud Saltzburgensem, qui me benè cruciauit longa & Rhetorica commemoratione omnium motuum, qui his annis extiterunt. Adscribit nobis omnia incommoda. Addebat epilogum simpliciter sanguine scriptum.

Hodie

Hodie primùm, quod felix fauſtumq; ſit, exhibebuntur noſtræ confeſsionis articuli: Nam hactenus omne tempus conſumtum eſt in præfatiunculis, in propoſitione, in commemoratione publicorum malorum.

Romæ, ſoluto Bononienſi conuentu, quædam mula peperit, & partus habuit pedes non vnius generis.

Landgrauius probat noſtram Confeſsionem, & ſubſcripſit. Multum proficies, vt ſpero, ſi tuis literis confirmabis eum de pane Dominico. Brentius aſſidebat hæc ſcribenti, & quidem lacrymans. Is iubebat tibi adſcribi ſalutem. Vale feliciſsimè, Poſtridie Iohannis Baptiſtæ, 25. Iunij, Anno 1530.

Eadem die, 25. Iunij, quæ Sabbati dies fuit, feſtum Iohannis Baptiſtæ proximè ſequens, poſt meridiem, Iohannes Dux Saxoniæ Elector cum filio Iohanne Friderico, Georgius Marchio Brandeburgenſis, Erneſtus & Franciſcus fratres, Duces Brunſuicenſes & Luneburgenſes, Philippus Landgrauius Heſſiæ, VVolfgangus Princeps Anhaldinus, & duarum ciuitatū, Noribergæ & Reutlingæ legati, cōfeſſionem Fidei, & doctrinæ Chriſtianæ, quæ in ipſorum ditionibus & vrbibus populo proponi ſoleret, ſummam, in palatio Cæſaris, aſſidentibus Carolo, Ferdinando, & omnibus Electoribus ac Principibus, læto & alacri animo ac vultu publicè prælegi ac recitari per Electoris Saxoniæ Cancellarium iuſſerunt: Qui clarè, diſtinctè, tardè, & voce adeo grandi & ſonora eam pronunciauit, vt non tantùm in ampliſſima illa aula, verùm etiam in area inferiore & vicinis locis exaudiri potuerit.

Mox autem, exemplum CONFESSIONIS AVGVSTAE Imperatori Carolo recitatę & exhibitæ, integrum huic expoſitioni Actorum inſeram: vbi priùs Iuſti Ionæ epiſtolam, paucis pòſt diebus ad Lutherum datam intexuero, quæ & hiſtoriam oblatæ confeſſionis continet, & aliquot epiſtolis antea recitatis & poſtea ſecuturis, non exiguam lucem adfert.

D. MARTINO LVTHERO IVSTVS IONAS.

OBLATA est Confessio nostra coram Cæsare, Sabbato post Iohannis, quæ reddenda fuerat priore data, nisi Austriacorum oratio per Sigismundum à Dieterichstein, valde lugubris & miserabilis contra Turcas, deplorans obsidionē superioris anni ad Viennam, impedimento fuisset.

Audiebantur nostri Principes in palatio Cæsaris, in loco non admodum spacioso: capiebat forsan ducentos. Confederat Cæsar & Electores, & absentiū Electorum legati vtrinq; Deinde ex vtroq; latere alij Principes & ordines Imperij. Recitabat confessionem noster Cancellarius D. Christianus articulatim, distinctè & clarè, vt ab omnibus exaudiretur. Absoluit totam duabus horis. Satis attentus erat Cæsar. Dicitur Episcopus Augustanus in priuatis colloquijs huiusmodi vocem edidisse; Illa quæ recitata sunt, vera sunt, sunt puræ veritas, non possumus inficiari.

Propiùs nunc contemplatus sum faciem ac vultum Cæsaris, quàm ante decennium in conuentu VVormatiensi. Omnia signa in eo Principe digna inesse videntur, liberalis, generosi, clementis & verè regij ingenij, ac præcipuæ alicuius & innatæ humanitatis. Audiui à quodam magno, qui ipse vnà fuit in consessu & in consilijs: Quoties aliquid vehementius aut durius dicit Ferdinandus, solere Cæsarem eum reprehendere, indicantem Reges decere moderationē & clementiam: se abhorrere à consilijs præcipitatis, & principibus consultorem esse pessimum iracundiæ affectum.

Cæsar sibi fecit nostram Confessionem reddi Italica & Gallica lingua per Alphonsum Valdesium & Alexandrum Schweis. Confessioni tantùm subscripserunt Norinberga & Reutlingen. Argentinenses ambierunt aliquoties, vt excepto articulo Sacramenti susciperentur: sed Principes noluerūt. Landtgrauius subscripsit nobiscum.

Episcopus Augustanus dicitur, in senatu etiam reclamasse consilijs sæuitiæ.

Saltzburgensis dicitur in priuato colloquio hanc vocem edidisse: Vellem Missam reformatam, vellem libertatem in cibis & alijs traditionibus esse, & totum ordinem sic stare: sed quòd vnus Monachus debeat nos reformare omnes, hoc est turbare pacem, hoc non est ferendum.

Cancellarius, nos, & alij, consuluimus Principibus, vt adeant Cæsarem, & exponant ei breuiter doctrinæ summam, in quo cedere possint, in quo non.

Dominus Philippus conscribit articulos, quos hîc conferemus: qui etiam transmittentur tibi, vt reuideas, atq; ipse conscribas. Quod ad meam conscientiam attinet, rogo te, mi charissime Pater, per Iesum Christum, ibi aduigiles, quia agitur de re maxima. Tu enim currus Israël, te Dominus dotauit excellenti dono præ alijs. D. Philippus optimo animo in hac causa cautè & pedetentim am-

tim ambulat, & quamplurima cupit posthabere publicæ paci. Et proximè de imperio & iurisdictione Episcoporum aliquid rixati sumus: quod apud te sic susurro. Sed hic velis consulere, ne noceat res in omnem posteritatem, & postea nostram vrat conscientiam, **Ich wolt auch/daß alles das nachgelassen würde/** per quod non decederet aliquid Christo. Sed non dubito, quin per tuum os Christus, qui per idem os sanctus nobis prædicatus est, reuelabit quid faciendum sit.

Proximè Cardinalis Saltzburgensis vocauit Philippum ad priuatum colloquium, per VVolffgangum Stromer Noricum. Qui cùm rediret ab eo benè concalefactus, secunda hora noctis: manè narrauit nobis, quid essent confabulati. Nihil, inquit, audiui, nisi extremas minas, & tantùm non sententiam capitalem. Dixerat Saltzburgensis, audito vocabulo, Conscientia, **Was Conscientz/der Keyser wirt** conturbationem publicam **nicht leiden.** Securi sunt, quasi nullus sit Deus. Mirum quàm confidant in humana potentia, & quàm ipsis videamur formicæ.

Fuimus ego & Philippus apud Cornelium Scepperum, olim exulis Danorum Regis aulicum, nunc Cæsaris Secretarium: Ille dixit (vt falsè & festiuè iocari solet) nos, si pecuniam haberemus, facilè religionem, quam vellemus, emturos ab Italis: Si autem non adesset aurum, tum siccam & aridam futuram etiam nostram. Negat idem vllo modo fieri posse, vt nunc sic cinctus Cardinalibus & Episcopis Cæsar aliam probet aut amplectatur religionem, quàm Papisticam.

Ad Philippum vellem dares quàm creberrimas literas: Mirabilis enim tristitia est in eo, qua nonnunquam ob publicam causam afficitur. Nos hortamur, vt accepto Psalterio Dauidis, & alienis verbis, non suis loquatur de tanta causa cum Deo: sed vincit magnitudo affectus, &c.

SEQVI.

SEQVITVR

CONFESSIO FIDEI EXHIBITA INVICTISSIMO IMP. CAROLO V. CAESARI AVGVSTO IN COMITIIS AVGVSTÆ, ANNO M. D. XXX. DIE XXV. IVNII.

PRAE-

PRAEFATIO AD CAESAREM CAROLVM V.

INVICTISSIME Imperator, Cæsar Auguste, Domine clementißime. Cùm V. C.M. indixerit conuentum Imperij Augusta, vt deliberetur de auxilijs contra Turcam, atrocißimum, hæreditarium atq; veterem Christiani nominis ac religionis hostẽ, quomodo illius scilicet furori & conatibus, durabili & perpetuo belli apparatu, resisti posit: Deinde & de dissensionibus in causa nostræ sanctæ religionis & Christianæ fidei, & vt in hac causa religionis, partiũ opiniones ac sententiæ inter sese, in charitate, lenitate & mansuetudine mutua, audiantur coràm, intelligantur & ponderentur, vt illis, quæ vtrinq; in scripturis secus tractata aut intellecta sunt, sepositis & correctis, res illæ ad vnam simplicem veritatem & Christianam concordiam componantur & reducantur, vt de cætero à nobis vna, sincera & vera religio colatur, & seruetur, vt, quemadmodum sub vno Christo sumus & militamus, ita in vna etiam Ecclesia Christiana, in vnitate & concordia viuere possimus.

Cumq; nos infrà scripti Elector & Principes, cum alijs, qui nobis coniuncti sunt, perinde vt alij Electores & Principes & status ad præfata Comitia euocati simus: vt Cæsareo mandato obedienter obsequeremur, maturè venimus Augustam, et, quod citra iactantiam dictum volumus, inter primos affuimus.

Cùm igitur V. C.M. Electoribus, Principibus & alijs statibus Imperij, etiam hîc Augustæ sub ipsa initia horum Comitiorum inter cætera proponi fecerit, quòd singuli status Imperij, vigore Cæsarei Edicti, suam opinionem & sententiam in germanica & latina lingua proponere debeant atq; offerre: Et habita deliberatione, proxima feria quarta rursum responsum sit, V. C.M. nos proxima feria sexta Articulos nostræ confessionis pro nostra parte oblaturos esse: Ideo vt V.M. voluntati obsequamur, offerimus in hac religionis causa nostrorum Concionatorum, & nostram confessionem, cuiusmodi doctrinam ex scripturis sanctis, & puro verbo Dei, hactenus illi in nostris terris, ducatibus, ditionibus & vrbibus tradiderint, ac in Ecclesijs tractauerint.

Quòd si & cæteri Electores, Principes, ac status Imperij, similibus scriptis, Latinis scilicet & Germanicis, iuxta prædictam Cæsaream propositionem, suas opiniones in hac causa Religionis produxerint, hîc nos coram V. C. M. tanquam domino nostro clementißimo, paratos offerimus, nos cum præfatis Principibus & amicis nostris de tolerabilibus modis ac vijs amicè conferre, vt, quantum honestè fieri potest, conueniamus, & re inter nos partes, citra odiosam contentionem, pacificè agitata, Deo dante, dissensio dirimatur, & ad vnam veram concordem religionem reducatur, sicut omnes sub vno Christo sumus, & militamus, & vnum Christum confiteri debemus, iuxta tenorem edicti V.C.M. & omnia ad veritatem Dei perducantur: id quod ardentißimis votis à Deo petimus.

Si autem, quod ad cæteros Electores, Principes & status, vt partem alteram, attinet, hæc tractatio causæ Religionis, eo modo, quo V.C.M. agendam & tractandam sapienter duxit, scilicet cum tali mutua præsentatione scriptorum, ac sedata collatione, inter nos nõ processerit, nec aliquo fructu facta fuerit: nos quidem testatum clarè relinquimus, hîc nihil nos, quod ad Christianam concordiam (quæ cum Deo & bona conscientia fieri posit) conciliandam conducere queat, vllo modo detrectare. Quemadmodum & V. C.M. deinde & cæteri Electores, &

status

status Imperij, & omnes, quicunq; sincero religionis amore ac studio tenentur, quicunq; hanc causam æquo animo audituri sunt, ex hac nostra & nostrum confessione hoc clementer cognoscere & intelligere dignabuntur.

Cùm etiam V.C.M. Electoribus, Principibus et reliquis statibus Imperij, non vna vice, sed sæpe clementer significauerit, & in Comitijs Spirensibus, quæ anno Domini 1526 habita sunt, ex data & præscripta forma vestræ Cæsareæ instructionis & commissionis recitari, & publicè prælegi fecerit: V.M. in hoc negocio Religionis, ex causis certis, quæ V.M. nomine allegatæ sunt, non velle quicquam determinare, nec concludere posse, sed apud Pontificem Romanum pro officio V.C.M. diligenter daturam operam de congregando Concilio generali. Quemadmodum idem latius expositum est ante annum, in publico proximo conuentu, qui Spiræ congregatus fuit: Vbi V.C.M. per Dominum Ferdinandum, Boëmiæ & Vngariæ Regem, amicum & Dominum clementem nostrum, Deinde per Oratorem, & Commissarios Cæsareos, hæc inter cætera proponi fecit, quòd V.C.M. intellexisset & expendisset Locum tenentis V.C.M. in Imperio, & Præsidentis & Consiliariorum in Regimine, & Legatorum ab alijs statibus, qui Ratisponæ conuenerant, deliberationem de Concilio congregando. Et quòd indicaret etiam V.C.M. vtile esse, vt congregaretur Concilium, Et quia causæ, quæ tum tractabantur inter V.C.M. & Rom. Pontificem, vicinæ essent concordiæ & Christianæ reconciliationi, non dubitaret V.C.M. quin Rom. Pontifex adduci posset ad habendum generale Concilium. Ideo significabat V.C.M. se operam daturum, vt præfatus Pont. Max. vnà cum V.C.M. tale generale Concilium, primo quoq; tempore emissis literis publicandum, congregare consentiret.

In euentum ergo talem, quòd in causa religionis dissensiones inter nos & partes amicè & in charitate non fuerint cõpositæ, tunc coram V.C.M. hîc in omni obedientia nos offerimus, ex superabundanti comparituros & causam dicturos in tali generali, libero & Christiano Concilio, de quo congregando in omnibus Comitijs Imperialibus, quæ quidem annis Imperij V.C.M. habita sunt, per Electores, Principes, & reliquos Imperij, semper concorditer actum & congruentibus suffragijs conclusum est. Ad cuius etiam generalis Concilij conuentum, simul & ad V.C.M. in hac longè maxima & grauissima causa, iam antè etiam debito modo & in forma iuris prouocauimus, & appellauimus. Cui appellationi ad V.C.M. simul & Cõcilium adhuc adhæremus, neq; eam per hunc vel alium tractatum (nisi causa inter nos & partes, iuxta tenorem Cæsareæ proximæ Citationis amicè in caritate composita, sedata, & ad Christianam concordiam reducta fuerit) deserere intendimus. De quo hîc etiam solenniter, & publicè protestamur.

ARTI-

ARTICVLI FIDEI PRAECIPVI.

I.

ECCLESIAE magno consensu apud nos docent, Decretum Nicenæ Synodi, de vnitate essentiæ diuinæ, & de tribus personis, verum & sine vlla dubitatione credendũ esse: videlicet, quòd sit vna essentia diuina, quæ & appellatur & est DEVS, æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator & conseruator omnium rerum, visibilium & inuisibilium, & tamen tres sint personæ, eiusdem essentiæ, & potentiæ, & coæternæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Et nomine personæ vtuntur ea significatione, qua vsi sunt in hac causa scriptores ecclesiastici, vt significet nõ partem aut qualitatem in alio, sed quod propriè subsistit.

Damnant omnes hæreses, contra hunc articulum exortas, vt Manichæos, qui duo principia ponebant, Bonum & Malum. Item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Mahometistas & omnes horum similes. Damnant & Samosatenos, veteres & neotericos, qui cùm tantùm vnam personam esse contendant, de Verbo & de Spiritu sancto astutè & impiè rhetoricantur, quòd non sint personæ distinctæ, sed quòd Verbum significet verbum vocale, & spiritus, motum in rebus creatum.

II.

Item docent, quòd post lapsum Adæ, omnes homines secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia, quodq; hic morbus, seu vicium originis verè sit peccatum, damnans & afferens nunc quoq; æternam mortem, his, qui non renascuntur per baptismum & spiritum sanctum.

Damnant Pelagianos, & alios qui vicium originis negant esse peccatum, & vt extenuent gloriam meriti & beneficiorum Christi, disputant hominem proprijs viribus rationis coram Deo iustificari posse.

III.

Item docent, quòd Verbum, hoc est, Filius Dei, assumserit humanam

manam naturam in vtero beatæ Mariæ virginis, vt sint duæ naturæ, diuina & humana, in vnitate personæ inseparabiliter coniunctæ, vnus Christus, verè Deus & verè homo, natus ex virgine Maria, verè passus, crucifixus, mortuus & sepultus, vt reconciliaret nobis Patrem, & hostia esset non tantùm pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem descendit ad inferos, & verè resurrexit tertia die, deinde ascẽdit ad cœlos, vt sedeat ad dexteram patris & perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu sancto, qui regat, consoletur ac viuificet eos, ac defendat aduersus Diabolum, & vim peccati. Idem Christus palàm est rediturus, vt iudicet viuos & mortuos, iuxta symbolum Apostolorum.

IIII.

Item docent, quòd homines non possint iustificari coram Deo proprijs viribus, meritis aut operibus, sed gratis iustificentur propter Christum per fidem, cùm credunt se in gratiam recipi, & peccata remitti, propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro iusticia coram ipso, Roma. 3. & 4.

V.

Vt hanc fidem consequamur, institutum est ministerium docendi Euangelij, & porrigendi sacramenta. Nam per verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit, vbi & quando visum est Deo, in ijs, qui audiunt Euangelium, scilicet quòd Deus non propter nostra merita, sed propter Christum iustificet hos, qui credunt, se propter CHRISTVM in gratiam recipi.

Damnant Anabaptistas, & alios, qui sentiũt Spiritum sanctum contingere, sine verbo externo, hominibus, per ipsorum præparationes & opera.

VI.

Item docent, quòd Fides illa debeat bonos fructus parere, & quòd oporteat Bona Opera, mandata à Deo, facere, propter voluntatem Dei, non vt confidamus per ea iustificationem coram Deo mereri,

mereri, Nam remissio peccatorum & iustificatio fide apprehenditur, sicut testatur & vox Christi, (Luc. 17.) Cùm feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus. Idem docent & veteres scriptores ecclesiastici. Ambrosius enim inquit, Hoc constitutum est à Deo, vt, qui credit in Christum, saluus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.

VII.

Item docent, quòd vna sancta Ecclesia perpetuò mansura sit. Est autem Ecclesia, congregatio sanctorum, in qua Euangeliū rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta. Et ad veram vnitatem Ecclesiæ, satis est consentire de doctrina Euangelij & administratione Sacramentorum. Nec necesse est vbiq; esse similes traditiones humanas, seu ritus aut ceremonias, ab hominibus institutas, sicut inquit Paulus, Vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus & pater omnium &c. Eph. 4.

VIII.

Quanquam Ecclesia propriè sit congregatio sanctorum, & verè credentium, tamen cùm in hac vita multi hypocritæ & mali admixti sint, licet vti Sacramentis, quæ per malos administrantur, iuxta vocem Christi, (Matth. 23.) Sedent scribæ & Pharisæi in cathedra Mosi, &c. Et sacramenta & verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur.

Damnant Donatistas & similes, qui negabant licere vti ministerio malorum in Ecclesia, & sentiebant ministerium malorum inutile & inefficax esse.

IX.

De Baptismo docent, quòd sit necessarius ad salutem, quodq; per Baptismum offeratur gratia Dei, Et quòd pueri sint baptisandi, qui per baptismum oblati Deo recipiantur in gratiam Dei.

Damnant Anabaptistas, qui improbant Baptismū puerorum, & affirmant pueros sine baptismo saluos fieri.

X.

De Cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini, & improbant secus docentes.

XI.

De Confessione docent, quòd Absolutio priuata in Ecclesijs retinenda sit, quanquam in confessione non sit necessaria omnium delictorum enumeratio. Est enim impossibilis iuxta Psalmum, (Psal. 18.) Delicta quis intelligit?

XII.

De Pœnitentia docent, quòd lapsis post Baptismum contingere possit remissio peccatorum, quocunq; tempore, cùm conuertuntur. Et quòd Ecclesia talibus redeuntibus ad pœnitentiam, absolutionem impartiri debeat.

Constat autem Pœnitentia propriè his duabus partibus: Altera est, Contritio, seu terrores, incussi conscientiæ agnito peccato: Altera est, Fides, quæ concipitur ex Euangelio seu absolutione, & credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat. Deinde sequi debent bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ.

Damnant Anabaptistas, qui negant, semel iustificatos posse amittere Spiritum sanctum. Item qui contendunt, quibusdam tantam perfectionem in hac vita contingere, vt peccare non possint. Damnantur & Nouatiani, qui nolebant absoluere lapsos post Baptismum, redeuntes ad Pœnitentiã. Reijciuntur & isti, qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere, sed iubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras.

XIII.

De Vsu Sacramentorum docent, quòd sacramenta instituta sint, non modò vt sint notæ professionis inter homines, sed magis, vt sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, ad excitandam & cõfirmandam fidem in his, qui vtuntur, proposita. Itaq; vtendum est sacramentis ita, vt fides accedat, quæ credat promissionibus, quę per sacramenta exhibentur & ostenduntur.

Damnant igitur illos, qui docent, quòd Sacramenta ex opere operato iustificent, nec docent fidem requiri in vsu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata.

XIIII.

De ordine Ecclesiastico docent, quòd nemo debeat in Ecclesia publicè

publicè docere, aut sacramenta administrare, nisi ritè vocatus.

XV.

De Ritib. Ecclesiasticis docent, quòd Ritus illi seruandi sint, qui sine peccato seruari possunt, & prosunt ad tranquillitatem & bonum ordinem in Ecclesia, sicut certæ feriæ, festa, & similia.

De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientiæ onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit.

Admonentur etiam, quòd traditiones humanæ, institutæ ad placandum Deum, ad promerendam gratiã & satisfaciendum pro peccatis, aduersentur Euangelio & doctrinæ fidei. Quare vota & traditiones de cibis & diebus &c. institutæ ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, inutiles sint & contra Euangelium.

XVI.

De rebus ciuilibus docent, quòd legitimæ ordinationes Ciuiles sint bona opera Dei, quòd Christianis liceat gerere Magistratus, exercere iudicia, iudicare res ex Imperatorijs & alijs præsentibus legibus, supplicia iure constituere, iure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, iusiurandum postulantibus Magistratibus dare, ducere vxorem, nubere.

Damnant Anabaptistas, qui interdicunt hæc ciuilia officia Christianis. Damnant & illos, qui Euangelicam perfectionem non collocant in timore Dei & fide, sed in deserendis ciuilibus officijs, quia Euangelium tradit iustitiam æternam cordis: Interim nõ dissipat Politiam aut Oeconomiam, sed maximè postulat conseruare tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordinationibus exercere caritatem. Itaq; necessariò debent Christiani obedire Magistratibus suis & legibus, nisi cũ iubent peccare: tunc enim magis debent obedire Deo quàm hominibus. Acto. 5.

XVII.

Item docent, quòd Christus apparebit in consummatione mundi ad iudicandum, & mortuos omnes resuscitabit, pijs & electis dabit vitam æternam & perpetua gaudia, impios autem homines ac diabolos condemnabit, vt sine fine crucientur.

Damnant Anabaptistas, qui sentiunt, hominibus damnatis ac diabolis finem pœnarum futurum esse. Damnant & alios, qui nunc

spargunt Iudaicas opiniones, quòd ante resurrectionem mortuorum, pij regnum mundi occupaturi sint, vbiq; oppressis impijs.

XVIII.

De libero arbitrio docent, quòd humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem iusticiam, & deligendas res rationi subiectas. Sed non habet vim sine Spiritu sancto efficiendæ iusticiæ Dei, seu iusticiæ spiritualis, Quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: Sed hæc fit in cordibus, cùm per verbum Spiritus sanctus concipitur.

Hæc totidem verbis dicit Augustinus lib. 3. Hypognosticon. Esse fatemur liberum arbitriū omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneū, in ijs, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certè peragere, sed tantùm in operibus vitæ præsentis, tam bonis quàm etiā malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle māducare & bibere, velle fabricare domum, vxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarum rerū bonarum, velle quicquid bonum ad præsentem pertinet vitam. Quæ omnia non sine diuino gubernaculo subsistunt, imò ex ipso & per ipsum sunt, & esse cœperunt. Malis verò dico, vt est velle Idolum colere, velle homicidium. &c.

Damnant Pelagianos, et alios, qui docent, quòd sine Spiritu sancto, solis naturæ viribus, possimus Deum super omnia diligere, Item, præcepta Dei facere, quoad substantiam actuum. Quanquam enim externa opera aliquo modo efficere natura possit, potest enim continere manus à furto, à cæde: tamen interiores motus non potest efficere, vt timorem Dei, fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam, &c.

XIX.

De causa peccati docent, quòd, tametsi Deus creat & conseruat naturam: tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet diaboli & impiorum, quæ non adiuuante Deo, auertit se à Deo, sicut Christus ait Ioan. 8. Cùm loquitur mendacium, ex seipso loquitur.

XX.

Falsò accusantur nostri, quòd bona opera prohibeant. Nam scripta eorum, quæ extant de decem præceptis, & alia simili argumento, testantur, quòd vtiliter docuerint de omnibus vitæ generibus &

bus & officijs, quæ genera vitæ, quæ opera in qualibet vocatione Deo placeant. De quibus rebus olim parum docebant Concionatores, tantùm puerilia & non necessaria opera vrgebant, vt certas ferias, certa ieiunia, fraternitates, peregrinationes, cultus sanctorum, rosaria, monachatum & similia. Hæc aduersarij nostri admoniti nunc dediscunt, nec prædicant hæc inutilia opera, vt olim. Præterea incipiunt fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat silentium. Etsi non desinunt obscurare doctrinam fidei, cùm relinquunt dubias conscientias, aut iubent mereri remissionem peccatorum operibus. Nec docent quòd sola fide propter Christum certò accipiamus remissionem peccatorum.

Cùm igitur doctrina de Fide, quam oportet in Ecclesia præcipuam esse, tam diu iacuerit ignota, quemadmodum fateri omnes necesse est, de fidei iusticia altissimum silentium fuisse in Concionibus, tantùm doctrinam operum versatam esse in Ecclesijs, nostri de fide sic admonuerunt Ecclesias:

Principiò, quòd opera nostra non possint reconciliare Deum, aut mereri remissionem peccatorum, & gratiam, & iustificationem, sed hanc tantùm fide consequimur, credentes quòd propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est mediator & propiciatorium, per quem reconcilietur pater. Itaq; qui confidit operibus se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum & gratiam, & quærit sine Christo humanis viribus viam ad Deum, cùm Christus de se dixerit, Ego sum via, veritas & vita, Ioh. 14.

Hæc doctrina de Fide vbiq; in Paulo tractatur. Eph. 2. Gratia salui facti estis, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est non ex operibus, &c.

Et ne quis cauilletur, à nobis nouam Pauli interpretationem excogitari, tota hæc causa habet testimonia Patrum. Nam Augustinus multis voluminibus defendit gratiam, & iusticiam fidei, contra merita operum. Et similia docet Ambrosius de vocatione Gentium, Vilesceret redemtio sanguinis Christi, nec misericordiæ Dei humanorum operum prærogatiua succumberet, si iustificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, vt non munus largientis, sed merces esset operantis.

Quanquam autem hæc doctrina contemnitur ab imperitis: tamen experiuntur piæ & pauidæ conscientiæ, plurimum eam consolationis afferre, quia conscientiæ non possunt reddi tranquillæ

per vlla opera, sed tantùm fide, cùm certò statuunt, quòd propter Christum habeant placatum Deum. Quemadmodum Paulus docet, Rom. 5. Iustificati per fidem, pacem habemus apud Deum. Tota hæc doctrina, ad illud certamen perterrefactæ conscientiæ, referenda est, nec sine illo certamine intelligi potest. Quare malè iudicant de ea re homines imperiti, & prophani, qui Christianam iustitiam nihil esse somniant, nisi ciuilem & philosophicam iustitiam.

Olim vexabantur conscientiæ doctrina operum, non audiebant ex Euangelio consolationem. Quosdam conscientia expulit in desertum, in monasteria, sperantes ibi se gratiam merituros esse per vitam monasticam. Alij alia excogitauerunt opera ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis. Ideo magnopere fuit opus, hanc doctrinam de fide in Christum tradere, & renouare, ne deesset consolatio pauidis conscientijs, sed scirent fide in Christum apprehendi gratiam, & remissionem peccatorum, & iustificationem.

Admonentur etiam homines, quòd hîc nomen fidei non significet tantùm historiæ notitiã, qualis est in impijs & Diabolo, sed significet fidem, quæ credit non tantùm historiam, sed etiam effectum historiæ, videlicet hunc articulum, Remissionẽ peccatorum, quòd videlicet per Christum habeamus gratiam, iustitiam & remissionem peccatorum.

Iam qui scit se per Christum habere propitium patrem, is verè nouit Deum, scit se ei curæ esse, inuocat eum. Deniq; non est sine Deo, sicut Gentes. Nam Diaboli & impij non possunt hunc articulum credere, Remissionem peccatorum. Ideo Deum tanquam hostem oderunt, non inuocant eum, nihil boni ab eo expectant. Augustinus etiam de fidei nomine hoc modo admonet lectorem, & docet in scripturis nomen fidei accipi, non pro notitia, qualis est in impijs, sed pro fiducia, quæ consolatur, & erigit perterrefactas mentes.

Præterea docent nostri, quòd necesse sit Bona Opera facere, non vt confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantùm fide apprænditur remissio peccatorum, ac gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus sanctus, iam corda renouantur, & induunt nouos affectus, vt parere bona opera possint. Sic enim ait Ambrosius: Fides bonæ voluntatis, & iustæ actionis, genitrix est. Nam humanæ vires, sine spiritu sancto, plenæ sunt impijs affectibus,

& sunt

& sunt imbecilliores, quàm vt bona opera possint efficere coram Deo. Ad hæc, sunt in potestate Diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera. Quemadmodum est videre in Philosophis, qui & ipsi conati honestè viuere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, cùm est sine fide & sine spiritu sancto, & tantùm humanis viribus se gubernat.

Hinc facilè apparet, hanc doctrinam non esse accusandam, quòd bona opera prohibeat, sed multò magis laudandam, quòd ostendit, quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide, nullo modo potest humana natura, primi aut secundi præcepti opera facere. Sine fide non inuocat Deum, à Deo nihil expectat, non tolerat crucē, sed quærit humana præsidia, confidit humanis præsidijs. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana consilia, cùm abest fides & fiducia erga Deum. Quare & Christus dixit: Sine me nihil potestis facere, Ioan. 15. & Ecclesia canit, Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

XXI.

De cultu Sanctorum docent, quòd memoria Sanctorum proponi potest, vt imitemur fidem eorum, & bona opera iuxta vocationem, vt Cæsar imitari potest exemplum Dauidis in bello gerendo ad depellendos Turcas à patria. Nam vterq; rex est. Sed scriptura non docet inuocare Sanctos, seu petere auxilium à Sanctis, Quia vnum Christum nobis proponit mediatorem, propiciatorium, Pontificem, & intercessorem. Hic inuocandus est, & promisit se exauditurum esse preces nostras, & hunc cultum maximè probat, videlicet, vt inuocetur in omnibus afflictionibus. 1. Ioh. 2. Si quis peccat, habemus aduocatum apud Deum, &c.

Hæc ferè summa est doctrina apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse quod discrepet à scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est. quod cùm ita sit, inclementer iudicant isti, qui nostros pro hæreticis haberi postulant. Sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa autoritate in Ecclesias irrepserunt, in quibus, etiamsi qua esset dissimilitudo, tamē decebat hæc lenitas Episcopos, vt propter confessionem, quam modò recensuimus, tolerarent nostros, quia ne Canones quidem tam duri sunt, vt eosdem ritus vbiq; esse postu-

lent, neque similes vnquam omnium Ecclesiarum ritus fuerunt. Quanquam apud nos magna ex parte veteres ritus diligenter seruantur. Falsa enim calumnia est, quòd omnes ceremoniæ, omnia vetera instituta, in Ecclesijs nostris aboleantur. Verùm, publica quærela fuit, abusus quosdam in vulgaribus ritibus hærere. Hi quia non poterant bona conscientia probari, aliqua ex parte correcti sunt.

ARTICVLI, IN QVIBVS RECENSENTVR ABVSVS MVTATI.

CVM Ecclesiæ apud nos, de nullo articulo fidei, dissentiant ab Ecclesia Catholica, tantùm paucos quosdam abusus omittant, qui noui sunt, & contra voluntatem Canonum, vicio temporum, recepti, rogamus vt Cęsarea Maiestas clementer audiat, & quid sit mutatum, & quæ fuerint causæ, quò minùs coactus sit populus, illos abusus contra conscientiam obseruare. Nec habeat fidem Cæsarea Maiestas istis, qui, vt inflamment odia hominum aduersus nostros, miras calumnias spargunt in populũ. Hoc modo, irritatis animis bonorum virorum, initiò præbuerunt occasionem huic dissidio, & eadem arte conantur nunc augere discordias. Nam Cæsarea Maiestas haud dubiè comperiet, tolerabiliorem esse formam & doctrinæ & ceremoniarum apud nos, quàm qualem homines iniqui & maleuoli describunt. Porro veritas ex vulgi rumoribus, aut maledictis inimicorum, colligi non potest. Facilè autem hoc iudicari potest, nihil magis prodesse ad dignitatem ceremoniarum conseruandam, & alendam reuerentiam, ac pietatem in populo, quàm si ceremoniæ ritè fiant in Ecclesijs.

DE

DE VTRAQVE SPECIE.

IAICIS datur vtraq; ſpecies Sacramenti in Cœna Domini, quia hic mos habet mandatum Domini, Matt. 26. Bibite ex hoc omnes. Vbi manifeſtè præcipit Chriſtus de poculo, vt omnes bibant, & ne quis poſſit cauillari, quòd hoc ad Sacerdotes tantùm pertineat, Paulus 1. Cor. 11. exemplum recitat, in quo apparet totam Eccleſiam vtraq; ſpecie vſam eſſe. Et diu manſit hic mos in Eccleſia: nec conſtat, quando aut quo autore mutatus ſit. (tametſi Cardinalis Cuſanus recitet, quando ſit approbatus) Cyprianus aliquot locis teſtatur, populo ſanguinem datum eſſe. Idem teſtatur Hieronymus, qui ait: Sacerdotes Euchariſtiæ miniſtrant, & ſanguinem Chriſti populis diuidunt. Imò Gelaſius Papa mandat, ne diuidatur Sacramentũ, Diſt. 2. de Conſecratione, cap. Comperimus. Tantùm conſuetudo non ita vetus aliud habet. Conſtat autem, quòd conſuetudo contra mandata Dei introducta, non ſit probanda, vt teſtantur Canones, Diſt. 8. c. Veritate, cum ſequentibus. Hæc verò conſuetudo non ſolùm contra ſcripturam, ſed etiam contra veteres Canones & exemplum Eccleſiæ, recepta eſt. Quare ſi qui maluerunt vtraq; ſpecie Sacramenti vti, non fuerunt cogendi, vt aliter facerent cum offenſione conſcientiæ.

Et quia diuiſio Sacramenti non conuenit cum inſtitutione Chriſti, ſolet apud nos omitti Proceſſio, quæ hactenus fieri ſolita eſt.

DE

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

PVBLICA querela fuit de exemplis Sacerdotum, qui non continebant. Quam ob causam & Pius Papa dixisse fertur, fuisse aliquas causas, cur ademtum sit Sacerdotibus coniugium, sed multò maiores esse causas, cur reddi debeat. Sic enim scribit Platina: Cũ igitur Sacerdotes apud nos publica illa scandala vitare vellent, duxerunt vxores, ac docuerunt, quòd liceat ipsis contrahere matrimonium. Primùm, quia Paulus dixit, 1. Cor. 17. Vnusquisq; habeat vxorem suam propter fornicationem. Itẽ: Melius est nubere quàm vri. Secundò Christus inquit, Matt. 19. Non omnes capiunt verbũ hoc: vbi docet, nõ omnes homines ad cœlibatũ idoneos esse, quia Deus creauit hominẽ ad procreationẽ, Gen. 1. Nec est humanæ potestatis sine singulari dono & opere, Dei creationẽ mutare. Igitur qui nõ sunt idonei ad cœlibatum, debent contrahere matrimoniũ. Nam mandatum Dei, & ordinationem Dei, nulla lex humana, nullũ votum tollere potest. Ex his causis docent Sacerdotes, sibi licere vxores ducere. Cõstat etiã in Ecclesia veteri Sacerdotes fuisse maritos. Nam & Paulus ait, 1. Timo. 3. Episcopum eligendũ esse, qui sit maritus. Et in Germania primũ ante annos quadringentos, Sacerdotes vi coacti sunt ad cœlibatum, qui quidem adeo aduersati sunt, vt Archiepiscopus Moguntinus publicaturus edictum Romani Pontificis de ea re, penè ab iratis Sacerdotibus per tumultum oppressus sit. Et res gesta est tam inciuiliter, vt non solùm in posterum coniugia prohiberent, sed etiam præsentia, contra omnia iura diuina & humana, contra ipsos etiam Canones, factos non solùm à Pontificibus, sed à laudatissimis Synodis, distraherentur.

Et cùm senescente mundo, paulatim natura humana fiat imbecillior, conuenit prospicere, ne plura vitia serpant in Germaniam. Porro Deus instituit coniugium, vt esset remedium humanæ infirmitatis. Ipsi Canones veterem rigorem interdum posterioribus temporibus, propter imbecillitatem hominum, laxandum esse dicunt: quod optandum est, vt fiat & in hoc negotio. Ac videntur Ecclesijs aliquando defuturi pastores, si diutius prohibeatur coniugium.

Cùm

Cùm autem extet mandatum Dei, cùm mos Ecclesiæ notus sit, cùm impurus cœlibatus plurima pariat scandala, adulteria, & alia scelera, digna animadversione boni Magistratus: Tamẽ mirum est, nulla in re maiorem exerceri sæuitiam quàm aduersus coniugium Sacerdotum. Deus præcipit (Ebræ. 13.) honore afficere coniugium. Leges in omnibus rebus publicis benè constitutis, etiam apud Ethnicos maximis honoribus ornauerunt. At nunc capitalibus pœnis excruciantur, & quidem Sacerdotes, contra Canonum voluntatem, nullam aliam ob causam, nisi propter coniugium. Paulus vocat doctrinam Dæmoniorum, quæ prohibet coniugium. 1. Tim. 4. Id facilè nunc intelligi potest, cùm talibus supplicijs prohibitio coniugij defenditur.

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus suadet, vt mulieres nubant, quæ non seruant promissam castitatem. Verba eius sunt hæc lib. 1. Epist. 11. Si autem perseuerare nolunt, aut non possunt, melius est vt nubant, quàm vt in ignem delicijs suis cadant: certè nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. Et æquitate quadam vtuntur ipsi Canones erga hos, qui ante iustam ætatem vouerunt, quomodo ferè hactenus fieri consueuit.

DE MISSA.

FALSO accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur. Seruantur & vsitatæ ceremoniæ ferè omnes, præterquam quòd Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. Nam ad hoc vnum opus est ceremonijs, vt doceant imperitos. Et non modò Paulus præcipit (1. Cor. 14.) vti lingua intellecta populo in Ecclesia, sed etiam ita constitutum est humano iure.

Assuefit populus, vt vnà vtantur Sacramento, si qui sunt idonei: id quoque auget reuerentiam ac religionem publicarum ceremoniarũ. Nulli enim admittuntur, nisi antea explorati. Admonentur etiam homines de dignitate & vsu Sacramenti, quantam consolationem afferat pauidis conscientijs, vt discant Deo credere, & omnia

mnia bona à Deo expectare & petere. Hic cultus delectat Deum, talis vsus Sacramenti alit pietatem erga Deum. Itaq; non videntur apud aduersarios Missæ maiore religione fieri quàm apud nos.

Constat autem hanc quoque publicam, & longè maximam querelam omnium bonorum virorum diu fuisse, quòd Missæ turpiter prophanarentur collatæ ad quæstum. Neq; enim obscurum est, quàm latè pateat hic abusus in omnibus templis, à qualibus celebrentur Missæ, tantùm propter mercedem aut stipendium, quàm multi contra interdictum Canonum celebrent. Paulus autem grauiter minatur his, qui indignè tractant Eucharistiã, (1. Cor. 11.) cùm ait, Qui ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Itaq; cùm apud nos admonerentur Sacerdotes de hoc peccato, desierunt apud nos priuatæ Missæ, cùm ferè nullæ priuatæ Missæ, nisi quæstus causa fierent.

Neq; ignorauerunt hos abusus Episcopi, qui si correxissent eos in tempore, minus nunc esset dissensionum. Antea sua dissimulatione multa vitia passi sunt in Ecclesiam serpere. Nunc serò incipiunt queri de calamitatibus Ecclesię, cùm hic tumultus non aliunde sumserit occasionem, quàm ex illis abusibus, qui tam manifesti erant, vt tolerari ampliùs non possent. Magnæ dissensiones de Missa, de Sacramento, extiterunt. Fortasse dat pœnas orbis tam diuturnæ prophanationis Missarum, quam in Ecclesijs tot seculis toleraverunt isti, qui emendare & poterant & debebant. Nam in Decalogo scriptum est, (Exod. 20.) Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus. At ab initio mundi, nulla res diuina ita videtur vnquam ad quæstum collata fuisse, vt Missa.

Accessit opinio, quæ auxit priuatas Missas in infinitum, videlicet, quòd Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis, & instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus. Hinc manauit publica opinio, quòd Missa sit opus, delens peccata viuorum & mortuorum ex opere operato. Hîc cœptum est disputari, vtrùm vna Missa dicta pro pluribus, tantundem valeat, quantum singulæ pro singulis. Hæc disputatio peperit istam infinitam multitudinem Missarum.

De his opinionibus nostri admonuerunt, quòd dissentiant à scripturis sanctis, & lædant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solùm pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, vt ad Hebræos scriptum est (cap.

est (cap.10.) Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel. Item, Vna oblatione consummauit in perpetuum sanctificatos.

Item, scriptura docet, Nos coram Deo iustificari per Fidem in Christum, cùm credimus nobis remitti peccata propter Christum. Iam si Missa delet peccata viuorum & mortuorum ex opere operato, contingit iustificatio ex opere Missarum, non ex fide: quod scriptura non patitur.

Sed Christus iubet facere in sui memoriam (Luc. 22.) Quare Missa instituta est, vt fides in ijs, qui vtuntur Sacramento, recordetur, quæ beneficia accipiat per Christum, & erigat & consoletur pauidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sentire quòd verè exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari, quia hāc etiam Iudæi & impij recordari possunt. Est igitur ad hoc facienda Missa, vt ibi porrigatur Sacramentum his, quib. opus est consolatione: sicut Ambrosius ait, Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam.

Cùm autem Missa sit talis communicatio Sacramenti, seruatur apud nos vna communis Missa, singulis ferijs atq; alijs etiam diebus, si qui Sacramento velint vti, vbi porrigitur Sacramentum his, qui petunt. Neq; hic mos in Ecclesia nouus est, Nam veteres ante Gregorium non faciunt mentionem priuatæ Missæ. De communi Missa plurimum loquuntur. Chrysostomus ait, Sacerdotē quotidie stare ad altare, & alios ad communionem accersere, & alios arcere. Et ex Canonibus veteribus apparet, vnum aliquem celebrasse Missam, à quo reliqui presbyteri & Diaconi sumserunt corpus Domini. Sic enim sonant verba Canonis Niceni, Accipiant Diaconi secundum ordinem post presbyteros, ab Episcopo vel à presbytero sacram communionem. Et Paulus de communione iubet, vt alij alios expectent, vt fiat communis participatio. 1. Cor. 11.

Postquam igitur Missa apud nos habet exemplum Ecclesiæ, ex scriptura & Patribus, confidimus improbari eam non posse, maximè cùm publicæ ceremoniæ, magna ex parte similes vsitatis seruentur: tantùm numerus Missarum est dissimilis, quem propter maximos & manifestos abusus certè moderari prodesset. Nam olim etiam, in Ecclesijs frequentissimis, non fiebat quotidie Missa, vt testatur historia Tripart. lib. 9. cap. 38. Rursus autem in Alexandria, quarta & sexta feria, scripturæ leguntur, easq; doctores interpretantur, & omnia fiunt præter solennem oblationis morem.

DE

DE CONFESSIONE.

CONFESSIO in Ecclesijs apud nos, non est abolita. Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis. Et docetur populus diligentissimè, de fide absolutionis, de qua ante hæc tempora magnum erat silentium. Docentur homines, vt absolutionem plurimi faciant, quia sit vox Dei, & mandato Dei pronuncietur. Ornatur potestas clauium, & cõmemoratur, quantam consolationem afferat perterrefactis conscientijs, & quòd requirat Deus fidem, vt illi absolutioni, tanquam voci de Cœlo sonanti, credamus, & quòd illa fides verè consequatur, & accipiat remissionem peccatorum. Antea immodicè extollebantur satisfactiones fidei & meriti Christi, ac iusticiæ fidei nulla fiebat mentio. Quare in hac parte minimè sunt culpandæ Ecclesiæ nostræ. Nam hoc etiam aduersarij tribuere nobis coguntur, quòd doctrina de pœnitentia diligentissimè à nostris tractata ac patefacta sit.

Sed de Confessione docent, quòd enumeratio delictorum non sit necessaria, nec sint onerandæ conscientiæ cura enumerandi omnia delicta, quia impossibile est omnia delicta recitare, vt testatur Psalmus 18. Delicta quis intelligit? Item Ieremias Cap. 17. Prauum est cor hominis & inscrutabile. Quòd si nulla peccata nisi recitata, remitterentur, nunquam adquiescere conscientiæ possent, quia plurima peccata neq; vident neq; meminisse possunt. Testantur & veteres scriptores enumerationem nõ esse necessariam. Nam in Decretis citatur Chrysostomus, qui sic ait, Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neq; apud alios te accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti (Psal. 37.) Reuela ante Deum viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum, verum iudicem, cum oratione. Delicta tua pronuncia non lingua, sed conscientiæ memoria, &c. Et glossa de pœnitentia, Dist. 5. cap. Consideret, fatetur humani iuris esse confessionem. Verùm confessio, cum propter maximum absolutionis beneficium, tum propter alias conscientiarum vtilitates apud nos retinetur.

DE

DE DISCRIMINE CIBORVM.

PVBLICA persuasio fuit non tantùm vulgi, sed etiam docentium in Ecclesijs, quòd discrimina ciborum, & similes traditiones humanæ, sint opera vtilia ad promerendam gratiam, & satisfactoria pro peccatis. Et quòd sic senserit mundus, apparet ex eo, quia quotidie instituebantur nouæ ceremoniæ, noui ordines, nouæ feriæ, noua ieiunia, & doctores in templis exigebant hæc opera, tanquam necessarium cultum ad promerendam gratiam, & vehementer terrebant conscientias, si quid omitterent. Ex hac persuasione de traditionibus, multa incommoda in Ecclesia secuta sunt.

Primò obscurata est doctrina de gratia & iustitia fidei, quæ est præcipua pars Euangelij, & quã maximè oportet extare & eminere in Ecclesia, vt meritum Christi benè cognoscatur, & fides, quæ credit remitti peccata propter Christũ, longè supra opera collocetur. Quare & Paulus in hunc locum maximè incumbit, legem & traditiones humanas remouet, vt ostendat iustitiam Christianam aliud quiddam esse, quàm huiusmodi opera, videlicet fidem, quæ credit peccata gratis remitti, propter Christum. At hæc doctrina Pauli penè tota oppressa est per traditiones, quę pepererunt opinionem, quòd per discrimina ciborum, & similes cultus, oporteat mereri gratiam & iustitiam. In pœnitentia nulla mentio fiebat de fide: tantùm hæc opera satisfactoria proponebantur. In his videbatur pœnitentia tota consistere.

Secundò, hæ traditiones obscurauerunt præcepta Dei, quia traditiones longè præferebantur præceptis Dei. Christianismus totus putabatur esse obseruatio certarum feriarum, rituum, ieiuniorum, vestitus. Hæ obseruationes erant in possessione honestissimi tituli, quòd essent vita spiritualis, & vita perfecta. Interim mandata Dei, iuxta vocationem, nullam laudem habebant, quòd paterfamilias educabat sobolem, quòd mater pariebat, quòd Princeps regebat rempublicam, hæc putabantur esse opera mundana & imperfecta, & longè deteriora illis spendidis obseruationibus. Et hic error valde cruciauit pias conscientias, quæ dolebant se teneri imperfecto vitæ genere, in coniugio, in magistratibus, aut alijs functioni-

bus ciuilibus, mirabantur Monachos & similes, & falsò putabant illorum obseruationes Deo gratiores esse.

Tertiò, Traditiones attulerunt magna pericula conscientijs, quia impossibile erat omnes traditiones seruare, & tamen homines arbitrabantur has obseruationes, necessarios esse cultus. Gerson scribit multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem consciuisse, quia senserant, se non posse satisfacere traditionibus, & interim consolationem nullam, de iustitia fidei & de gratia, audierant.

Videmus Summistas & Theologos colligere traditiones, & quærere ἐπιεικείας, vt leuent conscientias: non satis tamen expediunt, sed interdum magis injciunt laqueos conscientijs. Et in colligendis traditionibus ita fuerunt occupatæ Scholæ, & cõciones, vt non vacauerit attingere scripturam, & quærere vtiliorem doctrinam de fide, de cruce, de spe, de dignitate ciuilium rerum, de consolatione conscientiarum in arduis tentationibus. Itaq; Gerson & alij quidam Theologi grauiter questi sunt, se his rixis traditionum impediri, quò minùs versari possent in meliore genere doctrinæ. Et Augustinus vetat onerare conscientias huiusmodi obseruationibus, & prudenter admonet Ianuarium, vt sciat eas indifferenter obseruandas esse: Sic enim loquitur.

Quare nostri non debent videri hanc causam temere attigisse, aut odio Episcoporum, vt quidam falsò suspicantur. Magna necessitas fuit de illis erroribus, qui nati erant ex traditionibus malè intellectis, admonere Ecclesias. Nam Euangelium cogit vrgere doctrinam in Ecclesijs de gratia & iustitia fidei, quæ tamen intelligi non potest, si putent homines se mereri gratiam per obseruationes ab ipsis electas.

Sic igitur docuerunt, quòd per obseruationem traditionum humanarum non possimus gratiam mereri, aut iustificari. Quare non est sentiendum, quòd huiusmodi obseruationes sint necessarius cultus.

Addunt testimonia ex scriptura. Christus, Matth. 15. excusat Apostolos, qui non seruauerunt vsitatam traditionem, quæ tamen videbatur de re non illicita, sed media esse, & habere cognationem cum baptismatibus legis, & dicit: Frustra colunt me mandatis hominum. Igitur non exigit cultum inutilem. Et paulò pòst addit, Omne quod intrat in os, non inquinat hominem. Item, Roma. 14.

Regnum

Regnum Dei non est esca aut potus. Colos. 2. Nemo iudicet vos in cibo, potu, sabbatho aut die festo. Item, Si mortui estis cũ Christo ab elementis mundi, Quare tanquam viuentes in mundo decreta facitis? Ne attingas, Ne gustes, Ne cõtrectes. Actor. 15. ait Petrus: Quare tentatis Deum, imponentes iugum super ceruices discipulorum, quod neq; nos neq; patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Hîc vetat Petrus onerare conscientias pluribus ritibus siue Mosi siue alijs.

Et 1. Timot. 4. vocat prohibitionem ciborum, doctrinam Dæmoniorum, quia pugnat cum Euangelio, talia opera instituere aut facere, vt per ea mereamur gratiam, aut quòd non possit existere Christianismus sine tali cultu.

Hîc obijciunt aduersarij, quòd nostri prohibeant disciplinam & mortificationem carnis, sicut Iouinianus. Verùm aliud deprehendetur ex scriptis nostrorum: Semper enim docuerũt de cruce, quòd Christianos oporteat tolerare afflictiones. Hæc est vera, seria & non simulata mortificatio, varijs afflictionibus exerceri, & crucifigi cum Christo.

Insuper docent, quòd quilibet Christianus debeat se corporali disciplina, aut corporalibus exercitijs & laboribus sic exercere & coërcere, ne saturitas, aut desidia extimulet ad peccandum, non vt per illa exercitia mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis. Et hãc corporalem disciplinam oportet semper vrgere, non solùm paucis & constitutis diebus, Sicut Christus præcipit (Luc. 21.) Cauete, ne corpora vestra grauentur crapula. Item, (Matt. 17.) Hoc genus Dæmoniorum non eijcitur nisi ieiunio & oratione. Et Paulus ait: (1. Cor. 9.) Castigo corpus meum, & redigo in seruitutem. Vbi clarè ostendit, se ideò castigare corpus, non vt per eã disciplinam mereatur remissionem peccatorum: sed vt corpus habeat obnoxium & idoneum ad res spirituales, & ad faciendum officium iuxta vocationem suam. Itaq; non damnantur ipsa ieiunia, sed traditiones: quòd certos dies, certos cibos, præscribunt cum periculo conscientiæ, tanquam istiusmodi opera sint necessarius cultus.

Seruantur tamen apud nos pleræq; traditiones, quæ conducũt ad hoc, vt res ordine geratur in Ecclesia, vt ordo lectionum in Missa, & præcipuæ feriæ. Sed interim homines admonentur, quòd talis cultus non iustificet coram Deo, & quòd non sit ponendum

peccatum in talibus rebus, si omittantur sine scandalo. Hæc libertas in ritibus humanis non fuit ignota patribus: Nam in Oriente alio tempore seruauerunt Pascha, quàm Romæ, & cùm Romani propter hanc dissimilitudinem accusarent Orientem schismatis, admoniti sunt ab alijs, tales mores non oportere vbiq; similes esse. Et Irenæus inquit, Dissonantia ieiunij fidei consonantiam non soluit. Sicut & Dist. 12. Gregorius Papa significat, talem dissimilitudinem non lædere vnitatem Ecclesiæ. Et in historia Tripartita lib. 9. multa colliguntur exempla dissimilium rituum, & recitantur hæc verba: Mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conuersationem & pietatem.

DE VOTIS MONACHORVM.

QVID de votis Monachorum apud nos doceatur, meliùs intelliget, si quis meminerit, qualis status fuerit Monasteriorum, quàm multa contra Canones in ipsis Monasterijs quotidie fiebãt. Augustini tempore erant libera Collegia. Postea corrupta disciplina, vbiq; addita sunt vota, vt tanquam excogitato carcere, disciplina restitueretur. Additæ sunt paulatim supra vota aliæ multæ obseruationes. Et hæc vincula multis ante iustam ætatem, contrą Canones, iniecta sunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus etiamsi nõ deessent anni, tamen iudicium de suis viribus defuit. Qui sic irretiti erant, cogebantur manere, etiamsi quidam beneficio Canonum liberari possent. Et hoc accidit magis etiam in Monasterijs Virginum quàm Monachorum, cùm sexui imbecilliori magis parcendum esset. Hic rigor displicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant puellas & adolescentes in Monasteria detrudi propter victum, videbant quàm infeliciter succederet hoc consilium, quæ scandala pareret, quos laqueos conscientijs injiceret. Dolebant autoritatẽ Canonum in re periculosissima omnino negligi & contemni.

Ad hæc mala, accedebat talis persuasio de votis, quam constat etiam olim displicuisse ipsis Monachis, si qui paulò cordatiores fuerunt,

fuerunt, docebant vota paria esse Baptismo, docebant se hoc vitæ genere mereri remissionẽ peccatorum, & iustificationem coram Deo. Imò addebant, vitam Monasticam non tantùm iustitiam mereri coram Deo, sed amplius etiam, quia seruaret non modò præcepta, sed etiam consilia Euangelica.

Ita persuadebãt Monasticam professionem longè meliorem esse Baptismo, vitam Monasticam plus mereri quàm vitam Magistratuum, vitam Pastorum & similium, qui in mandatis Dei, sine factitijs religionibus, suæ vocationi seruiunt. Nihil horum negari potest, extant enim in libris eorum.

Quid fiebat postea in Monasterijs? Olim erant scholæ sacrarũ literarum, & aliarum disciplinarum, quæ sunt vtiles Ecclesiæ: & sumebantur inde pastores, & Episcopi. Nunc alia res est: nihil opus est recitare nota. Olim ad discendum conueniebant: nunc fingunt institutum esse vitæ genus ad promerendam gratiam & iusticiam, imò prædicant esse statum perfectionis, & longè præferunt omnibus alijs vitæ generibus à Deo ordinatis.

Hæc ideo recitauimus, nihil odiosè exaggerantes, vt meliùs intelligi posset de hac re doctrina nostrorum. Primùm de his, qui matrimonia contrahunt, sic docent apud nos, quòd liceat omnibus, qui non sunt idonei ad cœlibatum, cõtrahere matrimonium, quia vota non possunt ordinationem ac mãdatum Dei tollere. Est autem hoc mandatum Dei: (1. Cor. 7.) Propter fornicationem habeat vnusquisq; vxorem suam. Neq; mandatum solùm, sed etiam creatio Dei cogit hos ad coniugium, qui sine singulari Dei opere non sunt excepti, iuxta illud: (Gene. 2.) Non est bonum homini esse solum. Igitur non peccant isti, qui obtemperant huic mandato & ordinationi Dei. Quid potest contra hæc opponi? Exaggeret aliquis obligationem voti, quantùm volet, tamen non poterit efficere, vt votum tollat mandatum Dei.

Canones docent, in omni voto, ius superioris excipi: quare multò minùs hæc vota contra mandata Dei valent.

Quòd si obligatio votorum nullas haberet causas, cur mutari possit, nec Romani Pontifices dispensassent. Neq; enim licet homini obligationem, quæ simpliciter est iuris diuini, rescindere. Sed prudenter iudicauerunt Romani Pontifices; æquitatẽ in hac obligatione adhibendam esse. Ideo sæpè de votis dispensasse leguntur. Nota est historia de Rege Arragonum, reuocato ex Monasterio: & extant exempla nostri temporis.

Deinde cur obligationem exaggerãt aduersarij, seu effectum voti, cùm interim de ipsa voti natura sileant, quod debet esse in re possibili, quod debet esse voluntarium, sponte & consultò concep-tum? At quomodo sit in potestate hominis perpetua castitas, nõ est ignotum. Et quotusquisq; sponte & consultò vouit? Puellæ & adolescentes, priusquã iudicare possunt, persuadentur ad vouendum, interdum etiam coguntur. Quare non est æquum, tam rigidè de obligatione disputare, cùm omnes fateantur, contra voti naturam esse, quod non sponte, quod inconsultò admittitur.

Pleriq; Canones rescindunt vota ante annum 15. contracta, quia ante illam ætatem non videtur tantum esse iudicij, vt de perpetua vita cõstitui possit. Alius Canon plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquot, vetat enim ante annum 18 votũ fieri. Sed vtrum sequemur, maxima pars habet excusationem, cur Monasteria deserant, quia plurimi ante hanc ætatem vouerunt.

Postremò, etiamsi voti violatio reprehendi posset, tamẽ non videtur statim sequi, quòd coniugia talium personarum dissoluenda sint. Nam Augustinus negat debere dissolui, 27. quæst. 1. cap. Nuptiarum: cuius non est leuis autoritas, etiamsi alij postea aliter senserunt.

Quanquam autem mandatum Dei de coniugio videatur plerosq; liberare à votis, tamen afferunt nostri & aliam rationem de votis, quòd sint irrita: Quia omnis cultus Dei, ab hominibus sine mandato Dei institutus & electus ad promerẽdam iustificationem & gratiam, impius est, sicut Christus ait: (Matt. 15.) Frustra colunt me mandatis hominum. Et Paulus vbiq; docet, iustitiam non esse quærendam ex nostris obseruationibus & cultibus, qui sint excogitati ab hominibus, sed contingere eam per fidem, credentibus se recipi in gratiam à Deo propter Christum.

Constat autem Monachos docuisse, quòd factitiæ religiones satisfaciant pro peccatis, mereantur gratiam & iustificationem. Quid hoc est aliud quàm de gloria Christi detrahere, & obscurare ac negare iustitiã fidei? Sequitur igitur ista vota vsitata impios cultus fuisse: quare sunt irrita. Nam votum impium, & factum contra mandata Dei, non valet, neq; enim decet votum vinculum esse iniquitatis, vt Canon dicit.

Paulus dicit (Gal. 5.) Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Ergo etiam, qui votis iustificari volũt,

euacuan-

euacuantur à Christo, & à gratia excidunt. Nam & hi, qui votis tribuunt iustificationem, tribuunt proprijs operibus hoc, quod propriè ad gloriam Christi pertinet. Neq; verò negari potest, quin Monachi docuerint, se per vota & obseruationes suas iustificari & mereri remissionem peccatorum: imò affinxerunt absurdiora, dixerunt se alijs mutuari sua opera. Hæc si quis velit odiosè exaggerare, quàm multa posset colligere, quorum iam ipsos Monachos pudet? Ad hæc persuaserunt hominibus, facticias religiones esse statum Christianæ perfectionis. An non est hoc iustificationem tribuere operibus? Non est leue scandalum in Ecclesia, populo proponere certum cultum, ab hominibus excogitatum sine mandato Dei, & docere, quòd talis cultus iustificet homines: Quia iustitia fidei, quã maximè oportet tradi in Ecclesia, obscuratur, cùm illæ mirificæ religiones Angelorum, simulatio paupertatis & humilitatis, & cœlibatus, offunduntur oculis hominum.

Præterea obscurantur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cùm audiunt homines, solos Monachos esse in statu perfectionis: quia perfectio Christiana est seriò timere Deum, & rursus cõcipere magnam fidem, & cõfidere propter Christum, quòd habeamus Deum placatum, petere à Deo, & certò expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, iuxta vocationem: Interim foris diligenter facere bona opera, & seruire vocationi. In his rebus est vera perfectio, & verus cultus Dei, non est in cœlibatu, aut mendicitate, aut veste sordida. Verùm populus concipit multas pernicioſas opiniones ex illis falsis præconijs vitæ Monasticæ. Audit sine modo laudari cœlibatum, ideò cum offensione conscientiæ versatur in coniugio: Audit solos mendicos esse perfectos, ideò cum offensione conscientiæ retinet possessiones, negociatur: Audit consilium Euangelicum esse de non vindicando, ideò alij in priuata vita non verentur vlcisci, audiunt enim consilium esse non præceptum, Alij omnes magistratus & ciuilia officia iudicant indigna esse Christianis.

Leguntur exempla hominum, qui deserto coniugio, deserta Reipublicæ administratione, abdiderunt se in Monasteria. Id vocabant fugere ex mundo, & quærere vitæ genus, quod Deo magis placeret, nec videbant Deo seruiendum esse in illis mandatis, quæ ipse tradidit, non in mandatis, quæ sunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum vitæ genus est, quod habet mandatum Dei. De

his rebus necesse est admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerson errorem Monachorum de perfectione, & testatur suis temporibus nouam vocem fuisse, quòd vita Monastica sit status perfectionis.

Tam multæ impiæ opiniones hærent in votis, quòd iustificent, quòd sint perfectio Christiana, quòd seruent consilia & præcepta, quòd habeant opera supererogationis. Hæc omnia, cũ sint falsa & inania, faciunt vota irrita.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

MAgnæ disputationes fuerunt de potestate Episcoporũ, in quibus nonnulli incommodè commiscuerunt potestatem Ecclesiasticam, & potestatem gladij. Et ex hac confusione maxima bella, maximi motus extiterunt, dum Pontifices, freti potestate clauium, nõ solùm nouos cultus instituerunt, reseruatione casuum, violentis excommunicationibus conscientias onerauerunt, sed etiam regna mundi transferre, Imperatoribus adimere imperium conati sunt. Hæc vitia multò antè reprehenderunt in Ecclesia homines pij & eruditi. Itaq; nostri, ad consolandas conscientias, coacti sunt ostẽdere discrimen Ecclesiasticæ potestatis, & potestatis gladij, & docuerunt vtranq;, propter mandatum Dei, religiosè venerandam & honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris.

Sic autem sentiunt, Potestatem clauium, seu potestatem Episcoporum, iuxta Euangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, prædicandi Euangelij, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos (Ioh. 20.) Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittũtur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt. Marc. 16. Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.

Hæc potestas tantùm exercetur docendo seu prædicando verbum, & porrigendo Sacramenta, vel multis, vel singulis iuxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, sed res æternæ,

næ, iusticia æterna, Spiritus sanctus, vita æterna. Hæc non possunt contingere nisi per ministerium verbi & Sacramentorum, sicut Paulus dicit (Roman.1.) Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Itaque cùm potestas Ecclesiastica concedat res æternas, & tantùm exerceatur per ministerium verbi, non impedit politicam administrationem: sicut ars canendi nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res quàm Euangelium. Magistratus defendit non mentes, sed corpora & res corporales aduersus manifestas iniurias, & coërcet homines gladio, & corporalibus pœnis, vt iustitiam ciuilem & pacem retineat.

Non igitur commiscendæ sunt potestates, Ecclesiastica & ciuilis. Ecclesiastica suum mandatum habet Euangelij docendi, & administrandi Sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, nō transferat regna mundi, non abroget leges Magistratuum, nō tollat legitimam obedientiam, nō impediat iudicia de vllis ciuilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges Magistratibus de forma Reipublicæ: sicut dicit Christus (Iohan.19.) Regnum meum non est de hoc mundo. Item (Luc.12.) Quis constituit me iudicem aut diuisorem super vos? Et Paulus ait (Philip.3.) Nostra politia in cœlis est. (2.Corinth.10.) Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destruendas cogitationes, &c. Ad hunc modum discernunt nostri vtriusq; potestatis officia, & iubēt vtramq; honore afficere, & agnoscere vtramq; Dei donum & beneficium esse.

Si quam habent Episcopi potestatem gladij, hanc non habent Episcopi ex mandato Euangelij, sed iure humano donatam à regibus & Imperatoribus, ad administrationem ciuilem suorum bonorum. Hæc interim alia functio est, quàm ministerium Euangelij.

Cùm igitur de iurisdictione Episcoporum quæritur, discerni debet Imperium ab Ecclesiastica iurisdictione. Porrò secundum Euangelium, seu, vt loquuntur, de iure diuino, nulla iurisdictio competit Episcopis, vt Episcopis, hoc est, his, quibus est commissum ministerium verbi & Sacramentorum, nisi remittere peccata, item, cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Euangelio dissentientem reijcere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ, sine vi humana, sed verbo. Hîc necessariò,

& de iure diuino, debent eis Ecclesiæ præstare obedientiam, iuxta illud (Luc. 10.) Qui vos audit, me audit.

Verùm cùm aliquid contra Euangelium docent aut statuunt, tunc habent Ecclesię mandatum Dei, quod obedientiam prohibet. Matth. 7. Cauete à Pseudoprophetis. Gal. 1. Si Angelus de cœlo aliud Euangelium euangelizauerit, anathema sit. 2. Corinth. 13. Non possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate. Item, Data est nobis potestas ad ædificationem, non ad destructionem. Sic & Canones præcipiunt. 2. q. 7. cap. Sacerdotes, & cap. Oues. Et Augustinus contra Petiliani Epistolam inquit, Nec catholicis Episcopis consentiendum est, si cubi forte falluntur, aut contra Canonicas Dei scripturas aliquid sentiunt.

Si quam habent aliam vel potestatem, vel iurisdictionem, in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonij, aut decimarum, &c. hanc habent humano iure, vbi cessantibus ordinarijs, coguntur Principes, vel inuiti, suis subditis ius dicere, vt pax retineatur.

Præter hæc disputatur, vtrùm Episcopi seu pastores habeant ius instituendi ceremonias in Ecclesia, & leges de cibis, ferijs, gradibus ministrorũ seu ordinibus, &c. condendi. Hoc ius qui tribuunt Episcopis, allegant testimonium (Ioh. 16.) Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Allegant etiam exemplum Apostolorum (Actor. 15.) qui prohibuerunt abstinere à sanguine & suffocato. Allegant Sabbatum mutatum in diem Dominicum contra Decalogum, vt videtur. Nec vllum exemplum magis iactatur, quàm mutatio sabbati. Magnam contendunt Ecclesiæ potestatem esse, quòd dispensauerit de præcepto Decalogi.

Sed de hac quæstione nostri sic docent, quòd Episcopi nõ habent potestatem statuendi aliquid contra Euangelium, vt suprà ostensum est. Docent idem Canones 9. Distin. Porrò contra scripturam est, traditiones condere aut exigere, vt per eam obseruationem satisfaciamus pro peccatis, aut mereamur gratiã & iusticiam. Læditur enim gloria meriti Christi, cùm talibus obseruationibus conamur mereri iustificationem. Constat autem propter hanc persuasionem, in Ecclesia penè in infinitum creuisse traditiones, oppressa interim doctrina de fide & iusticia fidei, quia subinde plures feriæ factæ sunt, ieiunia indicta, ceremoniæ nouæ, noui honores Sanctorum instituti sunt, quia arbitrabantur autores talium rerum, se

rum, se his operibus mereri gratiam. Sic olim creuerunt Canones pœnitentiales, quorum adhuc in satisfactionibus vestigia quædam videmus.

Item autores traditionum faciunt contra mandatum Dei, cùm collocant peccatum in cibis, in diebus & similibus rebus, & onerant Ecclesiam seruitute Legis, quasi oporteat apud Christianos, ad promerendam iustificationem, cultum esse similem Leuitico, cuius ordinationem commiserit Deus Apostolis & Episcopis: sic enim scribunt quidam. Et videntur Pontifices aliqua ex parte exemplo legis Mosaicę decepti esse. Hinc sunt illa onera, quòd peccatum mortale sit, etiam sine offensione aliorum, in ferijs laborare manibus, quòd certi cibi polluant conscientiam, quòd ieiunia sint opera placantia Deum, quòd peccatum in casu reseruato non possit remitti, nisi accesserit autoritas reseruantis, cùm quidem ipsi Canones non de reseruatione culpæ, sed de reseruatione pœnę Ecclesiasticæ loquantur.

Vnde habent ius Episcopi, has traditiones imponendi Ecclesijs, ad illaqueandas conscientias, cùm Petrus Actor. 15. vetet imponere iugum discipulis: cùm Paulus dicat (2. Cor. 13.) potestatem ipsis datam esse ad ædificationem, non ad destructionem? Cur igitur augent peccata per has traditiones?

Extant enim clara testimonia, quæ prohibent condere tales traditiones ad promerendam gratiam, aut tanquam necessarias ad salutem. Paulus Col. 2. Nemo vos iudicet in cibo, potu, parte diei festi, noui lunio aut sabbatis. Item, si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quare, tanquam viuentes in mundo, decreta facitis? Non attingas, non gustes, non contrectes: quę omnia pereunt vsu, & sunt mandata & doctrinæ hominum, quę habent speciem sapientiæ. Item ad Titum apertè prohibet traditiones, Non attendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auersantium veritatem. Et Christus Matt. 15. inquit de his qui exigunt traditiones: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Et improbat tales cultus, Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur.

Si ius habent Episcopi onerandi Ecclesias infinitis traditionibus, & illaqueandi cõscientias, cur toties prohibet scriptura condere & audire traditiones? cur vocat eas doctrinas Dæmoniorum? Num frustra hæc præmonuit S. sanctus? Relinquitur igitur, cùm ordinationes institutæ, tanquam necessariæ, aut cum opinione

promerendæ gratiæ, pugnent cum Euangelio, quòd non liceat vllis Episcopis tales cultus instituere aut exigere. Necesse est enim in Ecclesijs retineri doctrinam de libertate Christiana, quòd nõsit necessaria seruitus legis ad iustificationem, sicut in Galatis (cap.5.) scriptum est: Nolite iterum iugo seruitutis subijci. Necesse est retineri præcipuum Euangelij locum, quòd gratiam per fidem in Christum gratis consequamur, non propter certas obseruationes, aut propter cultus ab hominibus institutos.

Quid igitur sentiendum est de die Dominico, & similibus ritibus templorum? Ad hæc respondent, quòd liceat Episcopis seu Pastoribus facere ordinationes, vt res ordine gerantur in Ecclesia, non vt per illas mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiæ, vt iudicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare, cùm sine offensione aliorum violant. Sic Paulus ordinat (1.Cor.11.) vt in congregatione mulieres velent capita, vt ordine audiantur in Ecclesia interpretes, &c.

Tales ordinationes conuenit Ecclesias propter caritatem & tranquillitatem seruare, eatenus, ne alius alium offendat, vt ordine & sine tumultu omnia fiant in Ecclesijs: Verùm ita, ne conscientiæ onerentur, vt ducant res esse necessarias ad salutem, ac iudicent se peccare, cùm violant eas sine aliorum offensione, sicut nemo dixerit peccare mulierem, quæ in publicum non velato capite procedit, sine offensione hominum.

Talis est obseruatio diei Dominici, Paschatis, Pentecostes, & similium feriarum, & rituum. Nam qui iudicant Ecclesiæ autoritate, pro sabbato, institutam esse diei Dominici obseruationem, tanquam necessariam, longè errant. Scriptura abrogauit sabbatum, quæ docet omnes ceremonias Mosaicas, post reuelatum Euangelium, omitti posse. Et tamen quia opus erat constituere certum diem, vt sciret populus, quando conuenire deberet, apparet Ecclesiam ei rei destinauisse diem Dominicum, qui ob hanc quoque causam videtur magis placuisse, vt haberent homines exemplum Christianæ libertatis, & scirent nec sabbati, nec alterius diei obseruationem necessariam esse.

Extant prodigiosæ disputationes de mutatione Legis, de ceremonijs nouæ Legis, de mutatione sabbati, quæ omnes ortæ sunt ex falsa persuasione, quòd oporteat in Ecclesia cultũ esse, similem Leuitico, & quòd Christus commiserit Apostolis & Episcopis excogitare

cogitare nouas ceremonias, quæ sint ad salutem necessariæ. Hi errores serpserunt in Ecclesiam, cùm iustitia fidei non satis clarè doceretur. Aliqui disputant, diei Dominici obseruationem non quidem iuris diuini esse, sed quasi iuris diuini: præscribũt de ferijs, qua tenus liceat operari. Huiusmodi disputationes, quid sunt aliud, nisi laquei conscientiarum? Quanquam enim conentur epieikizare traditiones, tamen nunquam potest æquitas deprehendi, donec manet opinio necessitatis, quam manere necesse est, vbi ignorantur iustitia fidei, & libertas Christiana.

Apostoli (Actor. 15.) iusserunt abstinere à sanguine. Quis nũc obseruat? neq; tamen peccant, qui non obseruant, quia ne ipsi quidem Apostoli voluerũt onerare conscientias tali seruitute, sed ad tempus prohibuerunt, propter scandalum. Est enim perpetua voluntas Euangelij consideranda in decreto. Vix vlli Canones seruantur accuratè, & multi quotidie exolescunt apud illos etiam, qui diligentissimè defendunt traditiones. Nec potest conscientijs consuli, nisi hęc æquitas seruetur, vt sciamus eos sine opinione necessitatis seruari, nec lædi conscientias, etiamsi traditiones exolescant.

Facilè autem possent Episcopi legitimam obedientiam retinere, si non vrgerent seruare traditiones, quæ bona conscientia seruari non possunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiũt, nisi iurent se puram Euangelij doctrinam nolle docere. Non petunt Ecclesiæ, vt Episcopi honoris sui iactura sarciãt concordiam, quod tamen decebat bonos pastores facere. Tantùm petunt, vt iniusta onera remittant, quæ noua sunt, & præter consuetudinem Ecclesiæ catholicæ recepta. Fortasis initio quædam constitutiones habuerunt probabiles causas, quæ tamen posterioribus temporibus non congruunt. Apparet etiam quasdam errore receptas esse. Quare Pontificiæ clementiæ esset, illas nunc mitigare, quia talis mutatio non labefacit Ecclesiæ vnitatem. Multæ enim traditiones humanæ tempore mutatæ sunt, vt ostendunt ipsi Canones. Quòd si non potest impetrari, vt relaxentur obseruationes, quæ sine peccato non possunt præstari, oportet nos regulam Apostolicam sequi, (Actor. 5.) quæ præcipit Deo magis obedire quàm hominibus.

Petrus (1. Pet. 5.) vetat Episcopos dominari, & Ecclesijs imperare. Nunc non id agitur, vt dominatio eripiatur Episcopis, sed hoc vnum petitur, vt patiantur Euangelium purè doceri, & relaxent paucas quasdam obseruationes, quæ sine peccato seruari nõ possunt.

sunt. Quòd si nihil remiserint, ipsi viderint, quo modo Deo rationem reddituri sint, quòd pertinacia sua causam schismati præbēt.

EPILOGVS.

HI sunt præcipui articuli, qui videntur habere controuersiam. Quanquam enim de pluribus abusibus dici poterat, tamen, vt fugeremus prolixitatem, præcipua complexi sumus, ex quibus cætera facilè iudicari possunt. Magnæ querelæ fuerunt de indulgentijs, de peregrinationibus, de abusu excommunicationis. Parochiæ multipliciter vexabantur per stationarios. Infinitæ contentiones erant pastoribus cum Monachis, de iure parochiali, de confessionibus, de sepulturis, de extraordinarijs concionibus, & de alijs innumerabilibus rebus. Huiusmodi negocia prætermisimus, vt illa, quæ sunt in hac causa præcipua, breuiter proposita, faciliùs cognosci possent. Neq; hîc quicquam ad vllius contumeliam dictum aut collectum est. Tantùm ea recitata sunt, quæ videbantur necessariò dicenda esse, vt intelligi possit, in doctrina ac ceremonijs apud nos nihil esse receptum contra scripturam aut Ecclesiam catholicam, quia manifestum est nos diligentissimè cauisse, ne qua noua & impia dogmata in Ecclesias nostras serperent.

Hos articulos suprà scriptos, voluimus exhibere iuxta edictum C.M. in quibus Confessio nostra extaret, & eorum, qui apud nos docent, doctrinæ summa cerneretur. Si quid in hac Confessione desiderabitur, parati sumus latiorem informationem, Deo volente, iuxta scripturas exhibere.

Cæsareæ Maiest. V.

Fideles & subditi,

Iohannes Dux Saxoniæ Elector.
Georgius Marchio Brandenburgensis.
Ernestus Dux Luneburgensis.
Philippus Landgrauius Hessorum.
Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ.
Franciscus Dux Luneburgensis.
Vuolfgangus Princeps ab Anhalt.
Senatus Magistratusq; Nurnberg.
Senatus Reutlingensis.

INDEX

INDEX MONSTRANS LOCA PATRVM, ET CANONVM, ET HISTORIAS HAERETICORVM, ET ALIAS, QVAE IN CONFESSIONE AVGVSTANA CITATAE SVNT.

Ex primo Articulo.

DECRETVM Nicenæ Synodi de vnitate essentiæ diuinæ, & de tribus personis) *extat in Theodoreti libro 1. capit: 12. Socratis lib: 1. cap. 8. Historiæ Ecclesiasticæ lib. 10. cap. 6. & Tripartitæ lib. 2. cap. 9. Celebrata est autem hæc Synodus anno Christi 330. in Bithyniæ vrbe Nicea, vbi ex Imperatoris Constantini Magni edicto, trecenti decem & octo episcopi conuenerunt, vt de Samosateni, Arij, & Nouati dogmatibus confessionem ederent.*

Ab his scriptum est Symbolum Nicenum, quod post annos 55. in Synodo Byzantina, additis quibusdam verbis, & illustrato articulo de Spiritu sancto, repetitum est: Et omnibus posteæ seculis, in Ecclesia Christiana, veræ & orthodoxæ fidei, de diuinitate Filij Dei, regula & norma fuit. Adscribemus igitur hoc quoq; in loco verba Symboli, sicut ex Nicenæ & Byzantinæ Synodi præscripto in templis vsitatè cani solet.

CREDO *in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula, Deum de Deo, Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialē Patri, per quem omnia facta sunt, Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine, & homo factus est, passus etiam sub Pontio Pilato, ac sepultus est, tertia die resurrexit, Ascendit in cœlos, sedet ad dextram Patris: inde venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Credimus in SPIRITVM SANCTVM, Dominum & viuificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum & glorificandum, Qui locutus est per Prophetas. Et vnam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur vnum Baptisma in Remissionem peccatorum, & expectamus resurrectionē mortuorum & vitam futuri seculi, Amen.*

Damnant MANICHÆOS) *qui finxerunt duos esse* DEOS, *pariter æternos & eiusdem potentiæ: alterum Bonum, authorem rerum bonarum, quem Φῶς, id. lucem nominabant: alterum Malum, à quo omnes res malæ, coniugium, imperia, leges Mosaicæ, & Prophetæ orti essent. Nomen accepit hæc secta à Mane Persa, quem Manichæum aliqui vocant. Is Aureliani Imp. tempore, circa annum Christi 275. dogmata illa sparsit, quæ tamen multis annis antè, per Martionem & Cerdonem Romæ & alibi disseminata, & à D. Ireneo, Tertulliano et alijs refutata erant. Integram Manichææ sectæ historiam & refutationem inuenient studiosi apud Epiphanium lib. 2. Tomo 2. & apud Augustinum Tom. 6.*

Valentinianos) *seu Gnosticos, qui triginta Deos, seu 15. paria Deorum confinxerunt,*

βύθος

βύθον καὶ σίγην, Νοῦν καὶ ἀλήθειαν, λόγον καὶ Ζωὴν, ἄνθρωπον καὶ Ἐκκλησίαν, Παράκλητον καὶ Πίστιν, πατρικὸν καὶ ἐλπίδα, &c.

Nomen accepit hæc secta, à Valentino natione AEgyptio, (vt Epiphanius scribit) Qui circa annũ Christi 150. sub Imp. Antonino, Romæ vixit, & acceptas à Basilide, Saturnino, Carpocrate & alijs, fanaticas & prodigiosas opiniones sparsit, Quarum enumerationem & refutationem integram studiosi apud Irenæum lib: 1. & sequentibus, & apud Epiphanium libro 1. Tom. 2. inuenient.

ARIANOS) ortos ab ARIO presbytero, & Doctore in schola ecclesiæ Alexandrinæ. Qui docuit, Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, non esse verè & natura Deum, ex substantia Dei Patris genitum, & coæternum Patri, sed esse summam creaturam ex nihilo conditam. Etsi autem hic error, viuente adhuc Ario, in Nicena Synodo damnatus est, anno Christi 330. tamen multis annis pòst latissimè in toto Oriente & Africa propagatus est, donec tandem Mahometica impietas inde per Sergium Monachum Arianum extructa est.

Historiam Arij, & Nicenæ Synodi, integram legant studiosi, continua serie expositam, in Tripartita à lib. 1. cap. 12. vsq; ad libri tertij caput decimum. Item in Epiphanij lib. 2. Tomo 2.

EVNOMIANOS) Arianorum secta fuit ab Eunomio Cyzici Episcopo nomen adepta, Qui, cùm cæteri Ariani concederent Filium Deo Patri similem esse, sicut in Synodo Syrmiensi (quæ anno Christi 356. post Nicenam 26. celebrata est) pro voce ὁμοούσιος vox ὅμοιος substituta est: ipse acerrimè contendit Filium per omnia Patri dissimilem esse, Quia nullo modo creatura possit similis esse Creatori. Hanc hæresin tribus libris refutauit Basilius. Et crebra Eunomij mentio fit in Historia Eccles: Tripart: lib. 5. cap. 13. 34. 37. lib. 7. cap. 17. 18.

Mahometistas) Mahomet circa annum Christi 620. sub Heraclio Imp. in Arabia Petræa exortus est, Qui cùm largitionibus sibi milites, ab Heraclio dimissos, adiũxisset, vt facilius eos, sublatis religionũ dissidijs, in officio concordes retineret, adiutus opera Sergij Monachi Ariani, Formam doctrinæ popularem, & rationi consentaneam, condidit, ex Iudaica, Christiana & Ethnica Religione consutam, in qua articulum de tribus personis diuinitatis, & duabus in Christo naturis, planè remouit. Et vnam personam esse Deum affirmat: Christum verò excellentem Doctorem à Deo missum, sed non verè & natura Deum esse. Hæc & alia dogmata popularia auidissimè Arabes, Saraceni, Persæ, & postea Turcæ amplexi sunt. De Mahometi origine quædam recitantur apud Iohannem Zonaram lib. 3. Annalium, in historia Heraclij. Et passim extant scripta à F. Ricardo refutatio, & alia Excerpta, Alcorani.

Damnat & Samosatenos) ortos à Paulo, qui in vrbe Syriæ Samosata (quæ Luciani etiam patria fuit) natus, & Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus fuit, circa annũ Christi 270. Is docuit in Christo humanam tantùm naturam fuisse, & λόγον, in primo capite Iohannis, non significare personam à Patre distinctam, sed tantùm deliberationem seu decretum Patris de creatione & redemtione, seu verbum euanescens. Historiam legant Studiosi in Eusebio, lib. 7. cap. 23. 24. 25. 26. & in Epiphanio, lib. 2. Tomo 2.

Veteres & Neotericos) Nostra ætate Samosateni hæresin, editis in Germania & Gallia septem libellis de erroribus Trinitatis, & Dialogis aliquot, renouauit Michaël Seruetus, Aragonius Hispanus, qui anno Christi 1553. die 17. Octobris Geneuæ in Sabaudia combustus est.

Ex

EX II. ARTICVLO.

Damnant Pelagianos) *ortos à Pelagio Britanno, qui, cùm Romæ monachus esset, circa annum Christi 400. & postea, docuit vires naturæ integras, & sine peccato nasci, & posse hominem, propriis liberi arbitrij viribus, Legi Dei satisfacere, & coram Deo iustum & sine peccato esse, etiam sine auxilio gratiæ & Spiritus sancti: Sed ideo donari Spiritum sanctum, vt facilius Legi à nobis satisfieri possit. Hos errores accuratè refutauit Augustinus multis libris, qui in septimo Tomo operum ipsius collecti sunt. Item Synodus Carthaginensis & Mileuitana, quarum acta & epistolæ de hac controuersia extant.*

EX VI. ARTICVLO.

Ambrosius enim inquit: Hoc constitutum est à Deo, vt, qui credit in Christum, saluus sit sine opere, Sola fide, Gratis accipiens remissionem peccatorum.) *Hæc sententia extat statim in principio Commentariorum in prioris Epistolæ ad Corinthios caput primum, Tomo 5. pag. 244. Passim autem similes sententiæ, quæ soli Fidei iustificationem tribuunt, in Ambrosio, ad Rom. 3. 4. 10. 11. 2. Corinth. 3. 2. Timoth. 2. in Augustino, Basilio, Hilario, Chrysostomo, Eusebio, imò etiam in Origene ac Bernardo, extant.*

EX VIII. ARTICVLO.

Damnant Donatistas) *nomen acceperunt à Donato quodam Numida, Qui cùm Cæcilianus Carthagine contra ipsius voluntatem Episcopus electus esset, suam factionem ab eo seiunxit, electo proprio Episcopo Maiorino. Huic Donatus successit, priori ὁμώνυμος, sed multum eo doctior & eloquentior, qui acerrimè contendebat, non esse in hac vita Ecclesiæ admixtos malos. Et Sacramenta, per malos administrata, inutilia esse. Ideò baptizatos à Ministris, quorum mores vicioſi essent, necessariò rebaptizandos esse.*

Hos errores recitat, & acerrimè refutat D. Augustinus multis libris, qui initio Tomi 7. operum ipsius extant.

EX XII. ARTICVLO.

Damnantur & Nouatiani) *orti à Nouato, qui primùm Carthaginensis, postea Romanæ Ecclesiæ Presbyter fuit, vbi cùm Cornelius Episcopus eos, qui metu suppliciorum negauerant, & tamen ad pœnitentiam redibant, reciperet: Nouatus se ab eo seiunxit, & contendit, lapsos nequaquam recipiendos esse. Vixit circa annum Christi 254. Historia Nouati, & totius controuersiæ pia dijudicatio, extat apud Cyprianum lib. 2. Epist. 8. Et lib. 4. Epist. 2. Et apud Epiphanium lib. 2. Tomo 1. Item Eusebium lib. 6. cap. 33. 34.*

EX XVIII. ARTICVLO.

Augustinus lib. 3. Hypognosticon) *Tom. 7. operum Augustini, pag. 296.*

EX XX. ARTICVLO.

Augustinus multis voluminibus defendit gratiam & iustitiam Fideicõ. tra merita operum) *in libro de Spiritu & Litera, De Natura & Gratia, In 6. libris contra Iulianum, In tribus libris de peccatorum meritis & remissione, In quatuor libris contra duas Pelagianorum Epistolas, &c.*

Similia docet Ambrosius: sic enim inquit de vocatione gentium: Vilisceret redemtio sanguinis Christi. lib. 1. cap. 5. Tom. 2. pag. 13.

Sic enim ait Ambrosius, Fides bonæ voluntatis & iustæ actionis genitrix est) *lib. de vocatione gentium, cap. 8. statim in principio.*

Et Ecclesia canit: Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium) *In Hymno ad Spiritum sanctum, Qui cùm omnium piorum cognitione dignissimus sit, integrum asscribam.*

Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium. Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium. Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium. In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium. O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium. Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium. Lauа quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium: Flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est deuium. Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum septenarium: Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium.

DE VTRAQVE SPECIE.

CArdinalis Cusanus recitat, quando sit approbatus mos vtendi altera specie) *Locus est in tertia epistola ad Boëmos. Floruit autem Nicolaus, cui à patriopago, Cusa, ad ripam Mosellæ sito, cognomen Cusani tribuitur, tempore concilij Basilienſis, vir in lingua Latina, Græca & Ebræa, & in Mathematis ac tota Philosophia excellenter doctus. Obijt anno Christi 1464.*

Cyprianus aliquot locis testatur populo sanguinem datum esse) *libr. 2. epist. 3. In calice dominico sanctificando & plebi ministrando. Libro 4. epist. 6. ad plebem Thibarinam. Idcirco quotidie calicem sanguinis Christi bibere Christi milites debent, vt possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere. Item in Sermone de Lapsis, Quod non statim ore polluto dominì sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur.*

Idem testatur Hieronymus, qui ait) *in Commentarijs in Sophoniæ cap. 3. Tom. 4. Fol. 98.*

Imò Gelasius Papa mandat, ne diuidatur Sacramentum) *Distin. 2. de consecrat. cap. Comperimus quòd quidam, sumta tantummodò Corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant, qui aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: Quia diuisio vnius eiusdem mysterij, sine grandi sacrilegio non potest prouenire.*

Vtte stantur Canones dist. 8. cap. Veritate, cum sequentibus) *Verba Canonis sunt: Veritate manifesta cedat consuetudo veritati. Item, Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat. Item, Si consuetudinem fortassis opponas, aduertendum est, quòd Dominus dicit, Ego sum via, veritas & vita: non dixit, ego sum consuetudo, sed veritas. Et certè,*

vt

vt beati Cypriani vtamur sententia, Consuetudo, quantumuis vulgata, veritati omnino est postponenda. Et vsus, qui veritati est contrarius, est abolendus.

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

PIus Papa dixisse fertur: *Fuisse aliquas causas, cur ademtum sit sacerdotibus coniugium, sed multò maiores esse causas, cur reddi debeat*: Sic enim scribit Platina:) *in vita Pij Pontificis, circa finem. Præfuit autem Pius Ecclesiæ Romanæ anno Christi 1460. Æneas Syluius antea dictus, Senensis natione, cuius Historia Boëmica, & Epist. 430. lectu dignissima, & alia scripta extant. Huius Pij* 11. *& omnium priorum Pontificum Romanorum vitas scripsit Baptista Platina Cremonensis, qui Pij Pontificis abbreuiator & postea Sixti* 1111. *Bibliothecarius fuit. Obijt anno* 1481.

Archiepiscopus Moguntinus publicaturus edictum Romani Pontificis de ea re, penè ab iratis Sacerdotibus per tumultum oppressus est) *Historia extat apud Nauclerum Volumine 2. in fine Generationis 36. & in Lamberto Schaffnaburgensi.*

Sed etiam præsentia coniugia, contra ipsos etiam Canones, non tantùm à Synodis, verùm etiam ab ipsis Pontificibus factos, distraherentur) *Canon ex Synodo Carthaginensi sexta, circa annum Christi 420. celebrata, citatur dist. 84. cap. cùm de quorundam. Verba Canonis sunt: Placuit, Episcopos, Presbyteros & Diaconos, secundum priora statuta, etiam ab vxoribus abstinere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Pontificis Siricij Canon recitatur distinct. 82. cap. Proposuisti & sequentibus, vbi insulsè etiam Pauli dictum contra coniugium Sacerdotum allegatur, Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Nam in carne esse, est indulgere vitiosis inclinationibus & cupiditatibus carnis, quæ lege Dei prohibitæ sunt. At coniugium à Deo ipso institutum & Sacerdotibus etiam præceptum est.*

Ipsi Canones veterem rigorem interdum posterioribus temporibus, propter imbecillitatem hominum, laxandum esse dicunt) *dist. 34. cap. Fraternitatis. Verba Canonis sunt: Quamuis multa sunt, quæ in huiusmodi casibus obseruari Canonicæ iubeat sublimitatis autoritas: tamen quia defectus nostri corporis, quibus non solùm merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur manere censuram, & ætas illius, de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem adferre dignoscitur: vt ad Diaconatus ordinem possit prouehi, concessisse nos noueris.*

Item, 1. q. 7. cap. Requiritis. Nisi rigor disciplinæ quandoq; relaxetur ex dispensatione misericordiæ. Multa enim Ecclesia tolerat pro tempore, pro persona, intuitu pietatis, vel necessitatis, siue vtilitatis, & pro euentu rei, &c.

Cyprianus suadet, vt mulieres nubant, quæ non seruant promissam castitatem) *lib. 1. Epist. 2. Pudicè & castè sine vlla fabula perseuerent. Ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perseuerare nolunt, vel non possunt, melius est vt nubant, quàm in ignem delicijs suis cadant, &c.*

Æquitate quadam vtuntur ipsi Canones erga hos, qui ante iustam ætatem vouerunt) *dist. 77. capit. Placuit, vt ante 20. annos ætatis, nec Diaconi ordinen-*

tur, nec virgines consecrentur. Item, 20. q. 1. capit. Sanctimoniales ante annum 40. non velentur.

DE MISSA.

SIcut Ambrosius ait: Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam) *lib. 5. de Sacramentis cap. 4. Tomo 4. pag. 44.*

Chrysostomus ait: Sacerdotem quotidie stare ad altare, & alios ad communionem accersere, alios arcere) *in Commentarijs in 10. cap. epistolæ ad Ebræos, columna 1443. Et in primum caput ad Ephesios, col. 793.*

DE CONFESSIONE.

NAm in Decretis) *de Pœnitentia dist. 2. fol. 482.*

Citatur Chrysostomus, qui sic ait, Non tibi dico, vt te prodas in publicum) *in Commentarijs in Epistolam ad Ebræos. Et similes sententiæ apud eundem extant in enarratione Psalm. 50. Homil. 2. Et in sermone de Pœnitentia & Confessione. Item, Homil. 31. & 41.*

Glossa de pœnitentia, Distin. 5. cap. Consideret, fatetur humani iuris esse confessionem) *Verba glossæ sunt: Melius dicitur confessionem institutam fuisse, à quadam vniuersalis Ecclesiæ traditione, potius quàm ex noui vel veteris Testamenti authoritate.*

DE DISCRIMINE CIBORVM.

GErson scribit multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem conscisse, Quia senserant, se non posse satisfacere traditionibus) *in libro de vita spirituali animæ. Tomo tertio operum Gersonis. Fuit autē Iohannes Gerson Cancellarius Parisiensis, & interfuit Concilio Constantiæ celebrato, ante annos 146.*

Gerson & alij grauiter questi sunt, se his rixis traditionum impediri) *Num. 62. litera D. Textibus traditionum adeo fixi, adeo pressi cohærent, vt ad leges naturales & diuinas, secundum quas adæquari humanas & moderari necesse est, non assurgant. Item, Num. 10. litera S. & in libro de vita spirituali animæ. Num. 91. litera I. Hoc animaduertens & pia compassione deplorans D. Augustinus ad Ianuarium, &c. Si tuo tempore sic dolebas, ô sapiens Augustine, quid nostra tempestate dixisses, vbi pro varietate & motu capitum, incredibilis est varietas & dissona multiplicitas onerū huiusmodi seruilium & humanarum, provt loqueris, præsumtionum: Inter quas, velut inter laqueos animarum & ligantia retia, vix quisquam securus & indeprehēsus incesserit. Hæc est querela, qualem olim apud deuotum Bernardum detulerunt quidam, &c.*

Augustinus vetat onerare conscientias huiusmodi obseruationibus) *Epist. 118. ad Ianuarium. Totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes, & indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandum est.*

In

In Oriente alio tempore seruauerunt Pascha quàm Romæ) *Eusebius lib. 5. cap. 23. 24. Et Tripart. lib. 9. cap. 37. 38.*

Irenæus inquit: Dissonantia ieiunij, fidei consonantiam non soluit) *citatur ab Eusebio, lib. 5. cap. 24.*

Sicut & distinct. 12. Gregorius Papa significat, talem dissimilitudinem non lædere vnitatem Ecclesiæ) *in epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum. Nouit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se nouit esse nutritam: Sed mihi placet, vt, siue in Romana, siue in Gallica, siue in qualibet Ecclesia inueneristi, quod plus omnipotenti* DEO *possit placere, sollicitè eligas.*

In historia Tripart. lib. 9. recitantur hæc verba: Mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conuersationem & pietatem. Tripart. lib. 9. cap. 38.

DE VOTIS MONACHORVM.

AVgustini tempore libera erant Collegia) *teste Posidonio in vita Augustini, cap. 11.*

Hæc vincula multis ante iustam ætatem contra Canones iniecta sunt) *distin. 77. cap. placuit, vt ante 20. annos ætatis nullæ virgines consecrentur. 20. q. 1. cap. Placuit vt ante 25. annos non consecrentur. Alius Canon ante 40. annos non vult virginem velari.*

Canones dicunt, in omni voto ius superioris excipi) *33. q. 5. cap. Manifestum est ita legem statuisse, Fœminam sub viro esse, ita vt nulla eius vota valeant, nisi vir author fuerit permittendo. Item, 20. q. 4. cap. Monacho non licet vota vouere, sine consensu Abbatis sui. Item, Gerson in tractatu de esu carnium: In votis aut legibus positiuis, ista semper exceptio subintelligitur, nisi vbi contra Dei superioris præceptum, cuius finis est charitas, militarent.*

Nota est historia de Rege Aragonum, reuocato ex monasterio) *Raymirus II. filius Sancij IIII. Regis Aragoniæ, primùm Monachus S. Pontij in Gallia fuit: postea dispensatione Pontificis, fratri Petro, sine prole mortuo, in regnis Aragoniæ & Nauarræ successit, & vnicam filiam genuit, nuptam postea Raymundo, Comiti Barcinonensi, quem hæredem instituit, circa annum Christi 1145.*

Similis historia in Chronico Poloniæ extat de Casimiro filio Miezlai, Regis Poloniæ, qui ex Monasterio Cluniacensi ad Regnum Poloniæ reuocatus est, anno Christi 1042. tempore Henrici III. Imp.

Plerique Canones rescindunt vota ante annum 15. contracta) *20. q. cap. Firma. & cap. Illud autem: Si in minori ætate filij monasterio oblati fuerint, 15. anno à prælatis interrogentur, vtrùm in habitu permanere velint an non? Si reuerti ad secularem habitum voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur: Quia satis inutile est, vt coacta seruitia Domino præstentur.*

Alius Canon vetat ante annum 18. votum fieri) *Dist. 28. cap. De his, ex Canone Concilij Toletani II. Item, 20. q. 1. cap. Quia. Etiam pueros, in ijsdem monasterijs, ante annorum 18. tempora, suscipi prohibemus.*

Neque enim debet votum vinculum esse iniquitatis, vt Canon dicit) *22. q. 3. cap. Inter cætera.*

Leguntur exempla hominum, qui deserto coniugio, deserta Reip. administratione, abdiderunt se in monasteria) *vt Cassiodorus, qui Theodorici Veronensis, Gotthorum regis, cancellarius multos annos fuit, tandem relicta Reipub. administratione, abdidit se in monasterium Rauennæ, vbi cùm multa alia scripsit, tùm verò Historiam Ecclesiasticam Tripartitam ex Theodoreto, Sozomeno & Socrate, in 12. libros, qui extant, coagmentauit. Carolomannus, filius Caroli Martelli, sponte desertis, & fratri Pipino traditis amplissimis ditionibus, Austrasia, Alemannia & Turingia, Monasticam vitam amplexus est, anno Christi 746.*

Reprehendit Gerson errorem Monachorum de perfectione, & testatur suis temporibus nouam vocem fuisse, Quòd vita monastica sit status perfectionis) *In libro de Consilijs Euangelicis, & statu perfectionis. Item de Religionis perfectione & moderatione. In tertia parte operum Gersonis. Num. 67.*

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

MAxima bella extiterunt, dum Pontifices freti potestate clauium, etiam regna mundi transferre & Imperatoribus adimere imperiũ conati sunt) *vt Gregorius II. & III. Imperatoribus Constantinopolitanis, propterea quòd imagines ex templis tollebant, tributa pendi à populis Italiæ prohibuerunt. Circa annum 730.*

Huius Gregorij successor Zacharias, ademtum Hilderico Franciæ regnum, attribuit Pipino, patri Caroli Magni. Postea Gregorius VII. atrocissima inter Germanicos Principes bella ciuilia excitauit, cùm Henricum IIII. ab Imperio deponi iussit, & eligi Rudolphum Sueuiæ ducem, cui etiam coronam misit, cum hac inscriptione: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho. Adrianus IIII. & Alexander III. Pontifices, Fridericum Barbarossam sceleratè persecuti sunt. Innocentius III. Philippum & Ottonem Cæsares excommunicauit, & deposito Ottone, alium Cæsarem à Principibus eligi iussit. Gregorius IX. Fridericum secundum, cruce etiam & indulgentijs aduersus eum publicatis, toto vitæ suæ tempore oppugnauit, Postea successor ipsius Innocentius IIII. Concilio Lugduni habito, Imperium Friderico ademit, & alium eligi iussit. Qua de re extat ipsius Epistola in 6. Decretalium. Iohannes XXII. Ludouicum Bauarum Imp. deposuit.

Denique tota ferè Pontificum & Imperatorum, qui proximis annis 500. vixerunt, historia, talibus exemplis Pontificiæ tyrannidis referta est.

Hæc vitia multò antè reprehenderunt in Ecclesia homines pij & eruditi) *vt ante annos 400. Petrus Vualdus Lugdunensis, à quo Vualdenses fratres orti sunt. Ante 300. annos, Vuilhelmus Durandus. Ante 230. Marsilius Patauinus, qui Defensorẽ pacis scripsit: Dantes: Iohannes Gandauensis: Vuilhelmus Occam, & alij, qui Ludouici Bauari Imp. patrocinium susceperunt. Item, Michaël Cesenas: Iohannes Vuiclephus: Iohannes Gerson: Vuesselus, &c.*

Sic & Canones præcipiunt. 2. q. 7. c. Sacerdotes, & cap. Oues) *Verba Canonis sunt, Oues, quæ suo Pastori commissæ sunt, eum nec reprehendere, nisi à fide exorbitauerit, nec vllatenus accusare possunt.*

POST.

POSTQVAM finita est Confessionis recitatio: nomine Cæsareę Maiestatis Fridericus Palatinus his paucis verbis respondit:

Sacra Cæsarea Maiestas, Electoris Saxoniæ & aliorum consanguineorum, affinium, & amicorum meorum scriptum, continens doctrinam & obseruationes concionatorum & confessionem fidei ipsorum, prælegi audiuit, & clementissimè percepit. Cùm autem maxima & grauissima & summi momenti hæc causa sit, & consideratione dignissima: C.M. tempus de ea cogitandi sumere, & diligenter eam expendere ac deliberare, & cùm aliquid decreuerit, rursum Principibus significare & ita respondere vult, vt Cæs. M. clementiss. Christianam & benignissimam voluntatem liquidò cognoscant.

Elector Saxoniæ, coniuncti Principes ac status, Cæs. M. Regi Vngariæ ac Boëmiæ, Electoribus, Principibus & cæteris ordinibus subiectissimè gratias egerunt, quòd clementissimè & amicè eos audire dignati essent. Idq; vicissim se, in primis erga Cæs. M. omnibus subiectionis officijs promerituros esse ostenderunt. Suppliciter etiam Cæs. M. dominum suum clementissimum orant, vt grauissimum hoc negocium, in quo præsens ipsorum & æterna animorum salus posita esset, clementer & diligenter, vt rei magnitudo postularet, expendere, & ita hanc causam tractare dignaretur, sicut clementissimum & Christianissimum Cæsarem deceret: sicut in literis Indictionis se facturam esse clementissimè promisisset.

Ita tum discessum, nec quidquam præterea eo die actum est, nisi quòd Principes Euangelici, exemplum lectæ Confessionis scriptum latinè & germanicè, per Electoris Saxoniæ Cancellarium, Alexandro Svveissio Cæsaris Secretario exhibuerunt, à quo Cæsar ipse illud accepit, & de sede sua descendens petiuit à Principibus, ne scriptum illud, inscia aut non assentiente Cæs. M. spargerent, né ue typis excudi à quoquam paterentur. Qui responderunt, se ita acturos esse, ne in vllam C.M. reprehensionem iustam incurrant. Cæsar verò ipse, Confessionem exhibitam statim ad præcipuos in Europa Reges Christianos misit, & sententias illorum ac consilia scisscitatus est.

Legati etiam Regum singuli in suæ gẽtis idioma conuersam in præcipuis Europæ aulis & vrbibus eam distribuerũt. De qua propagatione Euangelij latissimè in multas gentes eo tempore sparsi Lutherus postea his verbis gloriatus est:

Tanta verbi Dei est efficacia & virtus, vt, quò plus persecutionis habet, eò plus floreat ac crescat. Considerate Comitia Augustana, quæ verè sunt vltima tuba ante extremum diem: Quia æstuabat totus mũdus contra verbum Dei. **O wie musten wir dazumal bitten/daß Christus für den Papisten im Himmel bliebe.** Tandem nostra doctrina & fides ita prodijt in lucem per confessionem nostram, vt breuissimo tempore, mandato etiam Cæsaris, ad omnes Reges & Principes mitteretur. Ibi multa præclariss. virorum ingenia in aulis fuerũt, **die fiengen die Lehr/gleich wie ein Funder/** & postea vbique incendebãt. Ita nostra Confessio & Apologia cum summa gloria est edita. At illorum confutatio in tenebris sordescit. O quàm optarem, vt ipsorum confutatio in lucem prodiret! **Wie wolten wir vns an den alten zurissenen Beltz machen / vnd jn also zuschütteln/daß die Fleck hin vnd wider stieben solten.** Sed ipsi oderunt lucem, **Sie wöllen nicht herfür/ Wir haben jnen frieden vnd einigkeit gnugsam angebotten/** sed ipsi superbiss. nolebant consentire. Ideò oportet illos sentire sine vlla misericordia. Sic in Iosua legitur, quòd Iosua omnibus ciuitatibus pacem obtulerit, & nullam præter Gibeon suscepisse, cæteras omnes eam excusisse, & ideò sine misericordia perijsse. Ideò illa comitia omni laude digna sunt. **Was allda verzehrt ist worden/sol niemandts gerewen/** quia verbum Dei promulgatum est contra omnium hominum, Cæsaris, Papæ, Epicureorum opinionem. **Sie wolten es dempffen/so gieng es auff vnd an.**

Scripserat eadem die, qua Confessio post meridiem exhibita est, manè Elector Saxoniæ ad Lutherum, historiam eorum, quæ de concionibus intermittendis & confessione non in publica audientia, sed priuatim in Cæsaris hospitio exhibenda, secum acta erant, & inter cætera, Domino DEO nostro per prædicationem verbi sui nobiscum loquenti silentium in his comitijs impositum esse dixerat. Ad eam Epistolæ Electoris querelam alludens Lutherus post exhibitam confessionem inter cætera ad Electorem scribit:

Aduersarij se præclarè rem gessisse existimant, quòd per Interdictum prohibuerunt: Sed non vident miseri, per scriptam Confessionem Cæsari exhibitam plus prædicatum & latiùs propagatam esse hanc doctrinam, quàm fortasse decem Concionatores facere potuissent. Egregiam verò sapientiam Aduersariorum, quòd M. Islebius & cæteri Concionatores tacere coguntur. Prodit autem Elector Saxoniæ & cæteri Principes ac Domini cum scripta Cõfessione, & concionantur liberrimè coram Cæs. M. & toto Imperio in omnium conspectu, vt audire cogantur, nec contradicere quidquam possint. Profectò Edictum de intermittendis concionibus non inultum abiuit. Nolunt ministris suis concedere, vt Concionatores audiant, & coguntur ipsi multò deteriora (vt ipsi nominant) ex Principibus concionantibus audire & obmutescere.

Christus

Christus profectò non tacet in Comitijs: ac etiamsi insaniant, tamẽ plus ex Confessione audierunt, quàm si totum annum Concionatores audiuissent. Ita completur, quod Paulus inquit: Verbum Dei non esse alligatum. Si in suggestis prohibetur, tum in Palatijs Regum illud audiri oportet. Si miseris Concionatoribus prædicare non conceditur: tum magnos Principes & Dominos prædicare necesse est. Et in summa: Si omnia tacent, lapides clamabunt, inquit Christus ipse.

Cùm autem de exhibita Confessione, in Senatu Principum, deliberationes institutæ essent, triplices sententiæ fuerunt: Prima atrocissima, vt Edictum Vuormatiense aduersus Lutherum & omnes ipsi adhærentes ratum esset, & non obedientes armis cogerentur. Secunda lenior, vt exhibita confessio, viris bonis & doctis ac neutri parti addictis, iudicanda committeretur, postea Cæsar pronunciaret. Tertia, vt refutatio Confessionis, Cæsareæ Maiestatis authoritate comprobata, Electori Saxoniæ & coniunctis Principibus recitetur, Deinde tota causa Cęsaris iudicio permittatur, qui omnia in integrum restitui mandet, donec controuersiæ in Concilio legitimè fuerint dijudicatæ. In hanc tertiam sententiam cùm plerosq; ordines inclinare, Elector Saxoniæ comperisset: statim ex Luthero sciscitatur, an & quatenus Cæsaris iudicio causam Religionis disceptandam concedere possit. Is in eadem Epistola, cuius iam memini, respondet:

De Quæstione, quam Cels. V. mihi proposuit, reuerenter sententiam meam indicabo.

Primùm, si Cæs. M. petet, vt Cæs. M. ipsius iudicio, hæc causa committatur, cùm de ea multum disputare non cogitet: iudico C. V. posse ad hoc respondere, quòd C. M. literæ, quibus hic conuentus indictus est, clementissimam causæ cognitionem polliceantur. Quæ si non instituenda esset, nihil literis illis opus fuisset, ac iudicium illud suum C. M. etiam in Hispania ferre, nec tanto sumtu & molestia, C. V. ad Comitia Augustam euocare, & alijs etiam Imperij statibus similiter parcere potuisset. Si enim nihil amplius impetrare licuit, aut nulla spes maior relicta esse debuit, potuisset certè M. C. talem responsionem per veredariũ transmittere. Parum verò honoris, & fortasse magnum scandalum & incommodum rediturũ est ad C. M. & ad vniuersum Imperium, si C. M. simpliciter causa incognita iudex esse, & nihil aliud respondere velit. Certè enim sapientis huius consilij nemo alius autor est, nisi C. V. amicus N. N. Cęsar certè non est autor, sicut quilibet dicturus est & dicere cogteur.

Secundò, Si Cæs. M. h. e. N. N. omnino vrgebit, vt Cæs. ipsius M. iudicium in hac causa permittatur: poterit C. V. summa alacritate dicere, se Cæs. M. in

hac causa iudicium permittere,& velle C.V.omnia recipere & ferre,eò vsq;,& hac sola exceptione addita,vt ipsius C. M. nihil contra claram Scripturam aut DEI verbum iudicet.V.C.non posse C.M.supra DEVM ponere, neq; iudicium ipsius contra DEI verbum recipere. In hunc modum C. M. sat honoris exhibetur,quandoquidem nemo nisi solus DEVS(quem tamen necesse est & oportet supra omnia esse) ipsius C.M.præferatur.

Tertiò,si obijcient, hac responsione contumelia affici C. M. quasi contra DEI verbū pronunciatura esse existimetur,sed credendum esse, C. M. vt Christianum principem, contra DEI verbum nihil decreturam aut iudicaturam, &c. (sicut VVormatiæ mihi quoq; similiter, vt iam C. V. obijciebant) ad hoc quid respondendum sit,benè intelliget C.V.scilicet quòd DEVS seuerè prohibuerit fiduciam in principes & homines collocari, sicut Psal. 118. & 146. dicit: Nolite confidere in principibus. Imò neq; primum præceptum DEI hoc patitur,cùm dicit:Non habebis deos alienos. Præterea si sermo proprij oris ipsorum verus sit, & si sint Principes Christiani, non poterunt id rectiùs demonstrare,quàm si cum Christi verbo & iuxta ipsius verbum iudicēt, & dicant:Sic ait Christus.Si autem præter Scripturam iudicent, & velint, vt ipsorum iudicium sine Scriptura recipiatur, redarguit eos proprium ipsorum os, quòd velint esse Christiani principes sine Christo, & extra Christum. Hoc peiùs est quàm esse principem sine subditis, diuitem sine nummis, doctum sine arte. Verùm ita se res habet,Insipientia ipsorum manifesta fit.

Cels.V.tranquillo & forti animo sit, Christus adest nobis & V.C. rursus confitebitur coram Patre suo, sicut eum iam confitemini coram generatione praua:sicut dicit, Qui me honorat, hunc & ego honorabo. Idem DOMINVS, qui incepit, perducet etiam ad finem. Ego pro V. C. oro diligenter & seriò.Si plus possim præstare,agnosco me debere. DEI gratia,sicut hactenus,sit & augeatur in C.V.Amen. Die Sabbati.9.Iulij.

Interea verò, dum confutatio exhibitæ Confessionis à Theologis aduersæ partis: inter quos, Iohannes Faber, Iohannes Eccius, Conradus Vuimpina, qui propositiones de indulgentijs, Lutheranis contrarias, Tecelio composuerat,Cōradus Collinus,ex Reuchlini Epistolis notus,Iohan. Cochlæus, Medardus Franciscanus,in colloquijs Erasmi celebratus, Augustinus Marius, &c. præcipui fuerunt, apparatur:

C.M.per Ducem Fridericum, Comitem Palatinum Rheni, Hoierum Comitem à Mansfeld , & N. Comitem ab Helfenstein, quæri iubet ex Iohanne Electore Saxoniæ & coniunctis Principibus, An adquiescere Articulis Confessionis antea exhibitis, an verò plures articulos proponere velint. Hi, absentibus duarum ciuitatum Legatis, spacium cum ijs colloquendi petiuerunt, postea

inde

in deliberationem deducta, cùm insidiosè ea quæstio proposita esse videretur, causæ à Theologis indicatæ sunt, cur inutile esset, plures alios articulos exhibere.

Primùm, Quia Principes de articulis doctrinæ necessarijs, quæ publicè in eorum ditionibus populo prædicaretur, sententiam suam exposuissent: nec necesse sit eos onerare inutilibus disputationibus: vt, An mulieres possint consecrare: An sit rerum contingentia, &c. quæ ad scholas magis, quàm conciones pertinent.

II. *In exhibita confessione ferè omnes Articuli necessarij comprehensi sunt. Quare ex contrario sensu, omnes abusus, cum doctrina illa pugnantes, de facto & re ipsa taxantur: Nec necessarium, atque etiam impossibile est, omnes abusus in specie enumerare.*

III. *Si nunc primùm odiosi articuli proponerentur, calumniari possent aduersarij, Nos antè speciosos & plausibiles articulos tantùm protulisse, nunc videre C.M. nos multos & pernicioses errores occultare, ac si Cæs. M. vrgeret, plures errores pervestigatum iri.*

IIII. *Cùm pro viribus cauere debeamus, ne causæ tractatio susceptæ impediatur: nullo modo consultum est, vt odiosi & non necessarij articuli, de quibus in Scholis disputari solet, hoc tempore moueantur: Quales sunt:*

Vtrùm omnia eueniant necessariò?
Vtrùm liberum arbitrium sit nihil?
Vtrùm DEVS *faciat mala?*
Vtrùm omnes Christiani sint Sacerdotes?
Vtrùm Papa sit primus Episcopus Iure diuino?
Vtrùm indulgentiæ habeant locum?
Vtrùm omne bonum opus sit peccatum mortale?
Vtrùm Laicus possit consecrare?
Vtrùm casus Matrimoniales tantùm pertineant ad Episcopos?
Vtrùm sint plus minus septem Sacramenta?
Vtrùm possint Episcopi simul gestare gladium & præesse Ecclesijs?
Vtrùm Papa sit Iure diuino dominus bonorum Ecclesiasticorum?
Vtrùm Prædestinatio habeat causam in meritis vel non?
Vtrùm Ordo imprimat characterem indelebilem?
Vtrùm mulier possit consecrare?
Vtrùm confessio auricularis sit de necessitate salutis?

Ita re diligenter deliberata & expensa, tandem communi consilio Responsionem Scripto complexi sunt, quam descriptam subiungo.

Illustrissime Princeps, cognate carissime, Generosi Comites. Cùm heri circiter horam septimam, exposueritis nobis mandata C. M. Domini nostri clementissimi, vt declaremus animum nostrum, vtrùm plures articulos proposituri essemus, an his, qui nuper C. M. reuerenter exhibiti

exhibiti sunt, contenti essemus: duximus vobis amanter respondendum esse, vnà cum his, qui nobis coniuncti sunt.

Quanquam constat multos & pernicioſos abusus, tum in doctrina, tum in administratione Ecclesiastica hærere, qui initio commouerunt, non solùm nostros, sed etiam alios multos, vt taxarent eos in concionibus & scriptis, & admonerent pias mentes, quæ impura doctrina grauiter vexatæ, nullam audierunt ex Euangelio consolationem: Tamen quia C.M. publicis literis, quibus indicitur conuentus, significat, hæc negocia religionis, inter nos, cum mutua caritate & mansuetudine agenda esse: non est visum nuper, omnes abusus sigillatim enumerare. Sed exhibuimus in genere confessionem, in qua ferè complexi sumus summam doctrinæ, quæ apud nos docetur, tanquam præcipuè ad salutem animarum vtilis, vt C. M. planè perspicere possit, nullum apud nos impium dogma receptum esse. Adhæc magis duximus illos abusus attingere, qui nostris & nostrorum conscientijs oneri fuerunt, quàm qui hærent in moribus Ecclesiasticorum, de quibus ipsi suo tempore Deo rationem reddent, nisi illa vitia correxerint. Itaq; ne videremur hoc negocium exacerbare, sed cum debita mansuetudine agere, & vt insignes mutationes & causa mutationum clariùs perspici possent, cauere volnimus, ne prolixa recitatio singulorum abusuum vel offenderet animos, vel obscuraret causam. Et tamen protestamur, nos per eandem confessionem exhibitam, omnes incertas & impias doctrinas & abusus, qui pugnant cum articulis & rationibus articulorum, quas exhibuimus, improbare. Quare non arbitramur opus esse, vt plures articulos proponamus.

Verùm si altera pars, iuxta C.M. literas, quibus indicitur conuentus, & iuxta Propositionem initio conuentus factam, in suis opinionibus proponendis, abusus illos recitauerit, non recusamus de illis, DEO dante, ex verbo DEI, sententiam nostram ostendere, quemadmodum & in fine confessionis exhibitæ promisimus nos esse facturos.

Proinde C.M. Dominum nostrum clementiss. cum debita reuerentia etiam atq; etiam oramus, cùm, obedientiæ nostræ declarandæ causa, maturè huc venerimus, & iam diu hic non sine maximis sumtibus simus, vt C.M. clementer efficiat, ne hæc res diutius extrahatur, sed agatur iuxta publicas literas, quibus conuentus indicitur: quemadmodum nihil dubitamus C.M. curaturam esse, & nos hactenus dedimus operam, & deinceps, Deo volente, daturi sumus, ne nos aliquam moram attulisse ei rei videamur. Et pollicemur nos, pro hoc beneficio C.M. Domino nostro clementiss. cum debita reuerentia semper fore gratissimos.

Quòd autem multorum & pernicioſorum abusuum tam in doctrina, quàm in gubernatione Ecclesiastica hærentium, qui concordiæ & pacis causa eo tempore non omnes commemorentur, in hac responsione mentio fit: hi postea diligentiùs & accuratiùs collecti & vnà cum Consilio de emendandis abusibus, editi sunt: in Actis Colloquij VVormatiensis & Ratisbonensis anno 1541. celebrati. Vnde huc assumi possunt.

Elector Saxoniæ, octiduo post exhibitam confessionem, vt antea sæpe per literas, ita tunc coràm, feudum Elector atus Saxoniæ & reliquarum ditionum suarum pro more Imperij, authoritate Cæsarea &

rea & solenni inauguratione ac Diplomate confirmari petiuerat. Verùm decima sexta Iulij, Cæsar per Fridericum Palatinum & Henricum Comitem à Nassavv Electori respondet: Cupere Cæsaream Maiestatẽ & renouatione Inuestituræ Electoratus Saxoniæ petenti gratificari, & Regalia Ducatus Saxoniæ conferre, & pacta dotalia cum Duce Iuliacensi, cuius filia Sibylla Iohanni Friderico nupta erat, confirmare: Si abiecta noua doctrina, quam cum Catholicæ Ecclesiæ consensu pugnantem amplexus esset, ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam rediret. Si id non faciat, Cæsaream Maiestatem, ei, qui à societate fidei & Ecclesiæ Catholicæ discesserit, feudum conferre nequaquam posse.

Hac responsione Imperatoris accepta, Elector, exemplum constantiæ in veræ doctrinæ ingenua confessione, omnium seculorum memoria dignum edit, dum nullis fractus minis aut terroribus, nec vllis augendæ suæ aut filij potentiæ & opum spebus & promissis languefactus, doctrinam Euangelij, quam amplexus erat, se omnibus rebus humanis anteferre, pia animi excelsi & in DEO firmiter adquiescentis alacritate demonstrat.

Cùm autem in eo Scripto, Confessionem illam Heroicam, capita quædam de Inuestitura Electoratus Saxoniæ, & pactis dotalibus cum Iuliacensi, antecedant: non mutilatum, sed integrum, sicut die 21. Iulij Cæsari Carolo exhibitum est, adiungendum esse putauimus.

INVICTISSIME Imperator, Cæsar Auguste, Domine clementissime. Ad ea, quæ Cæs. M. V. proximo Sabbato post diem S. Margarethæ, per Illustriss. Principem Fridericum Palatinum, & Generosum Comitem Henricum à Nassavv, mihi proposuit, de tribus Articulis, videlicet, de renouatione inuestiturę Electoratus Saxoniæ, de confirmatione pactorum dotalium de Ducatibus scilicet Iuliacensi, Cleuensi & Bergensi, Postremò de nundinis in vrbe Gotha instituendis: Cùm petiuissem tempus ad deliberandum, duxi C. M. V. cum debita reuerentia & obedientia hoc modo respondere.

Primùm, de Renouatione inuestituræ Electoratus Saxoniæ, vt C. M. V. causas meæ petitionis meliùs intelligat, Scit C. M. V. quòd Bulla Aurea, quam C. M. V. clementer confirmauit & approbauit, clarè de successoribus Electorum sic constituit: Si decedat Elector secularis sine hæredibus masculis de corpore, vt succedat in Electoratu frater illius maximus natu. Quam ob causam extincto charissimo fratre meo, Duce Friderico Electore Saxonię sine hæredibus masculis de corpore, mihi competit ius in dicto Electoratu Saxoniæ succedendi. Ad hæc C. M. V. concessit mihi antea nominatim simul cum fratre

meo

meo dictum Electoratum cum regalibus in feudum, quemadmodum ostendunt literæ feudi, ex quibus hic articulus descriptus est, qui signatus est litera A. quas C. M. V. in conuentu VVormatiensi fratri meo dedit, & iuxta Bullam Auream mihi nominatim concessit dictum Electoratum in feudum: Si frater meus sine hæredibus masculis de corpore discessisset. Et si opus erat post mortem fratris vlteriorē petere inuestituram, non est ea res neglecta: Statim enim post mortem fratris mei intra dimidium annum, apud Regimen Imperiale C. M. V. iuxta Imperij ordinationem, sicut decebat, inuestituram petiui. Et quia res ad C. M. V. reiecta est, iuxta responsum regiminis, & ego duos Consiliarios ad C. M. V. propter hanc causam in Hispaniam misi: C. M. V. clementer dedit indultum ad biennium, in quo clementer & sine conditione C. M. V. consensit, se mihi concessuram esse feudum, vbi redijsset in Imperium, iuxta literas, quarum exemplum hîc signatum est litera B. Deinde C. M. V. simile indultum mihi concessit ad annum, per sollicitationem Vice Cancellarij C. M. V. amici mei, Episcopi Hildesemensis & Constantiensis, cum simili promissione clementissima, futurum, vt C. M. V. si redijsset in Imperium, feudum mihi conferret, iuxta literas, quarum exemplum hîc signatum est litera C. Præterea vt magis etiam declararem meam diligentiam dignam obediente Principe, nuper misi ad Insbruck ad C. M. V. meum consiliarium Iohannem Doltzick profectum cum propinquo meo Comite VVilhelmo de Nassavv, & Comite VVilhelmo de Nevvenar, quibus C. M. V. iterum clementer sine omni conditione respondit in hanc sententiam, quòd C. M. V. esset mihi collatura dictum feudum, postquam veniisset Augustam. Postremò nuper hîc cum debita reuerentia & obedientia idem à C. M. V. petiui, non existimans futurum, vt præsertim collatio feudi differretur, aut reuocaretur in dubium: Sed quia animaduerto me apud C. M. V. impediri à quibusdam parum amicis, de quibus DEVS scit me nō esse malè meritum, ideo duxi mihi valde necessariam esse hanc commemorationem, quomodo C. M. V. dictum Electoratum, si frater meus discessisset, concesserit mihi in feudum datis literis feudi: Deinde supra illam collationem concesserit indultum post mortem fratris per literas obsignatas: Postremò nuper in Insbruck consenserit tandem se mihi hîc collaturam esse feudum. Quare iterum omni reuerentia & obedientia, quantum omnino debeo & præstare possum, rogo, vt C. M. V. clementer conferat in feudum dictum Electoratum, & regalia Ducatus Saxoniæ, mihi & meis hæredibus & agnatis hactenus simul inuestitis, iuxta illas minimè ambiguas nec disputabiles literas, & clara promissa, quorum feci mentionem. Et cùm charissimus frater meus, per hanc dignitatem Electoratus, in electione, quod citra iactantiam dictum volo, non inter postremos fauerit C. M. V. prouehendæ ad illud fastigium Imperij, non patiatur C. M. V. meam causam impediri per aduersarios meos, ne voluptatem inde capiant aduersarij, si ego nunc hæres fratris in hoc ipso Electoratu aliquid periculi & dilationis sustinere cogar.

Quòd verò etiam petiui, vt C. M. V. pacta dotalia, quorum mentionem feci, sine aliorum præiudicio, si qui prætendant se ius habere, confirmet, id factum es

tum est & nunc & antea propter illas causas, quas affinis meus, & affinis mea de Iülch & Cleue, & ego, per meos Oratores missos in Hispaniã, iuxta nostram vtrorumq; sigillatam instructionem, satis copiosè exposuimus C.M.V. & maximè propter clementiss. promissa, quæ C.M.V. primùm fratri meo, deinde mihi per Secretarium C.M.V. Iohannem Hanault iuxta literas fidei C.M.V. & instructionem inter cætera in hanc sententiã fecit, videlicet, quia C.M.V. ex certis causis tum allegatis, non posset exequi sponsalia contracta inter sororem C.M.V. nunc Reginã Portugaliæ, & filium meum Ducem Iohannem Fridericum iuxta sigillatas literas illius contractus, quas haud dubiè C.M.V. meminit: Ideo si meus frater & ego, coniugem filio meo alibi quæreremus, vellet C.M.V. clementer eam rem consilio, promotione, & auxilio iuuare, & magnum aliquod beneficium Cæsareum addere filio meo, quod beneficium dictus Hanault, me nihil petente, iuxta sigillatas literas, quas vnà cum instructione illorum mandatorum adhuc penes me habeo, exposuit.

Cùm autem iuxta DEI voluntatem filio meo contigerit vxor D. Sybilla, filia Ducis Iuliacensis & Cleuensis primogenita, cum huiusmodi pactis dotalibus, quæ debita reuerentia C.M.V. declarauimus: & filius meus cum vxore sua & ego petamus confirmationem à C.M.V. sine aliorum præiudicio, Si qui prætendant se ius habere, quemadmodũ antea & nuper in Insbruck post aduentum C.M.V. per consiliarium meum Iohannem Dolzick etiam scriptis petiuimus: Iterum cum summa reuerentia rogo, vt C.M.V. clementer velit considerare causas recitatas, & clementissima promissa, & multiplicia & fidelia obsequia harum familiarum Saxonicæ, Iuliacensis & Cleuensis, & de confirmatione illa dotalium pactorum clementer respondere, quemadmodum antea spem ostendit se responsuram esse. Idem rogo & de nundinis in oppido meo Gotha confirmandis, cùm nemo iure queri possit, id cum suo præiudicio fieri, quemadmodum in Insbruck C.M.V. ex scriptis intellexit causas illius Emporij instituendi. De his rebus oro, vt C.M.V. tanquam Dominus meus Clementissimus benignè respondeat, quemadmodum confido C.M.V. simili erga me clementia atq; benignitate vsuram esse, sicut Clariss. Maiores C.M.V. semper erga me vsi sunt.

Quòd autem C.M.V. difficilia quædam postulata de Religione mihi exponi fecit, scit C.M.V. quòd me, & quidem simili edicto, quod ad religionem attinet, sicut alios status vocauit, scilicet, Vt in hoc conuentu, dissensionibus & simutatibus depositis, & præteritis erratis Christo Saluatori nostro cõdonatis, sic ageretur, vt omnes vniuscuiusq; opiniones & sententiæ, inter nos in charitate & mansuetudine mutua audirentur, intelligerentur, & expenderentur, & ad vnam Christianam veritatem redigerentur. *Quare & ego, & alij quidam Principes & Ciuitates, vt obediremus illi edicto & propositioni C.M.V. factæ, initio conuentus exhibuimus C.M.V. cum debita reuerentia in vtraq; lingua Latina & Germanica rationem & confessionem, quomodo in mea ditione & illorum ditionibus doceatur, &, quemadmodum conueniebat, subscripsimus illi confessioni,*

sioni, Et in præfatione illius confessionis, ego cum alijs subscriptis, obtulimus nos, quòd non gra
uatim cum alijs Electoribus, Principibus & statibus, velimus deliberare & conferre de æquis &
tolerabilibus modis, vt, quantū honestè fieri possit, conueniamus, & re inter nos agitata, citra
odiosam contentionē, Deo dante, discordiæ dirimantur, & ad vnam veram, concordem Religio
nē deducantur: sicut omnes sub vno Christo sumus & militamus. Qua in re nihil detrectamus,
quod cum Deo & bona conscientia fieri potest, quod ad Christianā concordiā prodest. Et adhuc
offero me cum debita reuerentia erga C.M.V. quòd non recuso conuenire cum alijs, quantum
omnino cū Deo & bona conscientia fieri potest: Et ex superuacuo, neq; Christianū Concilium,
in quod cōsensi, defugio, ac spero de bonitate Dei futurum, vt in hac placida collatione, aut cer-
tè in Concilio nunquam conuincamur per Scripturas sanctas, quòd per meam & coniunctorū
meorum confessionem & rationem doctrinæ subscriptā, me à veritate Dei & à C.M.V. tanquā
supremo defensore Christianorum abalienauerim. Et si qua in re admonitus fuero, quòd vel
ego aliquid sentiam, vel doceatur aut institutū sit in mea ditione aliquid contra Deum ac ver-
bum, aut ordinationem DEI: Deo dante sic me geram, quemadmodum haud dubiè, & alij
mei coniuncti facient, ne C.M.V. aut alij iudicare possint, quòd per curiositatem cupiam me
à verbo & ordinatione Dei & à Catholica Ecclesia vlla in re segregare: Sed multò magis quòd
cupiam ex toto animo iuxta verbum & ordinationem Dei cum Catholica Ecclesia sentire.

Præterea opus est inprimis cognoscere, quos articulos nostros alij oppugnare velint, vt
vicissim Christianam & necessariam rationem reddere possimus, quemadmodum in fine Con-
fessionis exhibitæ nos obtulimus, si Dei beneficio articuli illi, qui controuertuntur, & ab alijs
oppugnantur, iam in hoc conuentu iuxta scripturas Sanctas ad vnam veritatem reduci pos-
sent, iuxta literas, quibus Conuentus indicitur.

Quamquam enim in omnibus rebus omnino, quæ cum Deo & bona conscientia fieri pos-
sunt, quæq; ad C.M.V. & Imperij dignitatem amplificandam pertinent, paratus sum, cum
summa reuerentia C.M.V semper obedire; Ita vt, si res, & C.M.V. postulet, neq; vitæ meæ,
neq; corporis mei, neq; fortunarum, neq; vllius alterius discriminis habiturus sim rationem:
Tamen cùm hæc causa Religionis pertineat propriè ad gloriam Dei, & ad meam conscientiam,
& salutem animæ, Et cùm hanc doctrinam, quæ in mea ditione docetur, & quam profes-
mus ego & alij mihi coniuncti, inscriptis Latinè & Germanicè exhibitis coram C.M.V. &
statibus Imperij, & adhuc profiteor, eam, & quicquid illi iuxta Scripturas Sanctas consenta-
neum est, sentiam & credam Catholicam & Christianam esse, & consentientem verbo Dei
& ordinationibus Dei, neq; diuersum ex Scripturis sanctis ostensum sit, scilicet quòd Confes-
sio nostra dissentiat à Scripturis Sanctis seu verbo & ordinationibus Dei, peto vt C.M.V. cle-
menter pro sua pietate & bonitate consideret, quòd neq; ego neq; alij mihi coniuncti possi-
mus sine exitiali offensione conscientiæ, & sine contumelia nominis diuini, coram Deo & C.
M.V. & toto mundo, deficere ab illa doctrina, & verbo & ordinatione Dei, & iudicare ver-
bum & ordinationem Dei, quæ est æterna & nunquam peritura veritas, non esse verbum &
ordinationem Dei.

Neq; verò existimo C.M.V. fuisse petituram, vt hoc modo deficerem ab hac doctrina, si
si aduersarij nimia assiduitate hoc apud C.M.V. obtinuissent.

Cùm igitur sentiamus, quòd hæc doctrina & ordinatio, quæ apud nos docetur, sit ver-
bum & mandatum Dei: necesse est etiam aduersarios, pro me & alijs mihi coniunctis pro-
nunciare ac fateri, quòd non liceat nobis in tali conscientia ab ea deficere: Et quòd coram Deo
& bonis

& hominibus licuerit, imò etiam oportuerit nos cognoscere, recipere ac tolerare in nostris ditionibus verbum & ordinationem Dei, non obstantibus humanis traditionibus aut consuetudine, quæ contra mandata Dei aut instituta aut recepta est.

Nam, vt in mea Confessione & aliorum, qui mecum coniuncti sunt, sæpe commemoratum est, Deus seuerè præcipit, vt de verbo suo & ordinationibus suis magis obtemperemus sibi quàm hominibus. Idem præcipiunt sanctorum Patrum sententiæ, quæpassim in Iure Canonico perscriptæ extant, & quarum aliquæ in confessione nostra citatæ sunt: Quòd verbum & mandatum Dei non possint humanis traditionibus aut contraria consuetudine, quantumuis vetusta, aboleri. Idem statuunt & apertè concedunt omnia scriptaiura, si quid contra diuina & naturalia Iura à quoquam mandatum aut rescriptum fuerit, vt id rescriptum, siue mãdatum, siue ordinatio, habeatur irrita & inanis. Hinc C.M.V. iudicare potest, vtrùm meritò accusemur ego & alij mihi coniuncti, quasi in hac re non præstiterimus debitã obedientiã.

Præterea nouit C.M.V. quomodo chariss. frater meus Fridericus, Dux Saxoniæ Elector significauerit C.M.V. quòd grauaretur in illud edictum consentire: Idq; postea in alijs cõuentibus Imperij, videlicet Norenbergensi, & priore conuentu Spirensi mitigatum & relaxatum est certis causis, quas tunc Electores, Principes & status in quadam instructione communi consensu complexi sunt, & vnà legationem ad C. M. V. in Hispaniam mittere decreuerunt. Cùm igitur Deus C.M.V. vniuersis Christianis tanquam summum gubernatorem ac dominum temporalem & custodem disciplinæ ciuilis præfecerit, cumq; C.M.V. nuper mihi clementer significauerit, quòd C.M.V. nunquam sciens contra Scripturas sanctas factura sit, (Ex qua voce in his difficilimis ac tristissimis negotijs maximam accepi consolationem) oro vt C.M.V. non patiatur se eò pertrahi, vt constituat aut præcipiat aliquid contra illa, quæ Deus, cuius C. M. V. vices gerit, tanquam superior Dominus & aterna sapientia, omnium hominum prudentiam & consilia longè superans, constituit, ordinauit & præcepit: Sed C. M. V. in hac re respiciat gloriam Dei, & clementer consideret hominum salutem, aut certè in maximis rebus, propter assiduam & importunam solicitationem aduersariorum, non præcipitet iudicium, quemadmodum fortassis illi optant. Verùm si fine profectu fuerit placida collatio inter nos instituta in hoc cõuentu, ad quam intelligit C.M.V. quòd me sæpe obtulerim paratũ: nec defugiunt eam alij mihi coniuncti: permittat C.M.V. vt tutiores sint conscientiæ, vt hæ grauiss. controuersiæ, quia ad gloriam Dei & ad salutem animarum pertinent, quibus rebus nihil maius neq; in cœlo neq; in terra cogitari potest, reijciantur ad generale, liberum & Christianum Concilium, quemadmodum C.M.V. clementer consensit. Et Electores, Principes & status in multis conuentibus, propter causæ magnitudinem summè necessarium & vtile esse deprehenderunt & iudicarunt, & cum debita reuerentia à C.M.V. petiuerunt, vt de Concilio indicendo pro autoritate Imperatoria cum Rom. Pontifice ageret, vt tandem veritas patefacta illustraretur, & rectè instituta diligentiùs seruarentur, & abusus corrigerentur.

Ac velit C.M.V. clementer expendere, quomodo hoc interpretaturi essent homines, non solùm in Germania, sed etiam apud exteras nationes, cùm toties de generali, libero & Christiano Concilio deliberatum sit, & communi consensu expetitum, & toti Imperio spes de eo facta sit, si iam mentio Concilij obrueretur, præsertim si etiam collatio in hoc conuentu instituta sine profectu fuisset, cumq; ineuitabilis necessitas in tot abusibus Ecclesiarum, de quibus vbiq; publicæ querelæ sunt, Synodum cogi postulet. Quamquam nihil dubitamus C. M. V. propter gloriam Dei & vniuersæ Ecclesiæ maximeq; Germanicæ nationis salutem, daturam esse

operam, ne frustra videatur spes Concilij ostensa esse.

Hæc precor accipiat C.M.V. clementer, simplici & bono animo, propter necessitatem meam & aliorum qui mihi coniuncti sunt, commemorata: nec patiatur se commoueri, vt concipiat aliquam indignationem aduersus me, aut in simili casu aduersus alios, qui mecum sentiunt: Propterea quia non possum à verbo & mandato Dei bona conscientia ad eum modum deficere, sicut petitur: Sed velit mihi, sic me toties ex superuacuo offerenti, clementiß. Dominus & Imperator esse, nec Cæsaream beneuolentiam atq; clementiam erga me mutare. Quic. quid aũt concedere & facere vnquã potero, quod non fuerit contra verbum Dei, & contrã. scientiam meã, Deo dante, ea re cum debita reuerentia præstabo, vt C.M.V. cognoscat Electorem fidelem, obedientem, tranquillũ, & pacis cupidum esse, & vsq; ad vltimum spiritum semper mansurum esse, maximeq; abhorrere ab impijs & perniciosis dogmatibus, & consilijs turbulentis. Neq; quisquam deprehendet vnquam me talibus vlla in re fauere.

Quòd autẽ per ista verba (Alij mihi coniuncti) quibus vsi sumus in proximo scripto, propter ciuitates, Normberg & Reutlingen, quæ de doctrina nobiscum sentiunt, confœderatis quædam intelligitur, non speraßem futurum, vt aduersarij hæc verba tam copiosè interpretarentur ad irritandam C.M.V. contra me. Neq; fuit causa, cur isti sic suspicarentur, aut odiosa interpretatione commouerent C.M.V. contra me. In confeßione res postulabat subscribere istos, qui idem sentiunt, quia facilè iudicari potest, me & meos amicos in tam arduis negotijs non exhibuisse confeßionem aliorum causa, neq; rationem reddituros esse de omnibus, quæ in alijs locis docerentur non consentanea nostræ confeßioni, cui subscripsimus. Adhæc nouit C.M.V. quid responderim, cùm de eadem re perferrẽt ad me mandata C.M.V. Comes de Naßau, & Comes de Neuuenar ex Insbruck: quam responsionem de confœderatione precor C.M.V. & hîc recordari velit.

Quòd verò etiam de Heluetijs falsißimè insimulor, quasi aut expetiuerim illorum societatem, aut cum ijs fœdus aliquod fecerim, oro ne patiatur C.M.V. animum suum à me abalienari talibus criminibus manifestè falsis. Sic enim respondeo, neminem mortalium viuere ßquam, qui verè dicere aut affirmare poßit, quòd ego vnquam in omni vita mea expetiuerim societatem Heluetiorum. Multò magis hoc falsum est, quòd societatem cum ijs fecerim. Nemo poterit dicere, quòd miserim ad eos, aut vlli mandata dederim, aut clàm priuatim, aut publicè cum Heluetijs de fœdere agendi, aut quòd me sciente vnquam talis aliqua actio suscepta sit.

Peto igitur, vt C.M.V. pro sua iustitia, istos meos maleuolos, qui de tali confœderatione me apud C.M.V. insimulant, iudicet esse vanißimos, nec habeat ijs fidem, donec probent hoc crimen, quemadmodum facere hoc æquum est: tametsi satis scio nunquam probaturos esse, ac ne leues quidem coniecturas eius rei comminisci posse.

Proxima hyeme exposuit mihi agnatus meus, Dux Saxoniæ Georgius, quòd similia essent delata ad fratrem C.M.V. Regem Vngariæ & Bohemiæ, dominum & cognatum meum. Verùm ita respondi & Regiæ Celsitudini, & meo agnato, vt sperem ipsis satisfactum esse, & innocentiam meam declaratam, meq; satis purgatum esse. Neq; secus video intellexisse, vel ex Regia Celsitudine, vel ex agnato meo, quin mea purgatione contenti sint.

Hæc omnia, quæ mihi necessariò dicenda esse putaui, precor vt C.M.V. pro sua Cæsarea & ingenita bonitate dignetur clementer accipere & intelligere. Ego vicißim officium boni Principis & obedientis erga C.M.V. semper summa fide ac diligentia facturus sum, nec recusabo vllum vsquam periculum corporis aut fortunarum pro C.M.V. subire.

DIE

DIE Margarethæ, 13. Iulij, Theologi Pontificij aceruum librorum contra Lutherum Imperatori exhibuerunt sequentibus titulis.

Catholica & quasi extemporanea Responsio super nonnullis Articulis Catholicæ Cæsareæ Maiestati hisce diebus in dieta Imperiali Augusten: per Illustrissimum Electorem Saxoniæ & alios quosdam Principes & duas Ciuitates, oblatis.

Antilogiarum, hoc est, Contradictionum M. Lutheri Babylonica, ex eiusdem Apostatæ libris, per doctorem Iohannem Fabri excerpta.

Hæreses & errores ex diuersis M. Lutheri libris in vnum collecti.

Hæreses in Sacris Concilijs antea damnatæ, per Lutheranos iterum ab inferis reductæ.

Hæreses & errores M. Lutheri per Leonem Pontificem ante decennium damnati.

Hæreses & errores M. Lutheri per Vniuersitatem Parisien. condemnati.

Condemnatio facultatis Theologicæ Louanien.

Epitome aliquot hæresium & errorum M. Lutheri.

Monstra sectarum ex Luthero & Lutheranis enata.

Lutherani Euangelij abominabiles & pernicios & damnatissimi fructus.

Huius Indicis meminit Philippus in Epistola biduo pòst ad Lutherum data.

SCRIPSI tibi subinde nouas deliberationes haberi: id re ipsa experimur. Heri in Senatu Principum decretum factum est, vt Cæsar de consensu vniuersæ Germanicæ oretur, vt cogi Synodum curet. Erat adiectum caput alterum, vt interim ea ratio seruetur, quæ paci nihil officeret. Nostri pugnarunt, vt secundum caput omitterent, quod quanquam ipsi fecerint nonnullis adducti causis, mihi tamen non admodum placet. Nimis cauti volumus videri.

Mitto tibi Indicem Scriptorum, quæ sunt exhibita Cæsari à nostris aduersarijs: vbi videbis, scelerato consilio, ἀντιλογίας & alia addi confutationi, vt irritent nobis mansuetissimum Cæsaris pectus. His artibus pugnant Sycophantæ. Si continget, ut respondendum sit: ego profecto remunerabor istos nefarios viros sanguinum. Aliquoties iam fui apud quosdam inimicos ex illo grege Ecciano: non possum dicere, quantam odij Pharisaici acerbitatem deprehenderim. Nihil agunt, nihil meditantur, nisi vt concitent aduersus nos Principes, & impia arma induant optimo Imperatori. Vale & ora pro nobis. Veneris pòst Margarethæ, 15. Iulij.

De Antilogijs ex Lutheri libris à Fabro collectis, Lutherus illis ipsis diebus ad Philippum inter cætera scribit:

Quòd Aduersarij colligunt contradictoria ex meis libris, etiam faciunt

pro gloria sapientiæ suæ ostendenda. Quomodo isti asini contradictiones nostræ doctrinæ iudicent, qui neutram partem contradictoriorum intelligant? Quid enim aliud nostra doctrina esse potest in oculis impiorum, quàm mera contradictoria, cùm exigat & damnet opera, simul tollat & statuat ritus, simul Magistratum colat & arguat, similiter peccatum asserat & neget? Sed quid agas in mare porto? Nimis, nimis insignem & certam reddidit pietatem vestram & innocentiam, ista manifesta Satanæ impudentia, qua postulat omnia à vobis restitui, hoc est, Deum negetis, sese verò adoretis, & omnia monstra affirmetis, quæ ille per ipsos creauit, tantis homicidijs, mendacijs, blasphemijs. Hîc mille corpora pro Christo tradenda essent à quolibet nostrum.

ET AD IONAM.

FAtsvs sum spe mea, qui vos aduentare cogitabam, Edicto Cæsaris iamdudum verberatos. Sed nunc video, quid voluerint istę postulationes, An plura articulorum haberetis offerendum. Sed Satan adhuc viuit & benè sensit Apologiam vestram dissimulasse articulos de purgatorio, de sanctorum cultu, & maximè de Antichristo Papa.

Miserum verò Cæsarem, si ista Comitia instituit audiendis Antilogijs Lutheri, quasi non satis habeant ad respondendum ad ipsam præsentem Apologiam, & istis ranis patere sic aditum, cum suis coaxitatibus, præsertim in tanto maximarum causarum negocio, vt etiam in summo otio non debuerit id licere. Sed fient hæc, vt sim propheta verax, qui semper dixi, frustra laborari & sperari concordiam doctrinæ, satis esse, si politicam pacem possimus obtinere. Gaudeo Philippũ experiri Campegij & Italorum ingenia: Philosophia ista nõ credit, nisi experta. Ego neq; Confessori Cæsaris, neq; vlli Italo vnum My credo. Nam meus Caietanus sic amabat me, vt sanguinẽ pro me vellet fundere, scilicet meum. **Es sind Buben.** Italus vbi bonus est, optimus est. Sed rarum hoc monstrum est, nigroq; similimum cygno. Zuinglius mihi sanè placet & Bucerus, **Also sol sie Gott herfür an tag bringen**/ scilicet, cum his hominibus ineamus societatem. Sed post Cæsaris abitum erunt iterum alij. **Seyt jhr deß Reichßtags nicht sat**/ **so nimpt michs wunder**/ **Ich bin sein müde.** Vellem ego sacrificium esse huius nouissimi concilij, sicut Iohannes Huss Constantiæ sacrificium fuit nouissimæ fortunæ Papalis. Christus sit vobiscum potens. Amen.

Cùm autem differretur publicatio confutationis Pontificiorum, in sextam hebdomadam ab exhibita confessione: Philippus interea & Lutherus de multis doctrinæ controuersæ partibus, & quid concedi aduersarijs bona conscientia possit, ac inprimis de Tradi-

Traditionibus humanis ac cultibus proprio arbitrio electis, per literas inter se contulerunt.

Cumq; Philippus de communi Ecclesiæ & Reipub. ac posteritatis salute & pace, & sanandis vulneribus publicis, & auertendis distractionibus Ecclesiæ, & confusionibus dogmatum tristioribus, sollicitus, ingentem animi dolorem & luctum assiduis lacrymis & sermonibus mœstis declararet: Lutherus grauissimis literis, & spiritu ac vita efficaci plenissimis cohortationibus, ipsum & collegas erigere studuit & confirmare.

Eas Epistolas, cùm Thesaurus sint salutarium & efficacissimarum consolationum, & pleræq; hoc ipso tempore paucis post exhibitam confessionem diebus, circa exitum mensis Iunij & in Iulio scriptæ, & multò antè typis expressæ extent: denuò etiam hoc in loco eas coniungere, & pijs legendas exhibere volui. ex quibus etsi ad Pontanum splendidissimè & dulcissimè scripta, cæteris posterior est: tamen bono consilio eam primo loco hîc exponendam esse duxi.

CLARISSIMO VIRO, D. GREGORIO PONTANO, I. V. D. ET ELECTORIS Saxoniæ Cancellario.

Gratiam & pacem in Christo, clarissime D. Doctor, & compater carissime. Aliquoties iam ad clementissimum Principem & cæteros nostros amicos scripsi, sed me tuo nimis sæpe literis meis me ipsis molestum fuisse, ac præsertim clementissimo Domino meo, perinde ac si non crederem Dei cõsolationem & auxilium Celsitudini ipsius maius & firmius, quàm mihi, adesse. Quidquid autem horum à me scriptum est, nostrorum instinctu factum fuit, quorum nonnulli tam sunt abiecto & sollicito animo, ac si Deus nostri oblitus esset; Quod prorsus fieri non potest, nisi suijpsius primùm obliuiscatur: aut nostra causa non sit ipsius causa, & nostra Doctrina non sit ipsius verbum & Doctrina. Aliàs si certi sumus & non dubitamus ipsius causam & verbum esse quod profitemur, certissimum est preces nostras iam exauditas, & de præsenti auxilio atq; ope nobis ferenda iamdudum in cœlo deliberatum atq; conclusum esse. Id aliter esse non potest. Ita enim ait Deus: Nunquid potest Mater obliuisci infantem suum, vt non misereatur Filij vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis signaui te.

Duo Miracula nuper vidi. Cùm è fenestra aspicerem stellas in cœlo, & totam illam pulcherrimam concamerationem cœli à Deo factam: nec vspiam viderem pilas & columnas, quibus forni-

cem adeo amplum architectus impoſuiſſet: Tamen nõ corruit cœlum & adhuc firmum & immotum perſiſtit. Sunt autem aliqui, ſolicitè quærentes pilas, quibus cœlum innititur, eaſq; manibus contrectare vehementer cupiunt. Cùm verò id non poſſint, toto pectore anguntur & tremunt, metuentes ne cœlum corruat, non aliam ob cauſam, quàm quòd pilas & columnas, quibus innititur cœlum, prehendere & videre ipſi nequeunt. Si comprehẽdere manibus pilas poſſent: tum firmiter cœlum ſtare poſſe non dubitarent. Alterum miraculum eſt. Videbam magnas ac denſas nubes capitibus noſtris tanta mole impendentes, vt immenſo mari verè comparari poſſent. Nec tamen ſolum, cui incumberent, aut vaſa, quibus continerentur, cernere potui. Nihilominus tamen in nos non deciderunt, ſed velut toruo vultu nos ſalutantes celeriter diffugerunt. Cùm autem præterijſſent, eluxit ſtatim fundus & tectum noſtrum, cui incubuerant, IRIS videlicet: infirmum ſanè & perquàm tenue fundamentum ac tectum, & in nubibus euaneſcens, quodq; veriùs ſplendorem obſcurum, (qualis per vitrum pictum elucere ſolet) quàm tantum fundum repreſentaret, & non minorem quàm ipſa nubium moles nobis deſperandi cauſam adferret. Interim tamen re ipſa comperiebamus illam, vt apparebat, inanem vmbram lucis, tantas aquarum moles ſuſtinere, & nos protegere. Et tamen aliqui vndarum ac nubium ſpiſſitudinem & molem pluris faciunt & metuunt, quàm hanc tenuem, exilem, acleuem vmbram. Cupiunt enim manibus palpare & ſentire vim & efficaciam huius vmbræ: Quod cùm nequeant, timent, nubem ruptam perpetuum diluuium parituram eſſe.

De his familiariter vobiſcum iocari, & tamen ſine ioco ſcribere volui. Magnam enim voluptatem inde percepi, quòd Excell. veſt. præ cæteris omnibus in hac noſtra cruce ac perſecutione tranquillo & forti animo eſſe cognoui. Speraueram ſanè ad minimum pacem politicam obtineri potuiſſe. Sed Dei cogitationes noſtris longè ſuperiores ſunt, & rectè. Deus enim, vt Paulus inquit, exaudit, & facit ſuprà, quàm intelligimus aut petimus. Nos enim, quid oremus, vt oportet, non nouimus. Rom. 8. Quòd ſi nos ita exaudiret, quemadmodum nos petimus, vt Cæſar pacem nobis largiretur, tum fortè infrà, non ſuprà quàm intelligimus, faceret: Et Cæſari potiùs, quàm Deo gloria impetratæ pacis tribueretur. Nunc ipſe ſolus pacem nobis curare vult, vt ſolus à nobis honore afficiatur, qui ei propriè vni & nullis alijs debetur. Non quòd Cæſaream Maieſtatem contemnamus: Imò petimus & optamus, vt Cæſ. M. nihil contra Deum & iura Imperij attentet. Sin verò (quod Deus auertat) tale quid tentaret: nos tamen, vt fideles ſubditi, non credemus hæc à Cæſ. ipſius M. fieri, ſed alios Tyrannos Imperatoris nomine, idipſum facere, Atq; eatenus nomen Cæſ. M. à Tyrannorum iniuſtis operibus diſtingue-

mus,

mus, quemadmodum sacrosanctum Dei nomen, quo hæretici & periuri abutuntur, à mendacijs separamus, Dei nomen veneramur, mendacia verò fugimus & detestamur. Ita nec debemus nec possumus Tyrannorum actiones, quas sub Cæs. M. nomine suscipiunt, approbare aut recipere. Sed huic causæ, quam immensa bonitate Deus nobis commendauit, suo Spiritu sancto ipse benedicet, ac felici successu aderit, & modum ac tempus nos iuuandi aptissimum non obliuiscetur, nec negliget. Nondum Viri sanguinum mediam partem confecerunt eius, quod iam incipiunt, ac nondum eò, quò cupiunt progredi, omnes peruenerunt. Nostra Iris imbecilla, eorum nubes præpotens est. Sed in fine videbitur cuius toni. V. E. has meas nugas boni consulat, ac consoletur N. & reliquos omnes. A Christo precibus obtinebo, vt clementiss. Principem ipse consoletur, & in agnita veritate conseruet. Huic debetur laus & gratiarum actio in perpetuum. Eius gratiam ac fauorem Vestr. Excel. quoq; non ficta fide precor. Ex Eremo, Anno 1530.

D. MARTINI LVTHERI, PLENA VIVAE ET EFFICACIS CONSOLATIONIS, RESPONSIO AD PHILIPPI EPISTOlam, cuius prima verba fuerunt: Versamur hîc in miserrimis curis, ac planè perpetuis lacrymis.

GRatiam & pacem in Christo, in Christo inquam, non in mundo. Ego tuas miserrimas curas, quibus te scribis consumi, vehementer odi, quòd sic regnant in corde tuo. Non est magnitudo causæ, sed magnitudo incredulitatis nostræ. Nam eadem causa maior fuit sub Iohanne Huss & multis alijs quàm nobis. Deinde vt ut sit magna, magnus est etiam actor & autor eius: neq; enim nostra est. Cur igitur sic perpetuò & sine respiratione te maceras? Si est causa falsa, reuocemus: Si vera est, cur facimus illum in tantis promissionibus mendacem, quibus iubet nos esse animo ocioso & dormienti? Iacta, inquit, curam tuam super Dominum, propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, & qui tribulato sunt corde. An iste temere loquitur, aut ad bestias proijcit? Ego etiam sæpius crucior, sed non perpetuò. Philosophia tua ita te vexat, (non Theologia) ea quæ & Ioachimum tuum, qui simili cura rodi videtur, quasi vestra illa inutili cura quicquam possitis efficere. **Was kan der Teuffel mehr/ denn daß er vns erwürge?** Quid inde? obsecro te, qui in alijs omnibus pugnax es, luctare etiam cõtra teipsum, maximum hostem tuum, qui Satanæ tantum armorum contra teipsum ministras. Christus pro peccatis nostris mortuus est semel,

at pro iusticia non moritur, sed viuit & regnat. Si hoc verum est, quis metus est pro veritate? At posternetur per iram DEI: prosternamur & nos simul, sed non per nos. Qui noster pater est factus, etiam erit liberorum nostrorum. Ego certè oro pro te diligenter, & doleo te pertinacissimam curarum hirundinem, meas preces sicritas facere. Ego quidem, quod ad causam attinet (stupórne sit an spes, viderit Christus) nō valde turbatus sum, imò spe meliore, quā speraueram fore. Potens est Deus mortuos suscitare, potens est & causam suam labentem seruare, lapsam erigere, stantem promouere. Si nos digni non sumus, fiat id per alios. Si enim nos illius promissis non erigimur, obsecro qui alij iam sunt in orbe, ad quos pertineant? Sed aliâs plura nisi quòd in mare aquas porto. Christus Spiritu suo nos omnes soletur, corroboret & doceat. Amen. Si audiuero rem malè affectam apud vos fore & periclitari, vix continebo me quin aduolem, visurus gyrum illum dentium Satanæ formidabilem, vt Scriptura dicit. Vale. 29. Iulij.

ALIA.

Gratiam & pacem in CHRISTO.

QVID ad te potissimùm scribam, mi Philippe, planè ignoro: ita reuerberant me cogitationes de tuis pessimis vanissimisque curis, vt qui sciam surdo fabulam narrari. Hoc facit quòd tibi soli credis, mihi & alijs non credis, magno tuo malo: ego verum fatebor: fui in maioribus angustijs, quàm tu vnquam futurus sis. Spero optoq; nulli hominum, etiam ne istis quidē, qui iam ita sæuiunt in nos, quantumuis scelerati & nefarij, vt mihi similes fiant: & tamen in his malis semper leuatus sum, verbo fretus, aliquando Pomerani, aliquando tuo, aliquando Ionæ & aliorum. Quare rogo, vt tu vicissim nos audias, qui certè nihil secundum carnem aut mundum, sed secundum DEVM absq; dubio per Spiritum sanctum loquimur. Simus nos viles: ne vilis quæso sit, qui per nos loquitur.

Sol es denn erlogen seyn/ daß Gott seinen Son für vns geben hat/ so sey der Teuffel an meiner statt/ Ist es aber war/ was machen wir denn mit vnserm leydigen verzagen/ sorgen vnd trauwren?

Quasi verò ille nolit in leuioribus rebus adesse, qui Filium suum

ſuum dederit: aut quaſi Satan potentior ſit. In priuatis luctis inferior ego, tu autem fortior: contrà in publicis tu talis, qualis ego in priuatis, ſi priuatum dici debet, quod geritur inter me & Satanam.

Nam tu vitam tuam contemnis, publicæ cauſæ metuis: Ego verò de publica cauſa ſatis magno & otioſo ſum animo, qui ſciam certò ipſam iuſtam eſſe & veram, deniq; ipſius Chriſti & DEI. Non ſic pallet rea peccato, ſicut ego vnicus ſanctulus pallere & tremere cogor. Proinde penè ſecurus ſpectator ſum, & iſtos minaces & feroces Papiſtas non huius facio.

Si nos ruemus, ruet Chriſtus vnà, ille regnator mundi: & eſto ruat, malo ego cum Chriſto ruere, quàm cum Cæſare ſtare. Neque vos ſoli cauſam hanc ſuſtinetis: certè fideliter vobis adſum gemitibus & precibus: vtinam & carne liceret. Nam & mea eſt cauſa, & plus mea, quàm omnium veſtrum: neq; vlla temeritate aut cupiditate vel gloriæ vel lucri tentata: quod teſtatur mihi Spiritus ipſe, & hactenus res ſatis declarauit, declarabitq; latiùs vſq; in finem.

Quare te per Chriſtum oro, ne ita negligas promiſſa illa diuina, vbi dicitur, Iacta ſuper Dominum curam tuam, Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, &c. quorum plenus eſt liber Pſalmorum & Euangelium. Confidite, ego vici mundum. **Es wirt ja nicht falſch ſeyn / das weiß ich fürwar /** quòd Chriſtus ſit victor mundi. Quid ergo victum mundum ſic formidamus, qui victorem habemus? **Solt doch einer ein ſolchen Spruch auff den Knien von Rom oder Jeruſalem holen.** Sed copia, aſſiduitate familiaritateq; vileſcit nobis, **das iſt aber nit gut /** Scio, imbecillitas eſt fidei: At oremus cum Apoſtolis, Auge nobis fidem Domine. Saltzburgenſi Tyranno reddet etiam ſecundum opera ſua DEVS, qui te ſic cruciauit. At merebatur aliud à te reſponſum, quale ego fortè dediſſem. **Ey wolan / laßt ſie machen / ſie haben noch nicht außgemacht.**

Sed ſcribo hæc fruſtra, Quia tu, ſecundum Philoſophiam veſtram, has res ratione regere, hoc eſt, vt ille ait, cum ratione inſanire pergis, & occidis teipſum, nec vides prorſus extra manum tuam & conſilium poſitam eſſe cauſam, etiam extra curam tuam velle agi. Et Chriſtus prohibeat, ne in tuum conſilium & manum, quod tamen pertinaciter velles, veniat. Tũ verò pulchrè & ſubitò periremus. Sed **es heißt /** Altiora te ne quæſieris, & ſcrutator maieſtatis gloriæ opprimetur, ſeu, vt Hebræus habet, Scrutans grauia grauabitur. Hæc ad te pertinent. Dominus Ieſus ſeruet te, ne deficiat fides tua,

sed crescat & vincat. Ego pro te oro, oraui, & orabo, nec dubito quin sim exauditus: Sentio enim illud Amen in corde meo. Si non fiet quod volumus, fiet tamen quod melius. Nam nos regnum futurum expectamus, vbi omnia fefellerint in mundo. Vale, 30. Iunij.

Ex sequentibus Epistolis apparet, Lutherum, cùm mense Iunio rariùs literas à Collegis accepisset, aliquantum commotum & prætermissioni officij literarum iratum fuisse. Philippi igitur Epistolam, cui proxima Lutheri respondet, priùs adscribam.

QVanquam heri misimus tabellarium de nostro conductũ, vt tibi nos purgaremus de silentio, tamen cùm hodie iturus esset Februarius, iterum scripsimus, ne quem vacuum hinc dimitteremus. Non potest dici, quantum dolorem acceperimus lectis Vitiliteris, qui significat, te implacabiliter irasci, quòd parum assiduiin scribendo visi sumus. Nullo vnquam tempore magis fuit nobis opus consilio, & consolatione tua, quàm nunc, cùm versemur in periculosissimis negocijs, & quidem tuam hactenus secuti autoritatem. Itaq; te oro vel propter gloriam Euangelij, vt nos respicias, vel propter Remp. quę, nisi te gubernante, grauissimas tempestates subitura videtur. CHRISTVS passus est se excitari in nauicula periclitante. Nos hîc certè multò cum maioribus periculis conflictamur, in quibus nihil acerbius possit accidere nobis omnibus, quàm si tu nos destituas. Non audeo hac de re queri apud Pontanũ, ne quam ei sollicitudinem grauioremin ijciam. Adhuc is status fuit nostrarũ rerum, vt magnam partem temporis in lacrymis hîc consumserimus. Quare noli putare nos tanquam Vlyssis socios voluptate aliqua captos obliuisci tui. Et quidem sæpe scripsimus, quod verè confirmare possumus.

Nostra confessio est exhibita Imperatori: exemplum etiã tibi misimus, quod apud te retinebis, ne emanet in publicum: vetat enim Imperator edere. Scripsi tibi, vt mihi significes, si ita res tulerit, quantum cedere aduersarijs possimus. Res sunt antea deliberatæ, vt scis, sed semper aliter in acie se dant, quàm antè sunt deliberatæ. De Missa priuata suspicor maximum fore certamen. Sed nihil adhuc habeo certi. Faber, Eccius, imò etiam Principes aliquot nihil nisi vim, & bellum meditantur. DEVS dissipet cogitationes populorum, qui bella volunt. Vale, & pro nobis ora. 26. Iunij.

MAR.

MARTINVS LVTHERVS PHILIPPO MELANTHONI.

Gratiam & pacem in Christo.

MI Philippe, Rhetoricam tuam legi, qua silentium vestrum excusas. Binas autem literas interea ad te misi, in quibus mei silentij causam satis declaraui. Hodie postremas à te accepi, in quibus tuos labores, pericula, lacrymas ita exaggeras, ac si ærumnas & dolores vestros meo silentio immeritò augerem. An verò existimas ignotas mihi esse molestias vestras, aut me hîc inter rosas sedere, & nihil curarum vobiscum sustinere? Vtinam adeo leuis esset dolor meus, vt lacrymis eum significare & egerere possem. Ego sanè decreueram, nisi eo vesperi literæ vestræ aduenissent (de prioribus dico, quæ aduentum Cæsaris significarunt) meo sumtu tabellarium ad vos mittere, vt quamprimum rescisceram, an viui vel mortui essetis. Id testabitur M. Vitus. Et tamen omnes literas vestras mihi redditas esse arbitror.

Apologiam vestram accepi, & miror quid velis, vbi petis, quid & quantum sit cedendum Pontificijs. De Principe est alia quæstio, quid illi concedendum sit, si huic periculum impendeat. Pro mea persona plus satis cessum est in ista Apologia: quam si recusant, nihil video, quod ampliùs cedere possim, nisi videro eorũ rationes aut scripturas clariores, quàm hactenus vidi.

Ego dies & noctes in ista causa versor, cogitans, voluens, disputans, & totam Scripturam lustrans, & augescit assiduè mihi ipsa plerophoria in ista doctrina nostra, & confirmor magis ac magis: **Daß ich mir / ob Gott wil / nun nichts mehr werde nemmen lassen / es gehe darüber wie es wölle.**

Ego hîc satis commodè valeo: Videtur enim spiritus ille remittere, scilicet precibus fratrum & vestris fractus, qui me colaphisauit hactenus, quanquam loco eius suspicor successisse alium, qui corpus meum fatigat, tamẽ malo ferre tortorem hunc carnis, quàm carnificem illum Spiritus, & spero, qui vincit Patrem mendacij, vincet etiam homicidam. **Er hat mir den Todt geschworen / das fühle ich wol / hat auch kein ruhe / er hab mich denn gefressen. Wolan frisset er mich / so sol er ob Gott wil ein Purgation fressen / die im den Bauch vnnd Ars zu enge machen soll. Es wil gelitten seyn / wer den Christum haben wil.**

Facile esset & nobis regnare, si vellemus vnum negare, & criminari. Es heist/

heist/ per multas tribulationes. Das sind nun nicht mehr wort/ Es ist ins werck kommen/ da mögen wir vns nach richten. Est tamen fidelis qui facit cum tribulatione prouentum.

In literis tuis displicuit, quod scribis, vos meam autoritatem secutos esse in ista causa. Nolo vobis author esse aut dici in ista causa, etiamsi id commodè possem interpretari, tamen vocabulum hoc nolo. Si non est æquè & simul vestra causa, nolo meam dici & vobis impositam. Ipse agam, si sola mea est.

Consolatus sum te proximis literis, vtinam non occidentibus, sed viuificantibus. Quid possum aliud? finis & euentus causæ te discruciat, quia non potes eum comprehendere. At si tu eum comprehēdere posses, nollem ego me istius causæ esse participem, multò minùs authorem. DEVS posuit eam in locum quendam communem, quem in Rhetorica tua non habes, nec in Philosophia tua. Is vocatur FIDES, in quo loco omnia sunt posita οὐ βλεπόμενα καὶ μὴ ἐκφαινόμενα: quæ si quis conetur reddere visibilia, apparentia & comprehensibilia, sicut tu facis, is referet curas & lacrymas pro mercede laboris, quales tu refers omnibus nobis frustra reclamitantibus.

Dominus pollicitus est se habitare in nebula, & tenebras posuit latibulum suum. Wer da wil/ der machs anders. Si Moyses comprehendere studuisset finem, quo euaderet exercitum Pharaonis, Israël adhuc hodie fortassis esset in Aegypto. Dominus augeat tibi & nobis omnibus fidem: hac habita, quid faciet Sathan cum toto mundo? Quòd si nos non habemus, cur non saltem aliena fide nos solamur? sunt enim necessariò alij qui credunt loco nostri, nisi nulla est ampliùs Ecclesia in mundo, & Christus desijt esse nobiscum ante consummationem sæculi. Si enim nobiscum non est, obsecro vbi est in toto mundo? Si nos Ecclesia vel pars Ecclesiæ non sumus, vbi est Ecclesia? Si nos non habemus verbum Dei, qui sunt qui habent? Si ergo Deus nobiscum, quis contra nos? Peccatores sumus & ingrati, sed non ideo ille mendax erit. Neque tamen possumus peccatores esse in illa causa sancta & diuina, etiamsi in nostris vijs mali sumus. Sed tu non audis ista: Ita Sathan te affligit, te ægrotare facit. Medeatur tibi Christus, quod valde & assiduè oro. Amen.

Clausis literis incidit cogitatio, fortasse tibi videri me parum respondisse tibi ad quæstionem tuam, quantum & quatenus sit concedendum aduersarijs. Sed tu etiam parum quæsiuisti: non signasti ea, quæ & qualia arbitreris à no-

à nobis postulanda. Ego, sicuti semper scripsi, omnia eis concedere paratus sum, solo Euangelio nobis libero permisso. Quod autem cum Euangelio pugnat, concedere non possum. Quid aliter respondeam?

D. MARTINVS LVTHERVS IVSTO IONAE.

Gratiam & pacem in CHRISTO.

VENERVNT tandem literæ vestræ, mi Iona, postquam nos tribus plenis hebdomadibus perpetuo silentio satis benè maceraueratis, licet ego bis M. Philippo scripserim, ne sic sileretis. Et certè, nisi temporum ratio mihi obstitisset, ego vindictam excogitassem: sed orandi necessitas non sinebat irasci, & ira non sinebat orare. Studui tamen vos vbiq; infames reddere, ob silentium istud, maximè VVitteberga. Nec est quòd accuses nuncios: fideliter reddiderunt, præsertim tuus conductus. Nam ab eo tempore, quo ille tuas reddidit, nihil, nisi has proximas, de aduentu, item ingressu Cæsaris, & heri de querelis vestris, accepi. Sed hæc suo tempore vlciscar.

Ego magnificè & mirificè exulto, de dono illo amplissimo Dei, quòd Princeps noster tam constanti & quieto animo est. Arbitror enim preces nostras pro isto pectore fusas, placere in illo regno gloriæ, coram Deo. Et mihi ipse propheto etiam in alijs nos exaudiri. Eadem mihi lætitia aucta est, quòd te quoq; intelligo satis confidentem esse in Domino aduersus istas furias Satanæ. Philippum sua exercet Philosophia, ac præterea nihil. Nã causa ipsa est in eius manu, qui superbissimè dicere audet: Nemo rapiet eam de manu mea. Nec vellem, nec consultum esset, in nostra manu esse. **Ich hab jhr viel** in manu mea **gehabt / vnnd alle verloren / nicht eine behalten.** Quas verò extra meas manus in illum reijcere hactenus potui, adhuc habeo saluas & integras: quia verũ est, Deus nostrum refugium & virtus. Quis sperauit in eum, & derelictus est? ait sapiens: & iterum, Quoniam non relinquis quærentes te, Domine.

Ego hîc factus sum nouus discipulus Decalogi: illum iam repuerascens ad verbum ediscо, & video verum esse, quòd sapientiæ eius non est numerus, & cœpi iudicare, Decalogum esse Dialecticam

cam Euangelij, & Euangelium Rhetoricam Decalogi, habereque Christum omnia Mosi, sed Mosen non omnia Christi. Ita videtur mihi esse infinitus, sed finitissimus Calendarius omnium rerum.

De literis ad vxorem tuam scribendis nihil est omissum. Nam & literas vestras omnes mittimus statim VVittebergam, vbi tanquam à terra sitientes expectantur, & creberrimè ad nos scribunt, vt me pudeat vestro nomine, vinci vos ab illis isto officio, quos tamen vincere oportuit.

Albis exundauit iterum, cùm tamen nulla pluuia, sed summi caloret fuissent.

Gaudeo Papæ signum datum in mula puerpera, vt habeat, quo Deum magis contemnat, & citiùs pereat.

De N. non satis possum mirari sic oblito Turcæ, imò calamitatis suorum. Ego, si mihi tantum esset hominum ereptum & perditum, morerer vna hora, præsertim, si cõscientia accederet negligentiæ. Sed nunquam vidi impium perire, nisi induratum & securum: vt stet veritas, cùm dixerint: Pax & Securitas. Ita & nostris Pontificibus continget, quos quia nulla spes est mutari posse, libenter video indurari, & ingrauari: sic merentur. Nos tamen audeamus in Christo. Ipse viuit, & nos viuemus, etiam mortui, & mortuorum curabit liberos & vxores. Ipse regnat, & nos regnabimus, quia iam regnamus. Si ego vocabor, absq; dubio veniam, Christo volente: quamuis in cogitatione versor, vt cupiam iniussus & non vocatus venire. Gratia Dei tecum. Amen, ex Eremo.

AD SPALATINVM.

Gratiam & pacem in DOMINO.

NON patior, inquis, cessatorem me dici in scribendo: at patieris inuitus.

Et paulò pòst:

FVrere isthic ac fremere Reges, Principes & populos aduersus Christum DOMINI, felix omen puto, ac multò melius, quàm si blandirentur. Sequitur enim: Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Hoc autem Principe nostro illos ridente, non video cur nobis flendum sit à facie eorum. Ridet enim non sui, sed nostri gratia, vt & nos rideamus eorum inania consilia. Tantùm opus est fide, ne causa fidei sit causa sine fide. Sed qui cepit hoc opus, is certò cœpit sine consilio & studio nostro. Verbum hactenus protexit & gubernauit supra & præter consilia & studia nostra.

Ille

Ille ipse est, qui perficiet & absoluet idem extra & vltra consilia nostra & studia, de quo nihil dubito. Scio & certus sum, cui credidi, potens est facere supra id, quàm nos intelligimus & petimus. Etiamsi Philippus cogitet & cupiat eum facere infra & intra suum consilium vt liceret ei gloriari, certè sic oportuit fieri, sic ego feciſſem. **Nein/es muß nicht heiſſen/** Sic ego Philippus, **das** Ego **iſt zu gering/ Es heißt/** Ego ERO qui ERO, hoc est nomen eius, Qui ERO. **Man ſicht nicht wer er iſt/aber er wirts ſeyn/ ſo werden wirs ſehen.** Sed hæc verbosè satis. Tu esto fortis in Domino, & Philippũ exhortare semper meo nomine, ne fiat Deus, sed pugnet contra innatam & à Diabolo in Paradiso implantatam nobis ambitionem diuinitatis. Ea enim non expedit nobis, nosque ea sola ipsa exturbat, & extra pacem trudit. **Wir ſollen Menſchen ſeyn / vnnd nicht Gott / Das iſt die Summa / Es wirt doch nicht anderß / oder iſt ewige Vnruhe vnd Hertzeleid vnſer Lohn.** Vale in Christo. 30. Iunij.

AD BRENTIVM.

Gratiam & pacem in Christo.

ET ex tuis & Philippi aliorumque literis intelligo, mi Brenti, te similiter in illo conuentu Idolorum affligi: Sed Philippi exemplum ita te mouet. Is enim sollicitus est pro publica pace & posteritate, piè quidem, sed non secundum sapientiam Zelotypus. Quasi verò maiores nostri sua cura & sollicitudine effecerint, vt essemus quod sumus, ac non potiùs Dei solius prouidentia, qui etiam post nos Deus erit & Creator, sicut fuit ante nos, & hodie nobiscum: neq; enim moritur nobiscum aut desinet esse Deus, regens etiam cogitationes. Videbatur sacerdoti Eli penitus corruisse regnum Israël, arca Domini à Philistinis capta. Itaq; corruebat ipse potiùs: & regnum tum maximè cœpit florere. Et cùm Saul esset cæsus, quid aliud potuit homo cogitare, quàm regnum Israël finitum esse? Et cùm Papistæ Iohannem Huss exussissent Constantiæ, nihil certius erat quàm Papam fore Deum, cùm nunquam antehac viluerit, vt ab ista die. Hoc scribo tibi & alijs, si fortè per verbum vestrum aut alicuius verbum Philippus desinat seipsum crucifigere. Ego sanè si mortuus vel occisus

cisus à Papistis fuero, defendam nostros posteros fortiter, & istas bestias feroces probè & nimis vlciscar quàm vellem, quia scio futurum esse qui dicet: Vbi est Abel frater tuus? & is faciet eos vagos & profugos. Et quid multis? Habeat diuisum imperium cum Ioue Cæsar: Si nullum est futurum aliud regnum, deleamus primum præceptum cum vniuerso Euangelio. Quid enim opus est habere Deum pro hac tantùm vita? quam ille habet optimam, qui nullum habet Deum. Sin Deus est, non hîc viuemus, sed vbi ipse quoq; viuit. Quæ si vera sunt, quid sunt ergo furiosæ istæ minæ Idolorum iam penè non morientium, sed planè mortuorum? Is qui me creauit, erit pater filij mei, & maritus vxoris, & consul politiæ, & prædicator Parochiæ, & melior quã ipse sum: imò ipsemet melior me mortuo, quàm me viuo, qui vita mea illum impedio. Scriptum est enim: Potens in terra erit semen eius. Et sanè primum præceptum posteros nostros in tutelam Dei constituit, dicens: Faciens misericordiam in mille generationes eorum, qui me diligunt, & seruant præcepta mea. Istis ego verbis credo: etsi infirma sit fides, tamen credo. Sed quid ego tecum talia? qui dono Dei maior es me in omnibus, nisi quòd variè te excitare volui: si Philippus, qui me hominem, & verba mea hominis esse credit, atq; ita minùs afficitur, per vos saltem, quos cogitur credere esse viros Dei, moueri queat. Neque enim tam peruersum arbitror, vt, si Deus ipse per angelum de cœlo missum, iuberet eum bono animo esse, hoc iussum cõtemneret. quantò minùs cõtemnet omnes nos? Et si nos digni contemtu, tamen Psalmi, Apostoli, Christus ipse contemni non debet, qui tot sermonibus obruit nos consolando, dicendo, vrgendo, Confidite, Nolite timere, Sperate, Viriliter agite, Confortamini. Si istis non credimus, neque si omnes Angeli venerint, credituri sumus. Vale in Christo. 30. Iunij.

ALIA AD IONAM.

VIdeo sanè Comitiorum prologum iam post argumentum recitari. Sequitur turba & Epitasis, vel Paroxysmus. Sed Catastrophen illi Tragicam, nos Comicam expectabimus. Non sanè de dogmatibus vnquam fiet concordia. Quis enim Belial cũ Christo speret conciliari? nisi fortè coniugium & vtraque species admittantur. Sed fit & hîc aduerbium fortè, minùs fortasse fortè, sed quod opter

optem penetq; sperem dissensione dogmatica suspensa politicam Concordiam fieri posse. Quæ si Christo benedicente veniat, satis abundè factum & actum est in istis Comitijs. Primùm enim, quod maximum est in istis Comitijs, Christus publica & glorioſa Confessione declamatus est, & in lucem atq; in faciem eorum affirmatus est, vt non possint iactare, nos fugisse, formidasse, aut celasse nostram fidem. Nisi quòd inuideo vobis hanc gratiam, me scilicet non adesse in hac pulcra confessione: Contingatq; mihi planè eadem fortuna, quæ summis Imperatoribus ante annum, ante Viennam, vt eis in resistendo & defendendo à Turcis vrbem nulla opera aut victoria imputari possit: Tamen placet & solatur me, ab alijs hanc meam Viennam defensam esse. Alterum, quòd certum est nos pacem semper quæsiuisse, & vt Psalmus ait, persecutos esse, illos verò non nisi bellum, cædem, perniciem, sed certissimo testimonio, nos esse filios Dei, qui pacifici sumus. Quòd si tertium obtinebimus, vt pace politica discedamus, planè vicimus Satanam hoc anno. Hæc mea est non prædestinatio, sed cogitatio de istis Comitijs. Quid enim boni sperem facturos aduersarios? Quid de Cæsare quantumuis optimo, sed obsesso? Christus viuit & sedet non ad dexteram Cæsaris: Nam sic perijssemus olim: sed ad dexteram DEI, **Jsts nicht war/ so ists ein grosse Lügen.** Ego tamen delector isto mendacio, & in eo mori prorsus κέκρικα. Quare non etiam in eodem viuerem? Vtinam & Philippus saltem mea fide, si aliam non haberet, hoc crederet.

A dextris **ist wol ein gering ding/Aber das** MEIS, **Teuffel/wo hat das ein ende? das** pronomen **wirts thun/Denn das** nomen Adonai, **da das** dixit **nachfolget/wirt das liebe** ᵓᵒ **wol erhalten/ biß das** scabellum **auch komme/ Was gilts/ob Dauid liegen werde/** nisi fortè sola Augusta Vindelicorum hoc mense cœpit dominari, & euadere dexteram Dei, vt Christum ibi per Sacramentarios deiectum, & Dauidem per Papistas correctum esse credere oporteat. Hoc si factum est, nos hîc Coburgæ ignoramus. Quare tu mi Iona hoc nobis scribe: tum ego alium Christum quæram, & alium Dauidem mihi fingam, qui non ita me fallat & ludat in omnibus verbis. Sed facessat iocus blasphemus. Tu in Christo vale, & crede nobiscum, vt fortis, Christum esse Regum Regem & Dominum Dominantium. **Verleuret er den Titul zu Augspurg/so sol er jn auch im Himmel vnd Erden verloren haben/ Amen.**

K D. MAR-

D. MARTINVS LVTHERVS AD GEORGIVM SPALATINVM.

GRatiam & pacem in domino nostro. Et ego credo, mi charissime Spalatine, clementiam Cæsaris esse magnam, qualem omnes iudicatis: Sed nullam spem habeo, quòd nostræ causæ sit propitius futurus, etiamsi magnopere velit. Quid enim vnus homo contra tot Dæmones possit? Itaq; præsidium nostrum DOMINVS est, qui in infirmitate potens est, & delectatur solari pusillanimes, & iuuare desertos. Sed quid interim à literis vestris acciderit vobis, fortiter mecum disputo, reputans rem ipsam iamdudum ad paroxysmum peruenisse, & vos non solùm esse damnatos, sed etiam patiminas & iactantias. Mirum est enim, quas victorias aduersarij ex Augusta spargant, quàm nos conculcatos & derisos iam habeant. Verùm, Confidite, ait: Ego vici mundum. Qui habitat in cœlis, irridebit eos. Sic de causa cogito: nec enim iuuabimur, nisi deserti priùs simus. Beati estis, cùm persecuti vos fuerint homines, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes, &c. Nos suscepimus officium illud, de quo dicitur, Eritis odio omnibus hominibus propter me: & miramur nunc odium istud adesse, tanta fide & autoritate prædictum? Quòd si irritum hoc prædictum volumus, necesse erat aut officium hoc non subire, aut curasse, ne prædiceretur. Nunc cùm prædictum sit, & nos officium susceperimus: serò metuamur illud vanum & irritum velle habere, & bonum fauorem & gratiam velle mereri. Impleatur ergo hoc prædictum, & sentiamus odium tale, quale meritò possit & non ioco odium dici: quoniam scripturas non solùm oportet veras fieri, sed impleri, plenas, plenas fieri, Daß es heisse/ erfüllet/ vnd voll voll/ erfüllet. De duce N. libenter audio eum sic gestire. Reddet illi Deus amentiam, qua dignus est, addetq; adhuc alias plagas. Dominus soletur & roboret vos omnes. Vale. die Margarete.

AD D IONAM.

Gratiam & pacem.

EGo quidem hic, mi Iona, sedeo pro vobis cogitans & sollicitus, suspicans nostram causam iamdudum processisse ad Epitasin, sperans simul ad Catastrophen meliorem spectare: tantùm ne deficiant animi vestri. Et quò magis illi superbiunt, hoc minùs vos cesseritis. Credo enim eos sic opinari fortiter, vos fractos omnia cessuros, quid modo illi per Cæsarem iusserint aut proposuerint. Cæsarem enim ipsum nihil agere, sed ferri & agitari quis non videt? Quòd si fortes stete-

tes steteritis nihil cedendo, cogetis eos aliud cogitare. Nostra causa faciliùs vim & minas feret, quàm dolos illos Satanicos, quos maximè hactenus timui. Vrgeamus & nos, vt restituant Leonhardum Keyser/ & multos alios iniquissimè occisos, restituant tot animas impia doctrina perditas, restituant & facultates fallacibus indulgentijs & alijs fraudibus exhaustas: Restituant gloriam Dei tot blasphemijs violatam, restituant puritatem Ecclesiasticam in personis & moribus tam fœdè conspurcatam: & quis omnia numeret? tum agemus & nos de possessorio. Tamen mirè placuit, eos diuino tactu sic insanire cœpisse, vt argumentum non pudeat proferre. Is qui sic eos excæcat & cõfundit, vt ista turpia & absurda pro pulcris & firmis habeant, perget magis. Sint hæc auspicia & initia manus diuinæ nobis opitulari volentis. Sic me solor. Sed iamdudum vos talia habetis consilia, & hæc iam vestra sunt.

Ipse Dominus Iesus, salus & vita nostra, amor & fiducia nostra, sit vobiscum, sicuti spero. Amen. 13. Iulij.

ALIA AD PHILIPPVM.

Gratiam & pacem in Christo veram.

ARbitror te iam, mi Philippe, satis multa experientia videre, Belial nulla ratione cum Christo conciliari posse, nec spem cõcordiæ vllam concipi debere, quoad doctrinam. Scripsi de hoc ad Principem, causam nostram non posse Cæsarem ferre iudicem. Et nunc, quid literæ citationis tam clementis voluerint, videmus. Sed res ipsa iamdudum vltrà progressa est, antequam literæ meæ venerunt: id quod tum quoq; cogitabam, cùm scriberem. Ac certè pro mea persona ne pilum quidem cedam aut patiar restitui: potiùs extrema omnia expectabo, quando sic obstinatè pergunt, faciat Cæsar quicquid poterit. Quid autem vos egeritis, cupio nosse. Dominum rogaui, qui adfuit vobis melior quã ego, infinitis modis. Tamen quando sic ludunt promissione Concilij fallaces isti Diaboli, luderem & ipse simul cum eis, appellans à minis eorum ad illud nihili & nunquam futurum Concilium, vt interim pacem habeamus. Nihil metuo adhuc de via aut manu eorum violenta. Christus adhuc nos sic tentat, qui potens est in nobis infirmis, & hac ratione gloriatur in Cõcilio sanctorum, & nulla alia, **da wirdt nicht anderß auß.** Vellem te ista hostium victoria & iactantia nihil conturbari, sed roborari contrà in fortitudine virtutis & potentiæ illius qui suscitauit Christum à mortuis, & cum illo viuificabit & suscitabit. Oportet enim impios florere, sicut fœnum, & inimicos DOMINI honorificari & exaltari, vt intereant & arescant in perpetuum, vt testatur Psalmus primus. Nisi Dux N. ita insolesceret, quomodo esset noster hostis? Sed tu alia cogitas, Ideò non admittis mea. Quare nec requiẽ quoque habes, & futuris malis ipsisq; falsis addis similem præsentem crucẽ quoque inanẽ. Christus, precor, roboret & seruet te. Amen. 13. Iulij, Die Margar.

M. GEORGIO SPALATINO.

Gratiam & pacem in CHRISTO.

CERTE non vobis gratias agere non possum, præsertim tibi, optime Spalatine, quòd tam diligenter & copiosè omnia ad nos scribitis: sicut habetis & materiam & causas sufficientes. Nos hîc Eremitæ, & velut terra sine aqua, nihil possumus germinare, quod ad vos scribi dignum sit: nisi quòd gemitu & suspirijs, & totis orationis viribus & gestibus, in cœlum ascendimus, & pulsamus improbi etiam illius portas, qui dixit: Pulsanti aperietur. Tantum est, vt duremus & expectemus modicum. O socij passi grauiora, dabit Deus his quoq; finem. Durate & vosmet rebus seruate secundis. Vel illud potiùs, Expectate DOMINVM, viriliter agite omnes qui speratis in DOMINVM. Si moram fecerit, expectabo eum: veniens veniet, & non mentietur. Video sanè in luctu vos esse; & quos Satanas non audietis in responso aduersariorum loquentes virulentissimè? Iam enim ista præuideo omnia, sed nihil est tanti. Si enim Christus ea bona iam dedit, quæ mundus hic non compræhendit, & promisit multò meliora: cur non feremus modicum hoc mali, vt immundæ nos muscæ rostro suo poluant, aut concacent parumper: cùm hoc cogantur ab ipsis naturalibus muscis pati summæ & formosissimæ reginæ, in media facie sua? Quid verò sunt isti furiosi aliud, quàm muscæ susurrantes, alisq; suis absq; capitibus obstrepentes? Postquam verò valde iracundæ strepuerint, edunt stercus, quod acu tangi vix potest. Tanta est vis tanti furoris. At nostra est remissio peccatorum, salus à morte, & vita æterna. Christus ipse noster est, cum omnibus suis: pro cuius nomine vos iam sudatis. Nõ relinquet causam suã: atq; si relinqueret, pulcrũ esset & salutare in ipso relinqui, etiamsi Deus nõ esset. Sed ego ligna in syluam porto. Christus est vobiscum. Amen. ex Eremo 20. Iulij. Anno 1530.

M. PHI

M. PHILIPPO MELANTHONI.

Gratiam & pacem in CHRISTO.

ETSI tu nobis non scribis, mi Philippe, tamen vt te superem gratia, & onerem inuidia, ego scribo, sic opere supererogationis te excellens. Vides autem causam redire in similem euentum, quo & VVormatiæ fuit, scilicet, vt Cæsarem iudicem patiatur. Sic Satan chorda semper oberrat eadem, & mill'artifex ille non habet contra Christum, nisi vnum illud elumbe robur. De hoc latiùs scripsi Principi: & vos meliùs in hac re consuletis. Ego adhuc, Deo sit gratia, nihil video in aduersarijs, nisi meras minas, sed minas aduersus DOMINVM & CHRISTVM eius, quas inanes vocat Dauid, non solùm præpotens minarum contemtor, sed virium Goliath victor. Quòd si prouerbia vera sunt, verum est & illud: Qui moritur minis, compulsetur ei bombis asininis: quod licet germanicum sit, tamen valet. Quibus verò bombis compulsandum erit tibi, qui non à minis, sed à teipso, propter aduersariorum minas, innouatus morieris? Minas sanè & nihil nisi minas audimus: minas verò stipularum & arundinum, quarum Deus scit cogitationes, & ecce vanæ sunt. Sed esto, sequatur bellum scilicet & vis. At nondum cœpit, & interim fiet aliquid. Et incipiat sanè, nondum processit. Procedat quoq;, nondum vicit. Moueri bellum ab illis posse hoc tempore, ne humana quidem ratione capio, nisi velint funditus perire. Vale.

ALIA LVTHERI EPISTOLA.

Gratiam & pacem in Domino.

CREDO iam habere vos responsum aduersariorum, quod expectari à vobis scribitis, scilicet, Patres, Patres, Patres, Ecclesiam, Ecclesiam, Ecclesiam, vsus, consuetudo, audituri estis, præterea è scripturis nihil: & his arbitrijs & testibus fretus pronunciabit Cæsar, contra vos. sequentur minæ & iactantiæ vsq; in cœlum & infernum. Dominus dabit autem vobis os & sapientiam.

Cæterum vt scribitis de alijs rebus corã breui, ita facite. Plus est actum quàm speratur, scilicet reddidistis Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo, quæ Dei sunt. Cæsari perfectam obedientiam comparendo, tanto cum sumtu, labore & molestia: Deo sacrificium electum confessionis, quæ perrumpet in omnes aulas Regum & Principum, dominatura in medio inimicorum suorum, & exitura in omnem terram sono suo, vt, qui non crediderint, sint inexcusabiles. Scilicet is erit fructus silentij imperati, in exordio comitiorum. Quòd si hoc accesserit præmij, vt, aduersarijs testibus, nullus articulus fidei læsus sit, planè plus quàm petij obtinemus, scilicet liberati ab opprobrio hæreticorum. Confiteatur sanè sic nos ipse Christus, sicut vos estis eum confessi, & glorificet glorificantes se, Amen.

Igitur absoluo vos in nomine Domini, ab isto conuentu, **Immer wider heim/immer wider heim/** concordiam aut permissionem nolite sperare, nec ego vnquam hanc oraui apud Deum, sciens impossibilem esse: Sed tantùm, vt nos permitterent docere, & pacem concederent, manentes ipsi in sua impietate. Et, si vellent nos iuuare, quomodo possent?

Si Cæsar ediderit edictum, edat sanè, edidit & VVormatiæ quoddam Cæsarem, vt Cæsarem, audiemus, nec amplius, nec vltra. Quid ad nos laruatus iste Cæsar rusticus? Dabit & ille idem consilium, qui confessioni nostræ aperuit ostium Cæsaris & Regum, atque si vi & armis vrgebit Cæsar, quod non spero, iterum dabit ille consilium. Cæsari cedemus vero, sed laruatus Cæsar si quid tentarit, aliud erit. Igitur impetrate à Cæsare licentiam, relictis ibi senatoribus Principis, qui in reliquis causis collaborent. Nostra causa expedita est: nec vltrà quicquam melius aut felicius efficietis.

Quòd Campegius iactat potestatem dispensandi, respondeo verbis Amsdorffij, **Ich schisse dem Legaten vnnd seinem Herren in seine Dispensation/wir wollen wol gnug Dispensationes finden/** quando herus præcipit, serui dispensationem non curate, si seruus dicendus est tantus latro & inuasor regni. **Heim/heim/heim.** Dominus Iesus seruet & soletur vos, qui ob nomen eius laborastis

borastis & afflicti fuistis satis, Amen. Feria 6. post Margarethæ, ANNO M. D. XXX.

Circa hoc tempus mense Iulio, Augustam allata est Lutheri ad Albertum Cardinalem & Archiepiscopum Moguntinum Epistola typis excusa, qua, de concordia cum Pontificijs in Doctrina & veris Dei cultibus ineunda desperans, Archiepiscopo illi, cuius propter dignitatem & sapientiam summa in Imperio authoritas erat, persuadere conatur, vt PACEM politicam saltem ijs, qui doctrinam in exhibita Confessione comprehensam, sequerentur, concedi ab Imperatore & Imperio curaret.

REVERENDISSIMO ET IL
LVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMI-
NO, D. ALBERTO, TITVLO S. CHRYSOGONI, CAR-
dinali Presbytero, S. Rom. Imp. Electori, & Archiepiſco-
po Moguntino ac Magdeburgenſi, Primati Ger-
maniæ, &c. Marchioni Brande-
burgenſi, &c.

Gratiam & pacem in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

REuerendiſsime & Illuſtriſsime Princeps, Domine clementiſsime. Etſi maluiſſem priuatim, & mea manu, ad C.V. ſcribere: tamen periculoſa hæc tempora veritus, ne epiſtola ſurrepta & diuulgata, in hanc vel in illam partem interpretando malè exponeretur: & ipſam quoq; C.V. ſuſpectam redderet: publicæ eam typis excuſam, in lucem emittere volui; vt virulentis & ſuſpicacibus illis interpretibus, cauſas calumniandi præciderem. Ac ſubmiſſe rogo, vt C.V. hanc meam epiſtolam benignè accipiat.

Cùm enim C.V. præcipuus & ſummus Germaniæ Prælatus ſit, ideoq; in hoc negotio plus efficere, quàm quiſquam alius, poſſit: in hanc cogitationem veni, C.V. ſeorſim reuerenter à me compellandam eſſe, vt omni ex parte abundè, quod mei eſt muneris, facerem, & conſcientiam meam apud Deum & homines illæſam ſeruarem, ſi fortè calamitas aliqua, vel pœna diuina (quam certè metuo) ſecutura eſſet, vt ego, qui modis omnibus pacem & quæſiui & obtuli, excuſatus eſſem.

Celſitudo V. confeſsionem & doctrinam noſtrorum exhibitam, ſine dubio vidit & cognouit, ac planè confido, eam ita prodijſſe, vt læto ore cum Chriſto dicere poſsit: Si malè locutaſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis? Non fugit lucem, & Pſalmi dictum verè recitare poteſt: Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar. Nam qui veritatem operatur, in lucem venit, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo facta ſunt. Econtrà verò facilè conijcio, aduerſarios noſtros hanc noſtram doctrinam non recepturos, multò minùs eam refutaturos eſſe. Nec vlla mihi ſpes eſt, futuram inter nos de doctrina concordiam, ſiquidem eorum conſilia & actiones lucem ferre nequeunt. Præterea animis ita ſunt exacerbatis atq; incenſis, vt in æternos inferni ignes, ſi ob oculos poſiti eſſent, ſeſe præcipitare mallent, quàm nobis cedere, & à ſua ſapientia deſiſtere. Hæc ita euenire & fieri, pati quidem nos cogimur, verùm innocentes ſumus à ſanguine eorum.

Interea has cogitationes mecum verſo, ideoq; ad C.V. ſcribo. Cùm aduerſarij doctrinam noſtram reprehendere non poſsint, & nos, hac ipſa confeſsione noſtra perſpicuè teſtemur, nos falſa non docuiſſe, atq; ideo hac turpi condemnatione & tam crudeli perſecutione, quam hactenus paſſi ſumus, & adhuc patimur, indignos eſſe: an non tantum apud aduerſarios noſtros obtineri poſſet, vt pacem ſeruarent, nec conuitijs lacerarent, & interficerent innocentes propter hanc inculpatam doctrinam, quam & ipſi laudant, ſi non alio, certè hoc nomine, quòd ad eam obmutescant, nec quidquam aliud habeant quod contradicant, niſi quòd doceri à nobis &

bis & nostram amplecti doctrinam nolint. Hæc ferre cogimur, nec quenquam cogimus ne quidem ad veritatem, vt ipsi nos ad mendacia cogere volunt.

Cùm itaq; nulla spes sit futurum, vt in doctrina consentiamus: C. V. supplex oro, vt cũ cæteris Principibus in eo elaboret, vt pars aduersa pacem seruet, & credat quod velit, & nobis permittat credere veritatem hanc publicè coram eorum oculis confessam, & sine errore inuentam.

Scimus neminem ad Religionem debere aut posse cogi, neq; id vel in Imperatoris vel Pontificis potestate esse: nam Deus etiam ipse, qui supra omnem potestatem est, neminem vnquã vi ad fidem cogere voluit. Quid igitur miseræ eius creaturæ sibi sumunt, vt nõ solùm ad fidem, verùm etiam ad id, quod ipsi falsum fictumq; esse intelligunt, alios compellere conentur?

Si verò hanc pacem obtinere non possumus, tum & Deus & homines vniuersi testimonium nobis perhibebunt, quòd doctrinam nostram palàm professi simus, & pacem quæsiuerimus, quam tamen non potuerimus consequi, quantumuis in doctrina reperti irreprehensibiles.

Ad hæc verò, quid Deus, quidq; posteri nostri dicturi sint, id experientia dabit. Interea nos Apostolorum exemplo consolabimur, vbi etiam Pontifices & Principes populi Israël (vt Lucas Actor. 3. refert) nihil poterant aduersus doctrinam & actiones eorum proferre, nec habebant quidquam quod contradicerent. At nihilominus pacem violabant, &, præterquam quòd veritatem non amplectebantur, qua erant conuicti, Apostolos insuper flagellabant & persequebantur. Sed hi tandem cuiusmodi sunt sortiti exitum? vbi nunc sunt? vbi est Ierusalem?

Surrexit quidem de medio eorum Gamaliel, & huiusmodi ipsis consilium dedit, vt quiescerent, & Apostolos, si illorum doctrinam ipsi recipere nollent, docere sinerent: Sed nihil profecit. Vtinam autem Deus faxit, vt vel C. V. vel alius, eiusmodi Gamalielem hoc tempore agat, qui tale consilium de pace alijs proponat, eiusq; persuadeat, si fortè ex Dei benigna largitione de suo furore desisterent, nec ita contumaciter contra conscientiam suam & Deum pugnarent.

Certè optimum hoc consilium est, quod in hoc negotio dari potest, nec S. Lucas exemplum hoc frustra tam accuratè & diligenter annotare voluit. Profectò enim peccatum in Spiritum sanctum est, agnitam veritatem oppugnare. Atqui aliàs multa satis peccata haberemus, vt opus non esset insuper peccato in Spiritum sanctum nos onerare. Verùm hæc nec audiunt, nec curant, volentes ire, quò Iudæi abierunt. Attamen si aliqui fortè retrahi possent, ne cum cæteris perirent, sed sidum potiùs Gamalielis consilium amplecterentur, næ magnam C. V. apud Deum gratiam iniret.

Bone Deus, cùm nihil prorsus hæc nostra doctrina vobis noceat, cùm pacem seruet, & pacem doceat, vos quoq; sinat esse, qui estis; & doceat omnia vestra vobis relinquenda, nihilq; auferendum esse: Hoc vnicum saltem ad pacem vos flectere deberet, etiamsi veritas ipsa per se id efficere non posset. Hæc doctrina profectò vos omnes seruat, & hactenus seruauit. Quòd si omnino ei canendum est: Qui retribuebant mihi mala pro bonis, aduersantur mihi: non bonum est, nec vobis vtile, quòd de vobis Ecclesiasticis præcipuè talia cantare & conqueri cogitur.

Si verò nec pax nec concordia locum habere, nec Gamalielis consilium, vel Iudæorum exemplum valere quicquam debet: dimittamus sanè quod retineri nequit, & irasci sinamus

eos, qui placari nolunt. Iram & inquietudinem quærit, hanc cumulatè reperiet. Nos interim cum Apostolis & Christi discipulis (quod impedire non poterunt) canemus:

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum & aduersus CHRISTVM eius.

Dirumpamus vincula eorum, & proijcianus à nobis funes ipsorum, &c.

Quantopere nunc Reges & Principes aduersus Dominum & veritatem agnitam fremant, & vincula eius dirumpere tentent, nec doceri ab eo, aut vinciri velint, id ipsi videtis. Sed inanes hos fremitus esse, non iam quidem, sed temporis progressu apparebit, quia sequitur:

Qui in cœlis est, irridebit eos: & Dominus subsannabit eos. Tũc loquetur ad eos in ira sua: & in furore suo conturbabit eos.

Ne hoc quidem multi videre aut credere, sed potiùs sentire volunt: id quod reuera fiet, & tum demum, cùm inanis eorum fremitus fuerit, & cùm egregia vincula Domini dirupterint, & verbum eius suppresserint, manifestum fiet. Nobis interea, qui hoc credimus, & certi sumus hæc futura esse, iucundum hoc & consolationis plenum est. Nam Reges & Principes, quantumuis diu fremant & fingant, rumpant & iaciant: nihilominus tamen Regem nostrũ in suo solio sedere sinent, vt sequitur:

Ego autem constitui Regem meum, super Zion mõtem sanctum meum: prædicabo præceptum: DOMINVS dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Fremant igitur Reges, furat Papa, dirumpantur Principes, proijciant gentes. Ecce hic sedet Rex noster, & filius domi suæ est. Hunc quæso vos domini irati parumper adhuc sedere sinite. Si nobis pacem relinquere non vultis, saltem hoc propter Deum oro, vt hunc Regem sedere sinatis, nec tam subitò ex suo solio eum deturbetis. Aut si aliud à vobis obtineri nequit, quàm vt ipsum deijciatis: tamen bellum ei priùs denunciate, vt de ira minisq; vestris certus, vallis & tormentis se aduersus eam muniat, & contra eam tantisper saltem, donec vel hæc comitia finita fuerint, vel ira vestra deferbuerit, consistere possit.

Vult etiam hic Rex noster esse Sacerdos & Concionator, ac ostendit se nouam doctrinam prædicaturum esse, videlicet se Dei filium esse, & hoc credendum esse. At ego, si Regum & Principum loco essem, concione ipsi interdicerem, ne nos possessione nostra deijceret, & nostram doctrinam & inueteratam consuetudinem, sua doctrina abrogaret & tolleret. Agite ergo, sine mora impetum in eum facite, & tacere eum iubete, tanquam hæreticum. Interim tamen suadeo, aut horq; sum, vt videatis, ne quid temerè in hunc Sacerdotem peccetis, & capitulum, Si suadente, tonitru & fulmine vos feriat. Magnus enim Episcopus est, qui eum ordinauit, & prædicare iussit. Huic DOMINVS nomen est, & Formatas ipsi dedit, quarum sententia est, Noli me tangere, vt sequitur:

Postula

Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Contereseos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.

Quis maius vnquam mendacium toto vitæ suæ tempore audiuit? gentes & populi, iracrum Regum hæreditas sunt, & terra, frementium Principum est possessio, quod vel inde apparet, quia pro libitu, tanquam in proprijs bonis, cuncta administrant. Omnes eorum cogitationes, omniaq; consilia, aduersus hunc inprimis Sacerdotem & Regem, cancri more procedunt, sic vt ne baculum quidem hic Rex proprium habeat in toto mundo. Sed missis iocis audiamus quid sequatur.

Et nunc Reges intelligite, Erudimini qui iudicatis terram.

Siccine Reges & Principes alloqui conuenit? Quid hinc fiet? Quando vnquam in terris similes contumeliæ & blasphemiæ auditæ sunt? Reges fiant intelligentes. Nunquid ergo eos iudicas stultos? Iudices se erudiri sinant. Nunquid eos pueros in schola esse existimas? *Reges priùs sapientes sunt, habent leges & statuta, Iureconsultos & Consiliarios, sciunt alioquin, quid faciendum sit. Similiter & Iudices, Iura, Mores, Instituta, vsus & consuetudines habent. sciunt quid iudicare, decernere, & statuere debeant. Hic igitur Psalmus certò hæreticus est, contumelia afficit Reges, criminatur Iudices, & seditiosè aduersus Magistratus, eorumq; iura & consuetudines insurgit, & ex antiqua possessione depellere nititur. Præterea contemtim eos alloquitur: Vos Reges, vos Principes, sicut Dominus seruum suum compellat, tu Iohannes, tu Petre: Perinde ac si nulla esset eorum apud se auctoritas, & quasi sua mancipia, vaccæ vel anseres essent.*

Sed audi, amice, confitetur quidem Reges & Iudices habere rationem, iura, sapientiam. nullus enim Rex nec Iudex sine legibus & iure regere potest. Sed eos omnes hoc versu huic Regi subijcit cum omnibus suis statutis, iure, ratione, & quicquid habent sapientiæ potentiæq;, & inquit, non sufficere ea, quæ ipsi habent, quantumuis splendeant statuta & consuetudines, sed necesse esse, vt coram hoc Rege stulti fiant & infantes, ipsi auscultent, ab hoc se erudiri patiantur, eiusq; verbum agnoscant magistrum, quod prævalere, quodq; super omnia regnare debeat.

Cùm igitur tam Pontifex quàm Imperator & Reges hoc rege non superiores sint, sed in Iudicum terræ numero manere cogantur: Sequitur eorum decreta & doctrinam ad huius Regis verbum & doctrinam collata, stulta & puerilia esse, nec illam iudicare, sed potiùs ab illa iudicari & erudiri debere.

Verùm Augustæ iam multò aliter hunc versiculum reformabunt, ita videlicet: Et nunc tu Rex Sionis intellige, & tu Iudex cœli erudire, quia stultus & infans es respectu nostri: nostrum est iudicare & decernere, quod tu verum vel secus statuere debes. Quæ verò à nobis non decreta, iudicata & confirmata sunt: ea tu vera dicere non audeas, nisi ex tua sede deturbari, & cum hæreticis comburi velis. Tale fatum huic Regi certò imminet: nam hi autoritate ista, qua hactenus iudices & Magistri verbi Diuini fuerunt, priuari nolunt. Quid autem ad hæc Rex noster dicturus est, qui & ipse rerum potitur, nec ab alijs erudiri aut informari, sed alios ipse reformare & iudicare vult? De eo ipsum sollicitum esse sinunt, quod etiam facit, vt sequitur:

Seruite

Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Oscu lamini filiũ, ne irascatur, & vos pereatis de via: quia in breui exar- descit ira eius. Beati omnes, qui confiduntin eo.

Ecce, qui Christi verbum non audire, sed reformare vult, in ira eius peribit, & quidem breui: non diu differet. Ipsi seruiendum est, nec verbum eius, vt nostro seruiat cerebro, contor- quendum. Ipse exosculandus est, nec Christus vel verbum eius nostræ opinioni subijciendum. Id nullo modo ferre vult: quod breuibus & disertis verbis testatur.

Hæc C. V. subiectissimè significanda duxi: si fortè, Deo benignè fauente, quorundam ve- strum studio & labore hoc impetrari posset, vt blasphemiæ non cumularentur, aut certè pax politica sanciretur. nam quòd Pontifex cum sua cohorte, in schedula, quæ impressa circumfer- tur, iactitat, Imperatorem omnia ipsi in integrum restituturum: id non futurum esse certò scio. Nam quid aliud hoc esset, quàm omnia, quæcunq; docuimus, & hanc ipsam oblatam, ve- stroq; ipsorum iudicio veram confessionem, iterum reuocare, & eius loco priora mendacia, quorum plurima ipsi agnoscitis, & innocentem sanguinem, quem vestræ partes profuderunt, in nos deriuare?

Reddant priùs Pontifex & Papa Leonhardum Cæsarem, & omnes alios innocentes à se trucidatos: Omnes animas, quas mendacijs suis turpiter seduxerunt: omnem pecuniam, bonaq; omnia, quæ dolo malo rapuerunt: omnem honorem, quo Deum blasphemijs suis spolia- runt: tum demum de restitutione agemus. In historijs verò ad posteritatem recitabitur, quòd Pontifex & Papistæ tam impudenter impia & blasphema postulare à nobis ausi sint, perinde ac si meri trunci in Germania, & in Comitijs meræ simiæ fuissent. Principes præterea omnes, qui hanc rem vnà egerunt, apud posteros nostros perpetuò fœtebunt, & abominationi e- runt.

Verùm aliud interea Diabolus quærit, quod vtinam Principes nostri attentè considera- rent. Nos Germani non desinimus Papæ, suisq; Italis fidem habere, priusquam in extremas calamitates & cruentum bellum nos præcipitent. Si Germaniæ Principes funesto bello inter se mutuò grassarentur: id exhilarare Papam, Florentinum illum fœtum, posset, vt affatim ri- deret, & nobis illudens diceret: Agite vos Teutonicæ bestiæ, Papam me habere noluistis: iam dignum factis vestris præmium habetis. Quo etiam amore & fide Cæsarem Pontifex prose- quatur, satis in obsidione Papiensi declarauit, vbi arma aduersus illum tulit. Imò, quo fauore to- tam Germaniam prosequutus sit, vel inde constat, quòd Cæsarẽ ex Hispanijs vocat (quis enim practicas istas animaduerteret?) & postea absentibus Germaniæ Principibus coronat, iuxta tenorem aureæ bullæ, scilicet. Propheta non sum, sed tamen vos omnes meos Dominos orato volo, vobis vt etiam atq; etiam caueatis, nec existimetis, vbi cum Papa, & suis agitis, vos cum hominibus, sed potiùs cum ipsissimis Diabolis agere. Nam quicquid agunt, id eos diabolico astu & insidijs agere scio. Deus omnipotens vobis adsit, vt pacem retineatis, Amen. Benè & feli- citer C. V. valeat: quam Deo Opt. Max. meis precibus commendare non desinam, quamque supplex rogatam velim, vt clemente animo hoc meum scriptum accipiat: siquidem interma- tere non possum, quin aliquam etiam miseræ, derelictæ, despectæ, ac proditæ Germaniæ curam agam, cui certe non malè, sed benè & optimè cupio, sicut debeo patriæ meæ carissimæ. Ex Eis- leb, feria 4. post Visitationis Mariæ, Anno 1530.

Eiusdem

Eiusdem argumenti literas de Pace, ad Cardinalem Laurentium Campegium, ERASMVS ROTERODAMVS illis ipsis mensibus Friburgo scripsit. Etsi enim à Luthero & ipsius causa alienior erat: tamen toti Ecclesiæ & Reipublicæ vtilius esse iudicabat, moderatione & patientia potiùs dissimulari & ferri dogmata Lutheri, quàm bellum intestinum inflammari.

CAPITA DELIBERATIONIS ERASMI ROTERODAMI, DE LVTHERANO NEGOCIO, RATIONIBVS PACIFICIS POtiùs quàm armis componendo, missa ad Cardinalem Campegium, Augustam Anno 1530. die 10. Augusti.

SI Cæsar minis belli terret aduersarios, non possum non laudare prudentiam. sin seriò expetit bellum, nollem esse sinistra auis. Sed inhorrescit mihi animus, quoties rerum faciem animo intueor, quam arbitror futuram, si semel ad arma ventum fuerit: adeo malum hoc sparsum est. Fateor summam esse Cæsaris potentiam: sed non omnes nationes hoc nomen agnoscunt. Germani verò qui agnoscunt, certis conditionibus agnoscunt, vt imperent veriùs quàm pareant. Adde tot expeditionibus exhaustas ipsius ditiones & vires. Belli incendium iam excitatum est in Frisia nobis vicina, cuius Princeps profiteri dicitur Euangelium Lutheri, cui addictæ sunt multæ ciuitates inter Orientales & DANOS. Hinc catena malorum porrigetur ad Heluetios. Iam si Cæsar pro sua pietate præ se ferat animum, ex Pontificis arbitrio gesturum omnia, periculum est, ne non ita multos habiturus sit fauentes. Adde quòd indies expectatur Turcarum incursus, cuius potentiam vix oppesserimus, etiamsi concordes auxilia nostra in vnum contulerimus. Porrò quid sit belligerari inuito milite, declarant Romæ excidium, & nuper res apud Viennam gestæ.

Non dubito quin optimi Principis animus propendeat ad pacem, clementiam & tranquillitatem: Sed nescio quo fato, præter illius animum, nobis bellum è bello seritur. Quàm diu, quàm miserè vexata Gallia! quantò miseriùs afflicta Italia! vbi nouum etiam bellum increduit. Nunc eò res spectare videntur, vt orbis maxima pars sanguine misceatur.

Vt est anceps omnium bellorum alea, metuendum est, ne tumultus hic tendat ad subuersionem totius Ecclesiæ: præsertim cùm vulgus persuasum habeat, hoc negocium non geri, nisi autore Pontifice, maxima ex parte per Episcopos & Abbates. Atq; adeo vereor, ne Cæsar ipse non prorsus sit abfuturus à periculo: quod omen auertant superi.

Noui

Noui & execror eorum proteruitatem, qui sectis præsunt aut fauent. Sed magis spectandum est, quid postulet totius orbis tranquillitas, quàm quid illorum mereatur improbitas.

Nec vsq; adeò desperandum est de statu Ecclesiæ: fuit olim longè maioribus iactata procellis. Sub Arcadio & Theodosio qui fuit orbis status? Eadem ciuitas habuit Arianos, Pelagianos & Donatistas. In Africa furiebant Donatistæ & Circumcelliones. Multis in locis vigebat adhuc Manichæorum insania & Martionis virus, præter incursus barbararum gentium. Et tamen in tantis dissidijs Imperator citra sanguinis effusionem habenas rerum moderabatur, & paulatim hæresium monstra resecabat. Ipsum tempus interdum adfert remedium immedicabilibus malis.

Quare futurum ex re videtur, si certis conditionibus sectæ ferrentur. Graue quidem fateor malum esse, sed bello, & tali bello, leuius.

Hoc rerum statu nusquam esse malim, quàm in Italia. Sed aliò trahunt fata. Sed trahant quò velint, modò non distrahant à Catholicæ Ecclesiæ consortio. Datum die 10. Augusti, Anno 1530.

ERASMI ROTERODAMI AD CARDINALEM CAMPEGIVM EPISTOLA, VNO MENSE POST, DE eodem negocio scripta.

ECCLESIAE tranquillitatem non tàm sperauimus quàm optabamus. Nunc video nihil superesse, nisi vt Christus experrectus iubeat hos rerum fluctus conquiescere.

Nonnulla tamen spes adhuc habet animum meum, fore, vt Deus immittat animo Cæsaris cogitationes pacis, præsertim erga Christianos.

Quanta sit Turcarum immanitas, iam heu nimium experti sumus. Quid moliantur, obscurum esse non potest. Quibus cùm vix omnibus iunctis tum opibus, tum copijs, pares simus, quid fiet, si tot modis inter nos dissidentes cum hoste non minùs potente, quàm crudeli bellum suscipiamus? Si Germania semel cœperit ciuilibus bellis tumultuari, nolim malè ominari: sed Deus auertat, quod minitantur exordia.

Si dissimulato interim negocio sectarum, hoc iunctis viribus agamus, quod summopere vrget, spero tempus ipsum aliquam medelam

delam allaturum. Iam Basileæ, vt audio, populus resipiscit, nec veretur publicitus suos Ecclesiastas scommatis & conuicijs incessere.

Rerum autem immedicabilium nullus est efficacior medicus, quàm καιρὸς, vt ne commemorem, recens exemplum esse, hæreticos armis opprimere, præsertim bello tam latè patente. Quod vt maximè sit vetus, tamē magis spectandum est, quid deceat Christianam clementiam, quidq; in commune expediat omnibus, quàm quid mereatur paucorum improbitas.

Non grauatus fuissem isthic adesse, posteaquam valetudo cœperat esse commodior, si spes vlla fuisset, meam præsentiam profuturam. sciebam isthic esse quosdam, qui priuatis affectibus metientes omnia, sibi videantur strenui propugnatores Ecclesię, cùm nulli eam magis lædant.

Quoties congredior cum hostium turmis, statim adest, qui mihi à tergo lethale vulnus infligat. Scripsi diatribam: obortus est Stunica cum suis conclusionibus. Scripsi Hyperaspisten: exortus est Bedda cum suis virulentis calumnijs. Scripsi contra Vulturium & Bucerum: exortus est denuò Albertus Pius, qui priùs editis addidit iustum volumen, in quo collegit ex omnibus scriptis meis, quæ videntur affinia dogmatibus improbatis.

Atqui si placet reprehendere affinia, cùm summa veritas sit affinis falsitati, polliceor, me collecturum articulorum duo millia, ex Decretis Pontificum, eq; probatissimorum Ecclesiæ doctorum monumentis, vt omittam σκανδαλώδη & irreuerenter dicta. Atqui tale est argumentum, quod suscepit Pius, vt, si me totis viribus pergam tueri, per occasionem noceā causæ, cui faueo, cuiusq; gratia, duarum Sectarum irreconciliābile odium in me prouocaui.

Si quid acciderit tumultus, ero inter primas victimas Zuinglianorum & Lutheranorum: quanquam hoc citius patiar, quàm vt diuellar à castris Ecclesiæ Catholicæ. Nullos collegi discipulos, nulli sectæ me ipse addixi: tantum inuidiæ, tantumq; periculorum senex & valetudinarius pati malui, quàm digitum latum ab Orthodoxorum consortio recedere.

Itaq; vt demus, in tot libris aliquid à me scriptum incautiùs, tamen hic animus promerebatur aliquantò maiorem fauorem. Scio quicquid agit Pius, autore & adiutore Hieronymo Aleandro agere, cui nulla est causa, cur mihi malè velit, sunt aliquot, cur benè velle debeat. Cùm illi fortuna esset nulla, profuerunt illi commendationes

dationes meæ: Deinde compluribus in locis honorificam illius fa. cio mentionem. Hæc in sinum vnici patroni mei, quem semper mi. hi fauentem expertus sum, effundere visum est, vt, quando superio. ra reuocari non possunt (iam enim Pij liber excuditur) inposterum cohibeas illorum seras querelas, vel insimulationes potiùs, mihi pe riculosas, si obticescam: ad coërcendas hæreses inutiles, si respon. deam. Quòd Ecclesiasten Thannensem ex mea commẽdatione sta. tim absoluisti, habeo gratiam humanitati tuæ mihi non nunc pri. mùm expertæ. non eram his literis interpellaturus occupationes tuas & plurimas & grauissimas, nisi denuo iussisses vt scriberem. Si quid hîc pecco, vel obsequio condonandum est, vel conceptæ iam olim de singulari bonitate tua fiduciæ. R.D. T. incolumem floren. tem q; tueatur Dominus Iesus. Datum apud Friburgum Brisgoiæ 7. Septemb. Anno 1530.

ERASMO ROTERODAMO PHILIPPVS MELANTHON.

*NVnquam eram creditur*us *tantam ferociam, tantam q; sæuitiam in homi. nem cadere posse, quantam in Eccio & quibusdam eius gregalibus deprehen. do. Nam Principes ipsi satis moderatas & clementes sententias dicunt, a quibus tamen isti miris artibus conantur eos abducere. Accipio te Imperato. rem per literas à violentis consilijs dehortari, qui, vt mihi videtur, genuina quadam bonitate etiam ad moderationem & pacem ducitur. Quare spero tuas literas plu. mum ponderis apud ipsum habituras esse, teq; rogo, vt inchoatum Reip. beneficium perfici & pergas eum iterum atq; iterum dehortari. Nihil hac tua sapientia atq; autoritate digni facere potes, nihil ad omnem posteritatem glorioſius, quàm si tua diligentia hos motus sedi. ueris.*

Nos nostram causam simpliciter & sine conuicijs proposuimus, quanquam cauillari liquis posset, seram esse moderationem: tamen voluimus ostendere, nos non abhorrere à con. silio pacis, si conditiones æquæ proponantur. Res ipsa ostendit, impendere mutationem pali. cam, quam vtinam ita gubernent illi, qui rerum potiuntur, ne subito impetu prosternatur Ec. clesia.

Oro igitur te, quantum possum, per Christum, vt non desinas Imperatorem adhortari ne bellum aduersus ciues suscipiat, qui non recusant æquas conditiones suscipere. Non enim hoc agunt nostri, vt πολίτευμα Ecclesiæ dissoluant. Danielem Stibarum valde amo, quem et si scio tibi iucundissimum esse, tamen oro, vt mei causa aliquid addas ad tuam erga ipsum be. neuolentiam. Vale, Augustæ, Anno 1530.

ERASMV

ERASMVS ROTERODAMVS PHILIPPO MELANTHONI.

QVòd ad Cæsarem scripserim, perperam relatum est. In hoc Concilio verbum ad illum non scripsi. Scripsi tantùm Campegio, summo studio hoc agens, ne bello de dogmatibus transigeretur. *Consimilia scripsi Episcopo Augustensi, alijsq; nonnullis amicis: meq; rogas, ne id facere desinam. Quin potiùs roges istos, vt desinant pertinacia sua, conuitijsq; Principum animos ad bellum irritare. Ego non nunc tantùm, sed perpetuò, & Theologorum sæuitiam pro viribus retudi, & Principum animos à sæuiendo terrui. Vides, quam mihi referant gratiam. Commigrauit Argentoratum ebriolus quidam, Gerardus Nouiomagus, quem in Epistola, ciuilitatis gratia, Vulturium Neocomum nominaui. Antehac supra modum amans mei, nunc furit non aliter, ac si patrem & matrem, auum & auiam vtranq; ferro necassem. Suo nomine quatuor iam libellos emisit. Quintus plenus conuitijs & hypocrisi prodijt nomine ministrorum Argentoratensium. Nihil seditiosius. Itaq; posthac non est animus, agere de componendo negocio, cùm ipsi non solùm nihil remittant, verùm etiam ad tumultum cruentum gestire videantur. Dominus exitum emendet, qui te sospitem, nobisq; conseruet incolumem. Friburgi, Anno 1530.*

PHILIPPVS MELANTHON D. MARTINO LVTHERO.

HEri binas literas accepi, ac planè agnosco, multipliciter vinci nos abste in hoc officij genere. Non solùm frequentiùs, sed etiam lætiora scribis, quàm nos. De nobis & nostra causa nihil adhuc decretum est. Nouæ quotidie deliberationes habentur: Christus faciat, vt pariant pacem.

Eccius cum sua manipulatione exhibuit nostræ confessionis confutationem Imperatori. Hæc nondum etiam publicata est: sed audio ex amicis, longum & plenum conuitijs, ac prorsus contumeliosum scriptum esse.

Zuuinglius misit huc confessionem impressam typis: diceres simpliciter, mente captum esse. De Peccato Originali, De vsu Sacramentorum, veteres errores planè renouat: de Ceremonijs loquitur valde Helueticè, h.e. barbarissimè, velle se omnes ceremonias esse abolitas: Suam causam de Cœna vehementer vrget: Episcopos omnes vult deletos esse. Mittam exemplar cùm nactus fuero, Nam id, quod habui, apud Principes circumfertur.

Mitto tibi quæstionem de Traditionibus: de qua velim te copiosè respõdere. Nulla res me magis exercet in omnibus nostris disputationibus, quàm

illa, quæ videtur omnium leuissima. Et certè est res minimi negotij: tantùm sunt laquei conscientiarum Traditiones, quoquomodo accidat, siue cùm obseruantur, siue cùm abolentur. Vnam habemus firmam rationem de Iustificatione: Alteram de Libertate, quòd scilicet retinenda sit libertas etiam exterior, quæ multum habet offensionis. Voco autem libertatem, sicut Paulus legem inter Iudæos obseruauit. Digessi varias causas traditionum condendarum, vt videre facilius possis, qua in parte maximè hæream, videlicet, si traditiones fiant, sine impia opinione, videntur necessariò obseruandæ esse, propter ius potestatis, non propter vllum cultum. Videmus enim verè dominari Episcopos iure humano.

In loco de Missa & in primo catalogo Articulorum fidei, videor mihi satis cautus fuisse: In traditionum materia nunquam mihi satisfeci in hoc scripto. Suspicor de ordinibus Ecclesiasticis etiam magnos tumultus excitaturos esse aduersarios. Vale feliciter. Postridie Margarethæ. Anno 1530.

QVINQVE POSSVNT ESSE CAVSAE TRADITIONVM ECCLESIASTICARVM.

I.

VT sint opera placantia Deum: Sicut de satisfactionibus sensit mundus, & de multis alijs ceremonijs, de canonibus pœnitentialibus.

II.

Vt sint cultus necessarij: Sicut in lege perpetuus cultus dierum & ciborum & similium rerum fuit. Hæc causa non multum à superiori differt, habet tamen aliquod discrimen, quia videtur continere opera sequentia iustificationem, & protestationem fidei. Hoc enim voco cultum καὶ σέβασμα, & accedit conditio necessitatis, quòd dixi necessarium cultum fingi, sicut in lege perpetuarum ceremoniarum. De his duabus causis facile iudicium est, cùm sint impiæ traditiones, tutò violantur. Et de his casibus solis disputat Paulus: de his etiam initio tantùm disputauit Lutherus: facile igitur fuerit iudicare.

III.

Tertia causa nihil habet impietatis, si condantur traditiones propter bonum ordinem, daß es ordentlich zugehe/ *vt Feriæ, dies Dominicus, & ordo lectionum in Missa, Item, ne quis porrigat corpus Domini nisi ordinatus Presbyter.*

IIII.

Quarta videtur etiam licita, propter pædagogiam, vt disciplina corporalis instituatur pro imperitis, vt certa ieiunia, certæ feriæ, non quòd ieiunia sint cultus, sed sint exercitia corporalia, disponentia rudes, vt fiant idonei ad audiendum verbum.

Quinta

V.

Quinta propter cultum quidem, sed fidem sequentem, sicut opus Magdalenæ, vnctio pedum. Hoc modo instituerunt Machabæi Encænia, videlicet opus, quo gratiæ aguntur: quod est protestatio, & signum gratitudinis ac fidei.

Non dubium est in his tribus posterioribus casibus, traditiones licitò condi posse. Quod cùm ita sit, argumentari possunt aduersarij nostri: Traditiones tales sunt licitæ, & sunt mandatæ à potestate: Ergo necessariò obseruandæ sunt: Sicut Iudæi necessariò cogebantur seruare Encænia instituta à Machabæis, & Niniuitæ necessariò cogebantur seruare ieiunium indictũ à Rege, & Iudæi indictum à Iosaphat. Cogimur enim fateri, quòd Episcopi iure humano sint potestates: obligant igitur traditiones, non quia sunt cultus per se, sed quia sunt licita opera, & sunt mandata à potestate. Ius potestatis hîc affert necessitatem, non ipsa operis natura. Hîc tu respondes, non solùm causam esse, cur omitti possint, quòd sint contra doctrinam iustificationis: Sed etiam, quòd libertas donata per Euangelium non possit nobis eripi, sicut Paulus inter Iudæos liberè seruauit legem, tantùm ne quem offenderet. Sed hoc non videtur sufficiens, aut certè valde ostendit homines mediocres. Si est obœdientia necessaria, libertas nulla est, pugnant enim inter se libertas & obœdientia. Hic nodus explicandus est. Nam illa libertas videtur dissoluere prorsus obœdientiam, quod non conuenit. Item sic arguo: Iudæi peccassent violantes indictum ieiunium à Iosaphat: Niniuitæ peccassent indictum ieiunium violantes. Ergo & nos peccamus violantes indicta ieiunia in casibus licitis. Quòd enim Achab profertur instituens cultum, dissimile est. Is cultum, ad placandum Deum, instituit, contra doctrinam fidei: sed si non instituisset contra fidem, sed iuxta fidem, vt Iosaphat, certè violare non licuisset. Sic dici potest de nostrorum traditionibus. Fateor enim quòd Episcopi possint dominari humano iure. Respondè, vtrùm traditiones factæ in his tribus casibus, necessariò seruandæ sint, propter autoritatem & mandatum potestatis, & vtrùm tales traditiones obligent conscientiam.

D. MARTINVS LVTHERVS PHILIPPO MELANTHONI.

Gratiam & pacem in Christo.

IN prioribus vestris literis, mi Philippe, spem mihi feciſtis, die Lunæ iam præterita hebdomada, vos aduersariorum responsum habituros esse, & mox edicto sequente vos dimissum iri. Quare ego penè securus vos expectaui eadem hebdomada reduces.

Nunc istæ literæ aliud exhibent. Sed de hoc & alijs aliâs.

AD DISPVTATIONEM DE TRADITIONIBVS.

CAusæ ceremoniarum quinq; à te rectè tractantur: Verùm vbi nodus est, & tu quæris, nempe de persona & efficiente causa disputatur. Nam de finali facilis est quæstio.

I.

Cùm sit certum, duas istas administrationes esse distinctas & diuersas, nempe, Ecclesiasticam & politicam, quas mirè confudit & miscuit Satan per Papatum: Nobis hîc acriter vigilandum est, nec committendum, vt denuò confundantur: hoc enim esset furibus & latronibus participare, quia diuina est hîc autoritas, quæ præcipit eas diuersas & impermixtas seruari, dicens: Vos autem non sic.

II.

Ex hoc sequitur, quòd eadem persona non possit esse Episcopus & Princeps, nec simul Pastor & Patersamilias. Intelligis hîc satis, quòd velim personas impermixtas, sicut & administrationes volo, etiamsi idem homo vtramq; personam gerere possit, & idem Pomeranus possit esse Parochus & Oeconomus. Nolo enim Episcopos turbare, si qui boni inter eos sunt. Sic Conradus à Tungen, idem homo est dux Franciæ & Episcopus Herbipolensis, cùm tamen Dux Franciæ non possit esse Episcopus Herbipolensis. Hæc sic verbosè coram te, quia nostiverbum nostrum potißimùm has efficientes causas traditionum tractasse, non tantùm finales, quas tu enumerasti.

III.

Episcopus, vt Episcopus, nullam habet potestatem super Ecclesiam suam vllius traditionis aut ceremoniæ imponendæ, nisi consensu Ecclesiæ vel expresso, vel tacito: Quia Ecclesia est libera & domina, & Episcopi non debent dominari fidei Ecclesiarum, nec inuitas onerare aut opprimere: Sunt enim ministri & Oeconomi tantùm, non Ecclesiæ domini. Si autem Ecclesia consenserit, ceu vnum corpus cum Episcopo, possunt super se imponere, quicquid volent, salua pietate, rursum etiam pro arbitrio, omittere. Sed hanc potestatem Episcopi non quærunt, volunt dominari, & in suo arbitrio solo omnia habere: hoc nobis non est concedendum, nec vllo modo participandum huic iniquitati & iniuriæ seu oppreßioni Ecclesiæ & veritatis.

IIII.

Episcopus, vt Princeps, multò minùs potest super Ecclesiam imponere quicquam, quia hoc esset prorsus confundere has duas potestates, & tum verè esset Allotriepiscopus, & nos si admitteremus eum, tum essemus paris sacrilegij rei. Hîc potiùs est moriendum, quàm hæc impietas & iniquitas committenda. Loquor de Ecclesia, vt Ecclesia, distincta iam à ciuitate politica.

Episcopus

V.

Episcopus, vt Princeps, potest suis subditis imponere, quicquid visum fuerit, modò pium ac licitum sit, & subditi tenentur obedire: Obediunt enim tunc non vt Ecclesia, sed vt ciues. Est enim persona duplex in eodem homine. Sic Conradus à Tungen, præcipiendo suis Francis, vt Dux Franciæ, ieiunium, aut aliud licitum, cogit eos, qui ducem agnoscunt, ad obœdientiam, sed non eos, qui Episcopum agnoscunt, scilicet, qui sunt sub aliorum Principum dominio, etiamsi sint sub Ecclesia Herbipolensi. Sicut Pomeranus cogit suum seruum ad Oeconomicam suam legem, sed non Ecclesiam suam Vuittenbergensem. Quod tu de Rege Niniuæ arguis, videres esse dictum merè politicum, non attento, an sit Ecclesia vel gentilitas sub ipso. Sic si præcipiat Cæsar generaliter omnibus ieiunium, obœdiunt etiam ij, qui sunt in Ecclesia: Quia Ecclesia est sub Cæsare secundum carnem: Sed non obœdit, vt Ecclesia. Idem est de Rege Iosaphat.

Verùm de Machabæis clarum est, quòd sua Encænia, non ipsi soli instituerint, sed totius populi vno consensu: idem consensus potuisset eadem tollere: licet & hîc multum fuerit politici statuti, imò totum ferè fuerit politicum, dominantibus scilicet Machabæis. Nec tamen sine consensu populi statutum est. Quare neq; Ecclesiastico, neq; profano iure possumus Episcopis tribuere potestatem, super Ecclesiam statuendi quicquam, quantumuis licitum & pium, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

Quòd si etiam vi cogere & exigere velint, non debemus obœdire aut consentire: Sed potiùs mori pro distinctione seruanda istarum administrationum, hoc est, pro voluntate & lege Dei, contra impietatem & sacrilegia. Adde, si dixerint (quod tamen non facient) periculo suo se velle nos grauare, & tanquam Tyranni à nobis haberi, & exigere, ne malo resistamus: Resistendum est, nec vllo opere obœdiendum, sed contrarium faciendum: Quia hîc non solùm fertur malum, sed confirmatur iniquitas, & negatur pietas saltem ipso opere & patientia. Si autem vi manuum cogerent ad ieiunandum, scilicet auferendo cibos, aut alligando in carcere, hîc tutò toleratur malum, nullo consensu operis aut verbi addito. Hîc verò mihi cogitationes oriuntur, ne perijlitemur fallacijs & fucis eorum, scilicet si prætendant, Cæsarem vt Cæsarem, se verò vt Principes velle talia statui aut statuta retineri ab Ecclesia, non vt ab Ecclesia, sed vt à subditis, & hoc prætextu totam illam tyrannidem confusionis resuscitare & confirmare, ac sic Ecclesiam nihilominus oppressam & subiectam Episcopali potestati habere. Hîc ego sentio Diuina autoritate nos prohiberi, ne illis cedamus: Quia Christus prohibet impium & peccatorem pro iusto agnoscere, nisi manifestè pœnituerit. Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & publicanus. Cùm igitur Episcopi manifestè sint rei confusæ istius Tyrannidis & oppressæ Ecclesiæ, non licet eis credere, nisi pœnitẽtia quadam manifesta priùs rescinderint & damnauerint leges priores, & vniuersas res gestas ex confusa Tyrannide. Quod si detrectent, clarum est eos velle impœnitentia & impunitate gaudere, & omnes abominationes suas dolo & fraude restituere, & mentiri, sese vt Principes, seu Cæsarem vt Cæsarem præcipere. Videamus igitur, quomodo cautè ambulemus erga eos, quia pleni sunt omni dolo & fallacia Dei sui Satanæ, ne aliquos nostrum apprehendant, & postea aculeum & immedicabilem singultum relinquant de Ecclesia prodita, & reædificata abominatione.

Posset hæc fraus (si omnino per vim obtruderetur) etiam in hoc deprehendi. Si Herbi-

polensis Episcopus non solùm præciperet illis, quorum Dux est, sed simul illis, quorum Episcopus est. Sic si Papa non solùm præciperet subditis sui dominij temporalis, &c. & sic de alijs.

Hactenus potestis concedere tutò potestatem Traditionum Episcopis: si tum aliquo pacto Ecclesia opprimeretur, fieret hoc sine consensu & culpa nostra. Atque vellem id eos vrgere & exigere, vt more Principum admitterentur cum suis traditionibus, non more Episcoporum. Sed Satan hoc non faciet, præsentiens laqueum suum in sese detorqueri. Esset tamen bonum pro Duce Georgio, qui hac ratione fieret Episcopus Misnensis, Merseburgensis & Pragensis, scilicet mandaturus nomine suo, vt Episcopis tanquam suis iußis obtemperaretur: Sed multò melius pro Haßiæ Landgravio, qui Moguntino nihil concederet, nisi Hamelburgum & Fristariam. Neq; in Thuringia Moguntino quicquam reliquum fieret, nisi curia Episcopalis Erffordensis. Sed hæc tu cõtemnis rudia & rustica, tamen digna sunt, quæ tuis curiosis & inutilibus quæstionibus respondeantur, cùm videas, illos nihil minùs velle, aut posse velle, quãvt profano iure dominẽtur Ecclesijs, aut vt Principes mũdi tantùm habeantur. Volunt Episcopi esse, & nisi hoc vellent, quid essent? quid maneret? Quare velim te paulò quietiori animo esse. Et iam me fatigas ista solicitudine tua frustranea, vt me penè tædeat ad te scribere, videntem, quàm nihil efficiam meis verbis. Imperitus sum sermone, sed non scientia. Dominus Christus sit tecum, Amen. Ex Eremo, die 21. Iulij. Anno 1530.

PHILIP.

PHILIPPVS MELANTHON D. MARTINO LVTHERO.

NONDVM exhibita est nobis aduersariorum confutatio, & audio eius moræ causam esse, quia eam de Cæsaris consilio emendant, & demunt conuicia. Sed hodie accepi ex Campegio, intra paucos dies prodituram. Vbi prodierit, coniecturam capiemus de discessu. Nos enim petemus, vt permittant nobis ἀνταπολογεῖσθαι. Quod si concesserint, non diu manebimus.

Erasmus rescripsit Cæsari, apertè probans causam nostram, de coniugio sacerdotum, de votis, de vtraque specie. Hos enim articulos nominatim attigit.

Tu videris in responsionibus de traditionibus nonnihil stomachari. Sed rogo te, vt sic mihi disputanti ignoscas. Magnæ res sunt, & qui adsunt, non multum adiuuant me. Satis certus sum, quòd non liceat Episcopis onerare Ecclesiam, & ita scripsi in confessione: neque id muto. Sed de alijs rebus tecum συζητῶ. Obsecro te, vt mihi non de efficiente causa traditionum, sed illa finali respondeas, quam ego posui quintam, scilicet, vtrùm obseruationes electæ à pijs possint esse λατρείας, vt, si Bernardus iam rectè sentiens de iustificatione, eligat certam obseruationem, an illa obseruatio possit esse cultus, seu opus, quo propriè agantur gratiæ, & laudetur Deus. Id est enim quod vocat Thomas λατρείαν. Ego sentio tale opus tantum esse corporale exercitium, non cultum, vt si certis diebus ieiunent, finem operis esse proprium corporis castigationem, non cultum, seu laudem Dei. Loquor enim de fine immediato, & iudico Bernardum falli, quòd id opus interpretatur esse cultum. Ita si Petrus constituat obseruationem diei Dominici, id opus iudico non cultum esse, sed habere vtilitatem corporalem, vt certo die conueniat populus. Sed Thomas reclamat, facit cultus ex his ἐθελοθρησκείαις: idem de votis scribit. Obsecro te, ne grauere mecum de his rebus confabulari per literas. Non enim nihil adfert vtilitatis hæc commemoratio. Vale feliciter. 27. Iulij, Augustæ 1530.

M. PHILIPPO, CONFESSORI CHRISTI, MARTYRI VERO, FRATRI SVO CHARISSIMO.

Gratiam & pacem in CHRISTO.

IAM tertiò vel quartò de traditionibus mihi scribis, mi Philippe, & vel ego te non intelligo, vel tu disputas de impossibili, scilicet, an Bernhardus iam rectè sentiēs, possit sibi certam obseruationē eligere, & dicere, hoc sit cultus Dei, gloria & laus Dei, vel pro gratijs agendis Deo. Est planè casus impossibilis, implicans manifestam contradictionem. Nam dicere, Hoc esto cultus Dei, non est Bernhardi, sed vnius & solius Dei. Quare Bernhardus rectè sentiens nunquam poterit dicere, Hoc esto cultus Dei, aut desinet rectè sentire. Quid enim esset hoc aliud, quàm se extollere supra Deum & σεβάσματα cum cta? & quid aliud prohibet primum præceptum, & vniuersi Prophetæ, quàm eiusmodi cultus operū? Nam sint sanè finales causæ prorsus diuinæ, nedum licitæ, hoc additamento (sit cultus Dei) per hominem fiunt summæ blasphemiæ vt sacrilegia. Quasi scilicet homo velit Deum facere, aut docere, quomodo colendus sit. Quare, vt tu dicis, tale opus non est cultus, sed exercitium: Ita & ego sentio, imò certò scio, sine illo additamento esse solum exercitium. Hoc volo, cùm de efficiente causa loquor, Nam si efficiens causa non est, finalis causa est necessariò Chymæra. Cogis itaq; me mirari, & prorsus dubitare, quî fiat, quòd efficientē sic reijcis, & finalē sic vrges. Ego plus dico: Illud ipsum opus electitium Bernhardi, etiam sine additamento, ipsa sua singularitate esse periculosum, & scandalo penè simile. Quasi iam non satis omnia nostra generali Dei præcepto sint in cultum Dei ordinata, vt in gloriam Dei omnia faciamus, dicamus, feramus, viuamus, nisi ille singularis serius veniat cum suo electitio opere, sine omni necessitate, sine verbo Dei, & nobis spectaculum præbeat, quasi melius quiddam ostensurus, quàm cętera, quæ iam statuta diuinitus habemus, cùm neq; ijs simile quicquam possit aut debeat censeri, quicquid homo excogitarit. Tu videris an rectè te intellexerim, aliter iam nō cogitare ex verbis tuis potui. Dominus faciat vos breui reduces.

ALIA.

ALIA.

INtelligo sanè, mi Philippe, nolle contemni à me tuas causas finales traditionum. Quare contrà ego quoq; protestor: Primùm, nolle me contemni à te meas causas efficientes traditionum. Sensibus hæc imis (res est non parua) reponas. Nihil est quod causas finales quis iactet, si nulla sit causa efficiens. Hoc nosti. Quare cùm neq; Principes, neq; Episcopi potestatem habeant traditiones in Ecclesia statuendi, nihil est quod iactent pium esse, licitum esse, exercitium esse, ἐνχαριστίαν esse, disciplinam esse. Deus ista omnia non curat, sed mandatum suum exigit. Ademta igitur causa efficiente, nõ potest resisti vllis abominationibus Antichristi, quin dicat, hoc pium est, hoc licitum est, &c. Quis enim erit hîc iudex? quis definitor? Exempla sunt quæ vrgebunt & facilè obtinebunt. pium erat filium immolari exemplo Abrahæ. pium erat (ait Muntzerus) occidere reges Chanaan & Amorrhæos. Ergo occidamus. Igitur à causa efficiente non discedo. Hoc primum. Secundò, causæ tuæ finales sunt omnes impossibiles. Nam si quæram, quæ sint illa pia vel licita per traditiones statuenda, dices, Eucharistia, disciplina, &c. At hæc iam verbo diuino sunt statuta, præcipit enim Deus orare, prædicare, gratias agere, exercere carnem, erudire populum, & pueros. Da igitur mihi opus aliquod traditionibus subiectum, An purgatorium, fraternitates, peregrinationes, cultum sanctorum dabis? Hæc scilicet sunt extra verbum Dei, ac simul impia quoque. Nullum igitur cùm sit opus, quod traditio de nouo possit statuere, consequens est, vt opus iam diuinitus præceptum apprehendat, & velut prædicamentum substantiæ præsupponatur, quod postea solenniter, vt dicunt, vestiat, & quantitate, & qualitate, Vbi, Quãdo, ad aliquid: vt, Gratias agere est opus traditionis, imò non traditionis, sed præcepti diuini, fit verò traditionis, dum ea dictat hac hora, hoc loco, hac voce, tanta mora, hoc habitu, hoc gestu volumus ea efficere. At hæc prædicamenta in operibus suis Deus voluit esse libera, & vera accidentia, nequaquam verò substantiam. Iam redit disputatio ad circulum suum, quòd nec ista accidentia vllus potest alijs imponere, nisi iussus, & causa efficiens à Deo vocatus, sicut dicit: Si quis loquitur & ministrat tanquam verbo & virtute Dei. Hæc de traditionibus sentio, verùm, an te & tua intelligã, nescio. Quòd

traditionibus misces ἐθελοθρησκείαν cum tuo Bernhardo, quem po. nis rectè sentientem, & tamen eligere certum ieiunium pro gratijs agendis: Hoc ego non voco traditionem à potestate institutam, sed electitiam priuati hominis operationem. De quo sic arbitror, non licere Bernhardo tale ieiunium vel ordinem eligere: Deroga. ret enim hæc singularitas vel ordo cæteris ordinibus & operibus Dei, cùm omnia nostra fieri debeant in nomine Christi, & ad glo. riã DEI. Illa verò singularitas obscuraret omnia hæc exemplo peri. culoso, & scandalo imperitis noxio, & sicut Scriptura loquitur, scandalo coram cæcis. Quanquam si etiam hoc scandalum tolera. retur eo remedio temperatum, quod simul doceretur iuxta hunc Bernhardi ordinem (sicut oportet de operibus doceri) multò san. ctiorem esse quemlibet ordinem Dei, & multò aptiorem ad gra. tias agendas, & deo millies probatiorem, quàm illum singularem & electiuum, non esset metuendum illan ἐθελοθρησκείαν prævalitu. ram. Sed hæc extra causam. Summa hæc est: Non licere λατρείαν vl. lam inuenire aut eligere, absq; expresso mandato Dei & certo ver. bo. Sic enim hactenus docuimus, & rectè. Hæc accipe à me, vt di. uinante magis de tua sententia, quàm perspiciente: Forte alijs sum distractus cogitationibus, vt tua minùs videam. Alioqui mihi mi. rum est, cur talia quasi ignarus quæras, cùm sciam te optimè omnia nostra intelligere. Ego puto in omnibus his sufficere causam effi. cientem, scilicet, quòd Bernhardus non debeat talem cultum eli. gere aut sequi, quia non est ad hoc vocatus, nec habet verbum Dei, per quod fiat causa efficiens. Alioqui cultus ipse, & finalis causa per sese essent sancta, si verbo Dei mandaretur, hoc est, mea opinio ne fieret cultus efficiente causa verè sancta.

Noua hîc nulla, nisi quòd Augustæ Cæsari noua domus ædificatur, vt multis annis in Germania commoretur; Deinde quòd sint inter nostros Augustæ, nempe Philippum, Ionam & totum collegium magnæ turbæ. Vale. Datum ex Eremo, die 3. Au. gusti.

Dum

DVm hanc Epistolam, die tertio Augusti, Lutherus Coburgæ scribit: Augustæ tandem CONFVTATIO exhibitæ confessionis, à Pontificijs Theologis composita, & demtis conuitijs emendata, in Palatio Cæsaris, præsente Cæsarea M. Rege Ferdinando, Electoribus, Principibus & legatis publicata est. Initio Cæsar, paucis verbis, per Fridericum Palatinum præfatur, se ad Electoris Saxoniæ & coniunctorum Principum & ciuitatum articulos, Responsionem, de consilio aliquot doctorum & peritorum ex multis nationibus, scripto comprehendi curasse, quod etiam Cæs. M. ipsius probatum fuerit. Id Electori nominato, & coniunctis Principibus nunc prælectum & publicatum iri. Deinde Alexander Suueissius, Cæsareæ M. Secretarius, scriptum prælegit, Cuius hæc verba fuerunt.

CONFVTA-

CONFVTATIO ARTICVLORVM CONFESSIONIS, PONTIFICIA, AVGVSTAE IN PRAESENTIA CAESAREAE MAIESTATIS, CAROLI V. ELECTORVM, PRINCIPVM, ET ALIORVM STATVVM IMPERII ROMANI IN PVBLICO CONSILIO IMPERIALI PRODUCTA & LECTA.

SACRA Cæsarea Maiestas, Dominus noster clementissimus, Cùm superioribus diebus quandam fidei confessionem, per Electorem Ducem Saxoniæ & nonnullos Principes & duas ciuitates, cum nominibus eorum subscriptis exhibitam, accepisset: pro eo affectu, quo Dei Opt. Max. gloriam, animarum salutem, Christianam concordiam, & publicam totius Germaniæ quietem, honorem, vnionem atq; salutem magnopere exoptat, non modò eam confessionem legit ipsa, ac, quantum opus fuit, perspexit diligenter, sed, quò firmiùs maturiusq; (vt in re tanti momenti decet) procederet, ac negocium tam arduum tam accuratè tractaret, nonnullis eruditis, maturis, probatis ac honestis viris, diuersarum nationum, eandem confessionem videndam examinandamq; dedit, eisq; seriò mandauit & iniunxit, vt, quæ rectè ac catholicè dicta in ea confessione, inuenirent, laudarent, ac comprobarent: contrà verò à Catholica Ecclesia dissidentia annotarent, ac deinde sacræ illius Maiestati vnà cum eorum responsione offerrent, suasq; ipsi de ea re sententias exponerent. Quod quidem ritè & ordine factum est: Nam & prædictam illam confessionem eruditi illi viri, omni cura ac diligentia perspexerunt, & quid de vnaquaque re sentiant, scriptis mandauerunt: Atque ita responsionem eam Cæs. M. exhibuerunt. Quam sanè responsionem, S. Cæs. M. vt decet Christianum Imperatorem, accuratissimè perlegit, ac cæteris Romani Imperij Electoribus, Principibus, & Statibus legendam dedit & examinandam: Quam & ipsi, tanquam orthodoxam, & cum Euangelio & sacris literis per omnia consentientem, comprobauerunt. Qua de causa C. M. habito desuper consilio, prædictis Electori, Principibus & ciuitatibus, vt in ea Orthodoxa nostra sancta fide ac religione, omne dissidium tollatur, in præsentiarum recitare iussit, hoc modo.

Ad ea

Ad ea, quæ per Electorem Saxoniæ & aliquot Principes ac ciuitates S. Rom. Imperij in negocio & cauſis Chriſtianæ & ortho. doxę fidei S. Cęſ. M. exhibita fuerunt, hoc Chriſtianum reſponſum reddi poteſt.

I.

Inprimis, Cùm articulo primo confiteantur vnitatem eſſen. tiæ diuinæ in tribus perſonis, iuxta Niceni Concilij Decretum, eo. rum Confeſſio acceptanda eſt, eò quòd per omnia, ad normam fi. dei, & cum Romana cõcordat Eccleſia. Nam Nicenum Concilium ſub Imperatore Conſtantino Magno celebratum, ſemper ſacro. ſanctum eſt habitum: In quo trecenti, decem & octo Epiſcopi, ſan. ctimonia vitę, martyrio & eruditione conſpicui ac venerabiles, diſ cuſſis & diligenter examinatis ſacris literis, hunc articulum, quem hîc confitentur de vnitate eſſentiæ & perſonarum trinitate, diffi. nierunt. Sic quoque acceptandum eſt, quòd damnant omnes hæ. reſes contra hunc articulum exortas: Manichæos, Arrianos, Eu. nomianos, Valentinianos, Samoſatenos. Nam & hos olim damna uit ſancta & catholica Eccleſia.

II.

In ſecundo verò articulo confeſſionis, comprobatur qui. dem, quòd cum Eccleſia Catholica fatentur vicium originis verè eſſe peccatum, damnans & afferens æternam mortem his, qui non renaſcuntur per baptiſmum & ſpiritum ſanctum. Nam rectè in hoc damnant Pelagianos nouos ac veteres, iampridem ab Eccleſia damnatos.

At declaratio Articuli, quòd peccatum originis ſit, quòd naſcantur homines ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, eſto. mnino reijcienda: cùm ſit cuilibet Chriſtiano manifeſtum, eſſe ſine metu Dei, ſine fiducia erga Deum, potiùs eſſe culpam actualem adulti, quàm noxam infantis recèns nati, qui vſu rationis adhuc non pollet, velut DOMINVS ad Moiſen ait: Tui paruuli, qui hodie boni & mali ignorant diſtantiam, Deut. 1.

Sed & ea reijcitur declaratio, qua vicium originis, concupi. ſcentiam dicunt, ſi ita concupiſcentiã volunt eſſe peccatum, quod etiam poſt baptiſmum remaneat peccatum in puero; Iampridem enim

enim damnati sunt à sede Apostolica duo articuli Martini Lutheri, secundus & tertius de peccato remanente in puero post baptismum, & de fomite remorante animam ab ingressu cœli. Quòd si iuxta D. Augustini sententiam vicium originis dicerent concupiscentiam, quæ in baptismo peccatum esse desinat, acceptandũ esset: Quandoquidem & iuxta B. Pauli sententiam Omnes filij iræ nascimur. Ephes. 2. Et in Adam omnes peccamus. Rom. 7.

III.

In tertio articulo nihil est quod offendat, cùm tota confessio, cum Symbolo Apostolorum, & cum recta fidei regula conueniat, Filium Dei scilicet esse incarnatum, humanam naturam assumsisse in vnitatem personæ, natum ex Maria virgine, verè passum, crucifixum, mortuum, descendisse ad inferos, resurrexisse tertio die, & ascendisse ad cœlos, sedereq; ad dexteram patris, &c.

IIII.

Quòd in IIII. articulo Pelagiani damnantur, qui arbitrati sunt hominem proprijs viribus, secluſa gratia Dei, posse mereri vitam æternam: tanquam catholicum & antiquis concilijs consentaneum acceptatur. Nam sacræ literæ hoc expressè testantur. Ioannes Baptista inquit, Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum à cœlo. Ioan. 3. Quia omne datum optimum & donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Iacobi 1. Omnis itaq; sufficientia nostra ex Deo est. 2. Cor. 3. Et Christus inquit, Nemo venit ad me, nisi Pater, qui me misit, traxerit eum. Ioan. 6. Et Paulus, Quid habes quod non accepisti? 1. Cor. 4.

Nam si quis intenderet improbare merita hominum, quæ per assistentiam gratiæ diuinæ fiunt, plus cõsentiret Manichæis, quàm Ecclesiæ sanctæ Catholicæ. Omnino enim sacris literis aduersatur, negare meritoria esse opera nostra. Etenim Paulus inquit, Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De reliquo mihi proposita est corona iusticiæ, quam reddet mihi DOMINVS in illa die iustus iudex. 2. Timot. 4. cap. Et Corinthijs scripsit, Oportet nos manifestari ante tribunal Christi, & vnusquisq; referet corporis propria, prout gessit, siue bonum siue malum. 2. Corinth. 5.

Vbi

Vbi enim est merces, ibi est meritum. DOMINVS dixit Abrahæ, Noli timere: ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Genes. 15. Et Iesaias inquit, Ecce merces eius cum eo, & opus illius cum illo, Ies. 30; & item Iesaiæ 58. Frange esurienti panem tuum, & anteibit faciem tuam iusticia tua, & gloria DOMINI colliget te. Sic ait DOMINVS ad Cain, Nónne, si bene egeris, recipies? Gen. 4. Sic parabola Euangelica declarat nos in vineam conductos DOMINI, Qui & conuenit nobiscum pro diurno denario, qui & dixit, Voca operarios, & redde eis mercedem. Matt. 20. Sic Paulus arcanorum Dei conscius inquit, Vnusquisq; propriã mercedem accipiet, secundum laborem suum, 1. Cor. 3.

Attamen omnes Catholici fatentur opera nostra ex se nullius esse meriti, sed gratia Dei facit illa digna esse vita æterna. Sic S. Ioan. inquit, Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Apoc. 3. Et S. Paulus Coloss. 1. Cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in luce.

V.

In articulo V. Quòd Spiritus Sanctus per verba & Sacramenta detur, tanquam per instrumenta, comprobatur. Sic enim scriptum habetur Actor. 10. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbũ. Et Ioan. 1. Hic est, qui baptizat in spiritu Sancto.

Quòd autem fidei mentionem hîc faciunt, eatenus admittitur, quatenus de fide non sola (vt aliqui malè docent) sed quæ per dilectionem operatur (vt Apostolus rectè docet ad Galatas) intelligatur. In Baptismo enim non sola fides, sed & spes, caritasq; simul infunduntur, vt declarat Alexander Papa c. Maiores, de baptismo & eius effectu: Quod & longè antè docuit Iohannes Baptista de Christo loquens, Lucæ 3. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.

VI.

Quòd autem articulo VI. confitentur, fidem debere parere bonos fructus, ratum gratumque habetur: Quoniam fides sine operibus mortua est, Iacob 2. Et tota scriptura inuitat nos ad opera.

Nam

Nam Sapiens inquit: Quodcunq; manus tua potest facere, instanter operare. Eccles. 9. Et Deus respexit ad Abel & munera eius. Genes. 4. Vidit quòd Abraham præcepturus esset filijs suis & domui suæ post se, vt custodiant viam DOMINI, & faciant iudicium & iustitiam. Genes. 18. Et per memetipsum iuraui, ait DOMINVS: Quia fecisti hanc rem, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum. Genes. 22. Ita respexit in ieiunium Niniuitarum, Ionæ 3. in fletus & lacrymas Ezechiæ Regis. 4. Reg. 20. Quare omnes fideles sequi debēt consilium S. Pauli, dicentis: Ergo, dum habemus tempus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei. Gal. 6. Ait enim Christus: Venit nox, quando nemo operari poterit. Io. 9. Quoniam opera illorum sequuntur illos. Apoc. 14.

Quòd verò in eodem articulo iustificatio soli fidei tribuitur, ex diametro pugnat cum Euangelica veritate, opera non excludente, quia gloria & honor & pax omni operāti bonum, Rom. 2. Quid quòd Dauid, Psal. 61. Christus Matth. 15. & Paulus Rom. 2. testantur, quòd DOMINVS redditurus sit vnicuiq; secundum opera eius. Præterea inquit Christus: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei. Matth. 7. Vnde quantumcunq; quis crediderit, si non operetur bonum, non est amicus Dei. Vos amici mei estis, inquit Christus, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Ioan. 15. Proinde non admittitur, quòd tam sæpe fidei tribuunt iustificationem, cùm id pertineat ad gratiam & charitatem. Nam sic planè inquit S. Paulus: Si omnem fidem habuero, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. 1. Cor. 13. Hîc S. Paulus Principes certificat & totam Ecclesiam, fidem solam non iustificare. Ideo docet Charitatem prȩcipuam esse virtutem. Colos. 3. Super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.

Neq; suffragatur eis verbū Christi: Cùm feceritis hæc omnia, dicite, Serui inutiles sumus. Luc. 17. Nam si factores inutiles dici debent, quantò magis his, qui solùm credunt, dicere conuenit, Si crediderit is omnia, dicite, serui inutiles sumus? Non ergo hæc vox Christi extollit fidem sine operibus, sed docet, quòd opera nostra comparata diuinis præmijs nulla sunt & nihil. Ita inquit S. Paulus: Existimo quòd non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram

turam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Rom. 8. Nam & fides & bona opera sunt dona Dei, quibus per misericordiam Dei datur vita æterna.

Sic & Ambrosius hîc citatus minimè huc pertinet, cùm Ambrosius expressè seipsum exponat, de operibus legalibus: Inquit enim, Sine lege, sed sine lege Sabbati & circumcisionis, &c. Et hoc luculentiùs ait Rom. 4. cap. inducens sanctum Iacobum de iustificatione Abraham, sine operibus legalibus, ante circumcisionem. Nam quî fieret, vt Ambrosius in commentarijs aliud diceret, quàm S. Paulus in textu, cùm inquit: Quia ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram illo. Rom. 3. Ideo in fine non simpliciter excludit opera, sed ait: Arbitramur iustificari hominem sine operibus legis.

VII.

Septimus Confessionis articulus, quo affirmatur, Ecclesiam esse congregationem sanctorum, non potest citra fidei præiudicium admitti, si per hoc ab Ecclesia segregentur mali & peccatores. Nam articulus ille in Constantiensi damnatus est Concilio, inter errores damnatæ memoriæ Iohannis Huss: & planè cõtradicit Euangelio. Nam ibi legitur Iohannem Baptistam comparasse Ecclesiam areæ, quam Christus permundabit ventilabro suo, & congregabit triticum in horreum suum, Paleas autem comburet igni inextinguibili. Matth. 3. Quid autem paleæ significant nisi malos, sicuti triticum bonos? Et Christus Ecclesiam comparauit sagenæ, in qua sint pisces boni & mali. Matth. 13. Christus item comparat Ecclesiam decem virginibus, quarum quinque erant prudentes, & quinque fatuæ. Matth. 25. Quapropter hic articulus Confessionis, omnino non acceptatur, quamuis laudetur in eo, quòd Ecclesiam fatentur perpetuam, cùm hîc locum habeat promissio Christi, promittentis, quòd Spiritus veritatis sit permansurus cum ea in æternum. Ioan. 14. Et ipse Christus se promittit Ecclesiæ omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.

Laudatur & in eo, quòd existimant rituum varietatem non dissecare vnitatem fidei, si de specialibus ritibus loquantur. Nam sic vnaquæque prouincia in suo sensu abundat, ait Hieronymus.

Quòd

Quòd si hanc Confessionis partem ad vniuersales Ecclesiæ ritus extenderent, & hoc prorsus reijceretur, & eis cum S. Paulo diceretur: Nos talem consuetudinem non habemus. 1. Cor. 2. Ab omnibus enim fidelibus vniuersales ritus obseruandos esse, pulchrè S. Augustinus ad Ianuarium, cuius testimonio & ipsi vtuntur, docet: Præsumendum enim sit illos ritus ab Apostolis dimanasse.

VIII.

Octauus verò Articulus Confessionis, de ministris Ecclesiæ malis & hypocritis, quòd illorum malitia, sacramentis & verbo non obsit, acceptatur cum S. Rom. Ecclesia: Laudanturq; Principes hoc loco, Donatistas & veteres Origenistas damnantes, qui negabant licitum esse vti ministerio malorum in Ecclesia: quam hæresin postea Vualdenses & pauperes de Lugduno resuscitarunt, quod deinde Iohannes Vikleff in Anglia, & Iohannes Huss in Bohemia secuti sunt.

IX.

Nonus Articulus de Baptismo, quòd sit necessarius ad salutẽ, & quòd pueri sint baptizandi, probatur & acceptatur, rectèq; damnant Anabaptistas, hominum genus seditiosissimum, procul à finibus S. Rom. Imperij eliminandum, ne inclyta Germania exitialem & sanguinarium denuo patiatur tumultum, qualem annis ab hinc quinq; tot millium hominum clade experta est.

X.

Decimus Articulus in verbis nihil offendit, quando fatentur in Eucharistia, post cõsecrationem legitimè factam, corpus & sanguinem Christi substantialiter & verè adesse, si modò credant, sub qualibet specie integrum Christum adesse, vt non minùs sit sanguis Christi sub specie panis per concomitantiam, quàm est sub specie vini, & è diuerso. Alioqui in Eucharistia corpus Christi esset mortuum & exangue, contra S. Paulum, quia Christus resurgens, amplius non moritur, Rom. 6.

Adijcitur vnũ tanquam ad huius Confess. articulũ valde necessa-

rium, vt credant Ecclesiæ potiùs, quàm nonnullis aliter malè docentibus, omnipotenti verbo Dei in consecratione Eucharistiæ substantiam panis in corpus Christi mutari: Ita enim in Concilio generali definitum est, c. firmiter, De San. Trin. & fide Cathol. Laudantur itaq;, qui Capernaitas veritatem corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi in Eucharistia negantes damnant.

XI.

Quòd Articulo XI. fatentur Absolutionem priuatam in Ecclesia retinendam esse cum confessione, tanquam Catholicum, & fidei nostræ conueniens acceptatur: quoniam firmatur verbo Christi absolutio, cùm dicit Ioann. 20. Apostolis, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Duo tamen exigenda hîc ab eis sunt: Vnum, vt Confessionem obseruari faciant à subditis annuam, iuxta constitutionem c. Omnis vtriusque, de pœnitentia & remissione, & communis Ecclesiæ consuetudinem. Alterum, vt per Concionatores fideliter admoneri faciant subditos suos, quatenus cõfessuri, licet omnia peccata sua sigillatim enunciare non possint, diligenti tamen examine conscientiæ suæ facto, delictorum suorum Confessionem faciant integram, omnium scilicet, quæ sibi in eiusmodi discussione, in memoriam venerint: super alijs verò oblitis, & quæ mentem nostram subterfugiant, licet in genere confessiones facere, & dicere cum Psal. 18. Ab occultis meis munda me DOMINE.

XII.

Quòd autem Articulo XII. confitentur, lapsis contingere posse remissionem peccatorum, quocunque tempore conuertantur, & Ecclesiam debere redeuntibus absolutionem impartiri: cõmẽdatur, quoniam iustissimè damnant Nouatianos pœnitentiam negantes iterandam, tum contra Prophetam pollicentem gratiam peccatori, quacunque hora ingemuerit, Ezech. 18. tum contra misericordem Christi Saluatoris nostri sententiam, S. Petro respondentis, vt nedum septies, fratri peccanti in die condonet. Matthæi 18.

At altera huius Articuli pars omnino reijcitur. Nam cùm duas

duas tribuant duntaxat partes pœnitentiæ, aduersantur toti vniuersali Ecclesiæ, quæ vsq; ab Apostolorum tempore tenuit & credidit, tres esse pœnitentiæ partes, Contritionem, Confessionem & Satisfactionem. Ita antiqui Doctores, Origenes, Cyprianus, Chrysostomus, Gregorius, Augustinus, sacrarum literarum testimonijs docuerunt, præsertim ex 2. Regum 12. de Dauid. 2. Paralip. 33. de Manasse: Psal. 31. 37. 50. 101. &c.

Quapropter Leo Papa Decimus, fel. rec. hunc meritò damnauit Lutheri articulum, sic docentem: Tres esse partes pœnitentiæ, Confessionem, Contritionem & Satisfactionem, non est fundatū in scriptura sacra, nec in sanctis Christianis doctoribus. Hæc igitur Articuli pars nequaquam admitti potest.

Sicut nec ea, quæ asserit, fidem esse alteram partem pœnitētiæ, cùm omnibus compertum sit, fidem pręuiam esse pœnitentię: Nisi enim quis crediderit, non pœnitebit.

Sed neque illa pars admittitur, quæ Satisfactiones contemnit. Etenim est contra Euangelium, contra Apostolos, contra Patres, contra Concilia, & contra vniuersam Ecclesiam Catholicam. Iohannes Baptista clamat, Facite dignos fructus pœnitentiæ. Mat. 3. S. Paulus præcipit, Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, ita exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem, Roman. 6. Idem Gentibus annunciauit, quatenus pœnitentiam agerent & conuerterentur ad Deum digna pœnitentiæ opera facientes; Actor. 20. Ita & Christus ipse cœpit prædicare & docere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum, Matth. 4. Hunc modum prædicandi & docendi imperauit deinde Apostolis, Luc. 24. Et fideliter paruit ei Sanct. Petrus in primo sermone suo, Actor. 2. Ita hortatur etiam Augustinus, vt quisque in seipsum seueritatem exerceat, vt à seipso iudicatus, à Deo non iudicetur, vti Paulus 1. Cor. 2. inquit. Leo Papa cognomento Magnus, inquit, Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus hanc propositam Ecclesiæ dedit potestatem, vt cõfitentibus actionem pœnitentiæ darent, & salubri satisfactione purgatos ad Sacramentorum communionem, per ianuam reconciliationis admitterent. Sic Ambrosius inquit: Secundum conscientiæ molem

exhibenda est pœnitentiæ magnitudo. Vnde diuersi Canones pœnitentiales in sacratissima Synodo Nicena constituti sunt, pro satisfactionum diuersitate. Iouinianus autem Hæreticus existimauit omnia peccata esse paria. Ideo diuersitatem satisfactionum pro peccatis non admisit.

Satisfactiones ergo in Ecclesia contra expressum Euangelium & Conciliorum & Patrum decreta abolendæ non sunt. Quinimò absoluti à Sacerdote, iniunctam pœnitentiam perficere debent, illud S. Pauli sequentes, Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mũdaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, Tit. 2. Sic igitur Christus pro nobis satisfecit, vt & nos simus bonorum operum sectatores, implentes satisfactiones iniunctas.

XIII.

Tredecimus Articulus nihil offendit, sed acceptatur, dum Sacramenta aiunt instituta, non modò, vt sint notæ professionis inter homines, sed magis, vt sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos. Petendum tamen ab eis erit, vt, quod hîc in genere de Sacramentis perhibent, speciatim quoque de septem Sacramentis Ecclesiæ fateantur: & à subditis suis obseruari procurent.

XIIII.

Quando autem Articulo XIIII. confitentur, Neminem debere in Ecclesia, verbum Dei & Sacramenta administrare, nisi ritè vocatum: Intelligi debet, eum ritè vocatum, qui secundum formam iuris, iuxta Ecclesiasticas sanctiones atque decreta, vbique in orbe Christiano hactenus obseruata, vocatur: Nõ secundum Ieroboamiticam vocationem, seu plebis tumultum, aut quamlibet aliam inordinatam intrusionem. Nemo enim sumit sibi honorem, nisi vocatus sicut Aaron.

In hac itaque sententia Confessio acceptatur: Admonendi tamen sunt vt in ea perseuerent, & neminem neque pastorem, neque concionatorem, nisi ritè vocatum, in ditionibus suis admittant.

Dum

XV.

Dum verò Articulo XV. confitentur, ritus illos Ecclesiasticos seruandos esse, qui sine peccato seruari possunt, & prosunt ad tranquillitatem, & bonum ordinem in Ecclesia; acceptatur: Admonendiq́ue sunt, vt ritus Ecclesiasticos, tam vniuersalis Ecclesię, quàm qui in qualibet prouincia vsque ad nos piè & religiosè sunt custoditi, ipsi quoque Principes & ciuitates in suis dominijs & districtibus faciant obseruari: Et ipsi, qui ex illis fuerint intermissi, vt eosdem restituant: Atq; omnia iuxta pristinam formam in Ecclesijs suis fieri ordinent, disponant, atq; cum effectu subditis præcipiant. Appendix tamen Articuli illius omnino tollenda est, cùm falsa sit, constitutiones humanas ad placandum Deum, & satisfaciendum pro peccatis institutos, aduersari Euangelio, vt de votis, de delectu ciborum & similibus, posteriùs latiùs declarabitur.

XVI.

Decimus sextus Articulus de Magistratibus ciuilibus, libenter acceptatur, tanquam consentaneus non solùm iuri Ciuili, verũ etiã iuri Canonico, Euangelio, Sacris literis, & vniuersæ normæ fidei: Quoniam Apostolus præcipit, vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo: Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Rom 13. Laudaturq́; quòd Principes damnant Anabaptistas, omnes ordinationes ciuiles dissipantes & Christianis prohibentes Magistratus, atque alia ciuilia officia, sine quibus nulla respublica feliciter administratur.

XVII.

Articuli XVII. Confessio acceptatur, quoniam ex Symbolo Apostolorum, & ex sacris literis tota nouit Ecclesia Catholica, Christum venturum in nouissima die, ad iudicandum viuos & mortuos. Iustè ergo & hîc damnant Anabaptistas, qui sentiunt hominibus damnatis, & Diabolis finem pœnarum futurum esse, qui sibi quædam Iudaica fingunt regna piorum, ante mortuorum resurrectionem in hoc præsenti seculo, vbiq; oppressis impijs.

XVIII.

Articulo XVIII. confitentur liberi arbitrij potestatem, quòd habeat libertatem ad efficiendam ciuilem iusticiam, sed nō habeat vim sine Spiritu sancto, efficiendæ iustitiæ Dei. Quæ confessio approbatur & acceptatur. Nam sic Catholicos cōuenit media via incedere, ne nimium tribuatur libero arbitrio, cum Pelagianis: Neq; omnem libertatem ei adimant, cum impijs Manichæis. Nam vtrumque non caret vicio. Sic Augustinus ait, Liberum arbitrium inesse hominibus certa fide credimus & prædicamus indubitanter. Namque inhumanus est error, negare liberum arbitrium in homine, quod quilibet in seipso experitur & toties in sacris literis asseritur. S. Paulus ait, Potestatem autem habens voluntatis suæ. 1. Cor. 7. De iusto inquit Sapiens, Qui potuit transgredi, & non est transgressus facere malè & non fecit. Eccles. 31. Deus dixit ad Cain, Nónne, si bene egeris, accipies? Sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Ge. 4. Per Iesaiā dicit Prophetā, Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: Quòd si nō volueritis, & me ad iracundiā prouocaueritis, gladius deuorabit vos. Hoc breuiter & Ierem. expressit. Ecce locuta es & feci sti mala & potuisti. Ier. 3. Addamus & Ezechiel c. 18. Proijcite à vobis oēs iniquitates vestras, in q̄bus præuaricati estis, & facite vobis cor nouū, & spiritum nouum: & quare moriemini domus Israël? Quia nolo mortem morientis, dicit DOMINVS DEVS: Reuertimini & viuite. Et S. Paulus, Spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est. 1. Cor. 14. Et idem 2. Cor. 9. Vnusquisque, provt destinauit in corde suo, non ex tristicia aut necessitate. Deniq; omnes Manichæos vno verbo prostrauit Christus, quando ait, Semper pauperes habetis vobiscum, & cùm volueritis, potestis illis benefacere, Marc. 14. Et ad Ierusalem, Quoties volui congregare filios tuos sub alas & noluisti? inquit Christus Matt. 23.

XIX.

Articulus XIX. itidem probatur & acceptatur: Deus enim summè bonus, non est author malorum, sed voluntas rationalis, defectibilis, causa est peccati. Quare nullus scelera sua & facinora imputet Deo, sed sibi, iuxta illud Iere. 2. Arguet te malitia tua, & auersio

uersio tua increpabit te: & illud Oseæ 13. Perditio tua Israël, tantum modò in me auxilium tuum. Et Dauid in spiritu cognouit Deum esse hunc, qui nolit iniquitatem, Psal. 5.

XX.

In Articulo XX. qui non tam continet confessionem Principum ac ciuitatum, quàm excusationem concionatorum, vnum duntaxat est, quod ad Principes ac ciuitates pertinet, De bonis scilicet operibus, quòd non mereantur remissionem peccatorum; Quod, vt superiùs reiectum ac improbatum est, ita & nunc reijcitur & improbatur. Vulgatissimum enim illud est Danielis: Peccata tua eleemosynis redime. Dan. 4. Et illud Tobiæ ad filium: Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. Tob. 4. Et illud Christi, Date eleemosynam & ecce omnia mũda sunt vobis, Luc. 11. Si opera non essent meritoria, cur Sapiens dixisset, Reddet Deus mercedem laborum suorum sanctorum. Sapient. 10. Cur S. Petrus tam obnixè nos hortatus esset ad opera, dicens: Quapropter, fratres mei, satagite, vt per bona opera vestra certam vocationem vestram & electionem faciatis, 2. Pet. 1. Cur S. Paulus dixisset: Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis nostri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Hebr. 6. Nec hoc aspernamur meritum Christi, sed scimus opera nostra nihil esse, nullius meriti esse, nisi in virtute meriti passionis Christi: Scimus Christum esse viam, vitam & veritatem. Iohan. 14. Christus autem, velut bonus pastor, qui cœpit facere & docere, Actor. 1. exemplum dedit nobis, vt quemadmodum ipse fecit, & nos faciamus. Ioan. 13. Et iuit per desertum, per viam bonorũ operum, quem cuncti Christiani sequi debent & ad iussum eius tollere crucem & sequi. Matt. 10. & 16. Et qui non tollit crucem, non est, nec esse potest discipulus Christi. Verum quoq; est, vt Ioannes inquit, Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. 1. Ioan. 2. Hæc autem de bonis operibus opinio, etiam ante mille centum annos, tempore Augustini damnata fuit & reprobata.

XXI.

Postremo loco articulum proponunt XXI. in quo admit-

tunt, sanctorum proponi memoriam posse, vt imitemur fidem eorum & bona opera, sed non vt inuocentur & auxilium ab eis petatur. Mirum certè est, quòd ipsi Principes & ciuitates passi sint hunc errorem in suis dominijs suscitari, qui toties damnatus est in Ecclesia: Cùm ante mille & centum annos S. Hieronymus in hac arena vicerit Vigilantium Hæreticum. Longè pòst eandē resuscitarunt Albigenses, Pauperes de Lugduno, Picardi, Cathari veteres & iuniores, qui omnes iampridem legitimè damnati sunt. Quare hic confessionis Articulus toties damnatus, penitus reijciendus est, & cum tota vniuersali Ecclesia Orthodoxa reprobandus. Nam pro inuocando sanctos, non modò habemus vniuersalis Ecclesiæ authoritatem, sed & omnium sanctorum Patrum consensum, Augustini, Hieronymi, Cypriani, Chrysostomi, Basilij, Bernhardi, & id genus aliorum Ecclesiæ doctorum. Nec deest Catholicæ huic assertioni sacræ scripturæ authoritas. Nam sanctos honorandos docuit Christus. Si quis, inquit, ministrauerit mihi, honorificabit eum pater meus, qui in cœlis est, Ioh. 12. Si ergo Deus honorat sanctos, cur non honoremus nos homunculi? Conuersus est præterea DOMINVS ad pœnitentiam Iob, cùm ille oraret pro amicis suis. Iob. 42. Cur ergo pientissimus Deus non acquieisceret, intercedenti Beatæ Mariæ virgini, qui acquieuit Iob? Legimus quoq; Baruch 3. DOMINE omnipotens Deus Israël, audi nunc orationem mortuorum Israël. Orant ergo & mortui pro nobis. Sic in veteri Testamento fecerunt Onias & Ieremias. Nā Iudæ Machabæo visus est Onias, summus Sacerdos, manus protendens, & orans pro omni populo Iudæorum. Post hoc apparuit alius vir & ætate & gloria mirabilis, & magni decoris, circa illum, de quo respondens Onias dixit: Hic est fratrum amator & populi Israël, Hic est qui multum orat pro populo & vniuersa ciuitate sancta, Ieremias Propheta Dei, 2. Macc. 15. Ex sacris præterea literis cognouimus, Angelos quoq; orare pro nobis, Cur ergo id negaremus de sanctis? Domine exercituum, inquit Angelus, vsquequò tu non misereberis Ierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es? & respondit DOMINVS Angelo, qui loquebatur verba consolatoria. Zachar. 1. Idem testatur Iob, Si fuerit pro eo Angelus, loquens vnum de similibus, vt annunciet ijs æquitatem, miserebitur eius & dicet: Libera eum, vt nō descendat in corruptionem, Iob. 33. Liquet præterea ex verbis sacræ illius animæ Ioannis Euangelistæ, dū inquit: Quatuor animalia & viginti quatuor

seniores ceciderant coram agno, singuli tenentes citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quę sunt orationes sanctorum. Apoc. 5. & infra, Angelus stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus omnium sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum Dei, & ascendit fumus incensorum de orationibus, de manu Angeli coram Deo.

Postremò S. Cyprianus martyr ante mille, ducentos & quinquaginta annos scripsit Cornelio Papæ, Lib. 1. Epist. 1. petens, vt, si quis eorum prior decesserit, pro fratribus & sororibus nostris, nō cesset oratio. Nisi autem vir sanctus exploratum habuisset, sanctos post hanc vitam orare pro viuis, frustra Cornelium hortatus fuisset hoc facere.

Neque roborata est exhibita Confessio ex eo, quia vnus sit Mediator Dei & hominum, 1. Timoth. 2. & 1. Ioh. 4. Nam etsi fatetur vnum esse Mediatorem redemtionis, Cæsarea Maiestas cum tota Ecclesia: Tamen multi sunt mediatores intercessionis. Sic & Moyses fuit mediator & sequester inter Deum & hominem. Deut. 5. Orauit enim pro filijs Israël, Exod. 17. & 32. Sic orauit S. Paulus pro nauigantibus. Actor. 27. Sic sanè Paulus ipse petit orari pro se à Romanis. Rom. 15. à Corinthijs, 2. Cor. 1. à Colos. Colos. 4. Sic dum Petrus seruaretur in carcere, oratio fiebat sine intermissione in Ecclesia ad Deum pro eo. Act. 12. Est igitur Christus aduocatus noster primarius & quidem maximus: At cùm sancti sint membra Christi, 1. Cor. 12. & ad Ephes. 5. & voluntatem suam conforment voluntati Christi, & videant caput Christum orare pro nobis: Quis dubitare potest Sanctos hoc idem facere, quod vident Christum facientem? Quibus omnibus diligenter attentis, petendum est à Principibus & ciuitatibus eis adhærentibus, vt reiecta hac confessionis particula, cum sancta vniuersali & orthodoxa sentiant Ecclesia, atque credant & confiteantur de sanctorum veneratione & intercessione, quod vniuersus credit & confitetur orbis Christianus: & quod etiam tempore Augustini fuit in omnibus Ecclesijs obseruatum. Populus Christianus, inquit, memorias martyrum religiosa solennitate concelebret, ad excitandam imitationem, & vt meritis consocietur, & orationibus eorum adiuuetur.

RESPON.

RESPONSIO AD SECVNDAM PARTEM CONFESSIONIS.

QVOD in Confessione Principum & ciuitatum inter abusus numeratur, laicos duntaxat sub altera specie Eucharistiæ communicari, ideoq; in dominijs eorum laicis vtraque species datur: Respondendum est, iuxta Ecclesiæ sanctæ consuetudinem, malè hoc dinumerari inter abusus: quin iuxta eiusdem ecclesiæ functiones & statuta, potiùs abusum esse & inobedientiam laicis dari vtramque speciem.

Nam sub vna specie panis communicauerunt sancti in primitiua ecclesia: De quibus Lucas inquit, Erant perseuerãtes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis. Act. 2. Hic Lucas solius panis meminit. Similiter Act. 20. inquit, Vna autem Sabbathi, cùm conuenissemus ad frangendum panem. Imò Christus, institutor huius sacratissimi Sacramẽti, resurgens ex mortuis sub vna specie tantùm Eucharistiam dedit discipulis euntibus in Emaus, vbi accepit panem, & benedixit, & fregit ac porrigebat illis. Illi autem cognouerunt eum in fractione panis. Luc. 24. Vbi sanè Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus & Beda, quorum aliqui ante multa secula, atque non longè post Apostolorum tempora, affirmant fuisse Eucharistiam. Christus quoque Ioan. 6. perspe meminit solius panis. S. Ignatius, S. Ioan. Euangelistæ discipulus, in Epistola ad Ephes. solius panis in Eucharistiæ communione meminit. Idem fecit Beatus Ambrosius in libro de sacramentis loquens de communicatione laicorum. In concilio Remensi inhibetur laicis, ne deferant Sacramentũ corporis ad infirmos: Et nulla fit ibi speciei vini mentio. Hinc sanè intelligitur viaticum sub vna tantùm specie datum infirmis.

Comprobãt antiqui canones pœnitentiales. Nam Agathense Concilium, Aerumnosum sacerdotẽ trudit in monasterium, & eidem duntaxat laicam communionẽ permittit. Osius in Sardicensi concilio prohibet quibusdam temerarijs, vt nec laicã communionem percipiant, nisi in fine pœniteant. Fuit ergo semper discrimen in ecclesia laicæ communionis sub vna, & Sacerdotalis sub vtraque specie. Hoc pulchrè prædictum fuit in Veteri Testamento de posteris He-

ris Heli. Futurum est (inquit Deus 1. Reg. 2.) vt, quicunque remanserit in domo tua, veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum & tortam panis, dicatq; dimitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem, vt comedam buccellã panis. Hîc clarè ostendit sacra scriptura, posteros Heli, ablato ab eis sacerdotio, petere admitti ad vnam partem sacerdotalem, ad buccellam panis. Sic ergo & nostri laici vna parte Sacerdotali, vna specie cõtenti esse debent. Nam & Romani Pontifices, Cardinalesq; & omnes Episcopi ac sacerdotes extra missam & in extremis pro viatico (vt in concilio Niceno appellatur) sumendo, vna specie contenti sunt: Quod vtiq; non facerent, si putarent vtramq; speciem ad salutem fore necessariam.

Quamquam autem multis olim in ecclesijs vtraq; species laicis data fuerit (nam tunc liberum erat, sub vna aut vtraq; specie communicare) tamẽ propter multa pericula, mos iste dandi vtram que speciem desijt. Pensata enim populi multitudine, vbi sunt senes, iuuenes, tremuli, debiles, inepti, si non adhibeatur magna diligentia, per effusionem liquidi, facilè fieret iniuria sacramento. Pro tanta quoque multitudine populi, difficultas esset, in vase, pro specie vini cautè promenda, quæ & diutius asseruata acesceret, moueret nauseam vel vomitum sumentibus, neque sine periculo effusionis facilè circumferri posset ad infirmos. His & alijs rationibus, haud dubiè spiritus Sancti instinctu permotæ sunt ecclesiæ, in quibus mos fuit, vtramq; speciem laicis dari, vt deinceps vna tantùm daretur: Potissimùm eo attento, quòd integer est Christus sub qualibet specie & non minùs sub vna sumitur specie, quàm duabus. Sicque in Concilio Constantiensi tam honorificè celebrato, decretum extitit. Sic & Synodus Basilienſis legitimè decreuit. Et licet liberum fuit olim, vel vna, vel vtraque specie vti in Eucharistia: Insurgente tamen hæresi, quæ docebat vtramque speciem esse necessariã, Ecclesia sancta, quæ à spiritu Sancto dirigitur, interdixit vtramque speciem laicis. Sic enim solet ecclesia aliquando etiam contrarijs constitutionibus hæreses extinguere: vt, dum orirentur, qui asserebant in solo azymo confici, Ecclesia prȩcepit ad tempus in fermento confici: Dum Nestorius Mariam semper-virginem solùm voluit esse matrem Christi, non matrem DEI, Ecclesia prohibuit eam dici Christotocon. Quare petendum est à Principibus & ciuitatibus, ne hoc schisma in Germaniam, in Imperium Romanum

induci

induci, neque se ab vniuersalis Ecclesiæ consuetudine separari patiantur.

Neque mouent argumenta in hoc Articulo adducta. Nam Christus instituit quidem vtramq; speciem Sacramenti, sed nullibi inuenitur in Euangelio, quòd vtramq; præceperit à laicis sumendam. Etenim quòd ait Matth. 26. Bibite ex hoc omnes, hoc duodecim Apostolis dictum est Sacerdotibus, quod ex Marco liquet, dum ait: Et biberunt ex eo omnes: Quod certè in laicis non est hactenus impletum. Vnde nunquam fuit ille mos per totam Ecclesiam, vt laicis vtraque species daretur, licet is fortasse fuerit apud Corinthios, & Carthaginenses, & aliquas alias Ecclesias.

Quòd verò Gelasium afferunt, c. Comperimus, De Consecratione dis. 2. si intueantur literam, inuenient, quòd de sacerdotibus, non de laicis loquatur Gelasius. Vnde reijciendum, quòd consuetudinem dandi vnam speciem, aiunt esse contra ius diuinum.

Omnium autem maximè reijcienda est appendix Articuli, quòd ob id processio cum Eucharistia negligenda seu omittenda sit, quia Sacramentum diuidatur. Nam ipsimet fide Christiana sciunt, aut saltem scire debent, Christum non esse diuisum, sed integrum sub vtraq; specie: Et nullibi Euangelium prohibere diuisionem specierum Sacramentalium, Id quod in die Parasceues per vniuersam fit Catholicorum Ecclesiam, licet consecratio fiat à celebrante in vtraq; specie, qui & vtramq; sumere debet. Quare admonendi sunt Principes & ciuitates, vt solitam reuerentiam & honorem debitum impendant Christo filio Dei viui, redemtori & glorificatori nostro, domino cœli & terræ, cùm veraciter eum præsentem credant & agnoscant: Id quod à suis progenitoribus, Christianissimis Principibus, religiosissimè norunt obseruatum.

DE

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

QVòd secundo loco memorãt inter abusus cœlibatum Cleri, & quo pacto sacerdotes eorum, vxores ducant, & alios ducere suadeant, res profectò admiratione digna, quòd cœlibatum Sacerdotalem, abusum vocent, cùm potiùs è conuerso, violatio cœlibatus, & illicitus ad coniugium transitus, in sacerdotibus, pessimus abusus dici mereatur.

Etenim sacerdotes nunquam debere vxores ducere, testatur Aurelius in Concilio 2. Carthaginensi, vbi inquit: Quia sic docuerunt Apostoli exemplo, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoq; custodiamus. Et paulò antè talis legitur Canon: Placet, vt Episcopi, Presbyteri & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes ab vxoribus se abstineant. Ex quibus verbis liquet ab Apostolis receptam esse hanc traditionem, non ab Ecclesia nouiter inuentam. Augustinus Aurelium secutus in quæst. vltima Noui & Veteris Testamenti, in hæc sanè verba scribit, & interrogat, si fortè dicatur, si licet & bonum est nubere, cur non licet Sacerdotibus vxores habere? Calixtus Papa, vir sanctus & martyr, constituit ante mille & trecentos annos, ne sacerdotes ducant vxores. Similia leguntur & in sacris Concilijs, Cæsarienſi, Neocæsarienſi, Aphricano, Agathensi, Gerudensi, Meldensi, Aurelianensi: & ita obseruatum fuit à tempore Euangelij & Apostolorum, quòd nunquam licuit constituto in sacerdotio, de iure ducere vxorem.

Verum quidem est, quòd ob ministrorum Dei defectum, in primitiua Ecclesia, coniugati admittebantur ad sacerdotium, vt ex canonibus Apostolorum & Paphnutij responso liquet in Concilio Niceno: Attamen volentes contrahere, tenebantur id facere, ante ordinis subdiaconatus receptionem, vti legitur. c. Si quis eorum, distinct. 32. Hanc consuetudinem primitiuæ Ecclesiæ vsque in hunc diem seruauit & retinuit Græca Ecclesia. Cùm verò per gratiam DEI crescceret Ecclesia, vt ministrorum in Ecclesia nullus esset defectus: Siricius Papa ante annos M. C. XL. procul dubio non sine Spiritu sancto, omnimodam

dam indixit sacerdotibus continentiam c.plurimos,dist.28. Quod Innocentius primus, Leo Magnus, & Gregorius Magnus, pontifices,approbauerunt & confirmauerunt, & in hunc vsque diem lata vbique seruauit.Quibus argumentis liquidum esse existimatur non abusum esse cęlibatum cleri,à tam sanctis patribus,tanto tempore comprobatum,& ab vniuersa ecclesia latina receptum.

Ad hoc Sacerdotes veteris legis, tempore officij & ministerij sui in templo separabantur ab vxoribus: sicut Zacharias tempore vicis suæ,Luc.1.Cùm autem Sacerdos nouæ legis semper debeat esse in ministerio,sequitur semper eum debere continere.

Ampliùs, coniuges non debent se defraudare officio coniugali,nisi ad tempus,1. Cor. 7. vt vacent orationi. Cùm ergò Sacerdos semper debeat orare,semper debet continere. His rationibus vsi sunt Hieronymus, Ambrosius, Augustinus.

Præterea S. Paulus ait,Volo vos sine sollicitudine esse: Qui sine vxore est, sollicitus est quæ DOMINI sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est,sollicitus est quæ sunt mundi,quomodo placeat vxori,& diuisus est.1.Cor.7.Sacerdos igitur,qui iugiter placere debet Deo, fugiat sollicitudinem vxoris, & nō respiciat retrò cum vxore Loth. Gen.19.

Porrò adumbrata fuit sacerdotalis continentia etiam in Veteri Testamēto.Nam Moyses accepturus legem, prȩcepit, vt in diem tertium non appropinquarent vxoribus. Exod. 19. Sacerdotes igitur accepturi legislatorem Christum Dominum & Saluatorem nostrum,multò minùs appropinquare debent vxoribus.

Similiter iussi sunt Sacerdotes portare fœminalia linea,vt operiant carnem turpitudinis suæ,Exod.28. Quod fuit Symbolum futuræ continentiæ in sacerdotibus,ait Beda.

Etiam Abimelech daturus panem benedictum pueris Dauid interrogabat priùs,an mundi essent à mulieribus:Dauid respondit mundos esse ab heri & nudiustertius.1.Reg.21. Ergo semper mundi esse debent,sumentes panem viuum,qui de cœlo descendit.Ioh.6.

Et man-

Et manducantes Pascha præcincti erant renibus. Ex. 12. Quare & Sacerdotes manducantes frequenter Pascha nostrum Christum, cingere conuenit renes per continentiam & munditiam.

Sicut eis imperat Dominus, Mundamini, inquit, qui fertis vasa DOMINI. Iesa. 52. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Leuit. 19.

Seruiant itaque Sacerdotes Deo in sanctitate & iustitia omnibus diebus suis. Luc. 1.

Hinc S. Martyr Cyprianus testatur sibi à DOMINO reuelatum & cum seueritate iniunctum, vt clericos studiosè admoneret, ne cum fœminis commune haberent domicilium. Vnde continentia Sacerdotalis, cùm sit à Concilijs, à Pontificibus præcepta, & à Deo reuelata, proprio voto à Sacerdote Deo promissa, non est reijcienda. Nam hanc exigit Sacrificij, quod tractant, excellentia, orationis frequentia, libertas & puritas spiritus, vt curent, quomodo Deo placeant, iuxta S. Pauli doctrinam.

Et quia constat hanc antiquam fuisse hæresin Iouiniani, quem damnauit Romana Ecclesia, & scriptis conuicit Beatus Hieronymus, & Sanct. Augustinus dixit hanc hæresin confestim esse extinctam, neque peruenisse ad sacerdotum corruptionem: Hanc Sacerdotum corruptionem & abusum Principes tolerare non debent in perpetuam sacri Romani Imperij ignominiam & infamiam: sed conforment se potiùs vniuersali Ecclesiæ, neque moueantur ab ijs, quæ eis suggeruntur.

Nam quòd Paulus inquit 1. Cor. 7. Vnusquisque habeat vxorem propter fornicationem: Respondit Hieronymus, Sanct. Paulum loqui de eo, qui non vouit, sicut Anastasius, aut Vulgarius intelligit illud Sanct. Pauli. Non peccat virgo si nupserit: Virginem hîc dicit, quæ Deo non dicata sit.

Sic ad illud, Melius est nubere quàm vri, acris extat responsio S. Hieronymi contra Iouinianum. Nam ille idem S. Paulus ait: Bonum est homini mulierem non tangere: Habet namque Sacerdos medium, vt neque vratur neque nubat, sed per gratiam Dei con-

tineat, quam oratione deuota & castigatione carnis, ieiunijs & vi-
gilijs à Deo impetret.

Ampliùs, dum aiunt Christum docuisse, Non omnes homi-
nes ad cœlibatum idoneos esse. Hoc quidem verum: Ideoque non
omnes idonei sunt ad sacerdotium. Sed Sacerdos oret, & poterit
capere verbum Christi de continentia, sicut S. Paulus dicit: Omnia
possum in eo, qui me confortat, Philip. 4. Est enim continentia
donum Dei. Sap. 8.

Præterea, cùm prætendatur, hanc esse ordinationem & præ-
ceptum Dei, Gen. 1. respondit ante mille annos in hæc verba Hie-
ronymus: Necesse fuit priùs plantare syluam & crescere, vt esset
quod postea posset excîdi. Præceptum tunc erat de procreatione
prolis, vt repleretur terra: Qua modò repleta, & adeò quidem, vt
sit pressura gentium, non est amodò præceptum volentibus conti-
nere. Vanè prætercà iactant mandatum Dei: Ostendant, si possint,
vbi Deus præceperit sacerdotibus, vt ducant vxores.

Ad hoc reperitur in iure diuino, vt vota semel emissa reddan-
tur. Psal. 40. & 75. Eccl. 5. Quare igitur expressum illud ius diuinum
non obseruant?

Corrumpunt quoque S. Paulum, quasi præcipiat, Episco-
pum eligendum debere esse maritum, cùm S. Paulus dicat, Sit vni-
us vxoris vir: Quod non est intelligendum, quòd debeat esse mari-
tus: Alioqui Martinus, Nicolaus, Titus, Iohānes Euangelista, imò
& Christus non fuissent Episcopi. Quare Hieronymus explicat ver-
ba S. Pauli, quòd Episcopus sit vnius vxoris vir, hoc est, quòd non
sit digamus. Veritas expositionis liquet, non modò ex authorita-
te Hieronymi, quę tamen magna esse debet apud quenque Catho-
licum: Sed ex sancto Paulo quoque, qui de vidua eligenda scribit:
Vidua deligatur, non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius
viri vxor. 1. Tim. 5.

Quòd postremò factum adducūt Germanorum, factum affe-
runt, non ius. Dum enim Imperatori Henrico IIII. contentio esset
cum Romano Pontifice, atque etiam cum filio & proceribus Im-
perij

perij, iura humana & diuina pariter confusa fuerunt: adeò vt laici eo tempore temerè attentarint sacra tractare, sordibus pro sacro oleo vti, baptizare, & multa alia à Christiana religione aliena facere. Simili exorbitantia clerus excessit, quod pro iure iam allegari nequit.

Neque in ciuile fuit, sacrilega dirimere matrimonia, quæ cõtra vota, contra sanctiones Patrum, & Conciliorum, nulliter fuerũt contracta. Quemadmodum & hodie sacerdotum non sunt rata matrimonia cum prætensis eorum vxoribus. Frustra ergò quæruntur mundum senescere, & remedium imbecillitati laxandum: Nam Deo consecrati alia habent imbecillitatis remedia, vtpote fœminarum consortia deuitent, ocia fugiant, ieiunijs & vigilijs carnem macerent, prohibeant sensus externos ab illicitis, & præcipuè visum & auditum: oculos quidem, ne videant vanitatem, paruulos denique, id est, carnales cogitationes, allidant ad petram, Petra autem Christus est: affectus reprimant, Deum frequenter & deuotè orationibus pulsent. Hæc proculdubio sunt potentissima continentiæ remedia, in Ecclesiasticis viris, & Deo seruientibus.

S. Paulus rectè dæmoniorum doctrinam dixit eorum, qui nuptias prohibent, quales fuerunt Tatianus, & Martion, hæretici, quorum Augustinus & Hieronymus meminerunt. Sed adeo non prohibet Ecclesia nuptias, vt etiam matrimonium inter septem sacramenta connumeret. Cum quo sanè stat, vt ob excellens ministerium, Ecclesiasticis excellentiorem præcipiat munditiem. Falsum enim est, esse mandatum Dei de contrahendo. Alioqui peccassent Ioannes Euangelista, S. Iacobus, S. Laurentius, Titus, Martinus, Catharina, Barbara, &c.

Nec Cyprianus ab eis inductus loquitur de virgine, quæ solenne votum fecerat, sed de ea, quæ decreuerat continenter viuere: vt initium Epistolæ 2. lib. 1. satis indicat. Certissima enim est S. Augustini sententia: Virginibus vouentibus, non solùm nubere, sed & velle nubere, damnabile est. Vnde abusus matrimonij & votifragium in clero tolerandum non est.

DE MISSA.

QVicquid in hoc Articulo ponitur de Sacratissimo Missæ officio, quod Sanctæ Romanæ & Apostolicæ conuenit Ecclesiæ, approbatur. Quicquid autem adijcitur, quod communis & vniuersalis Ecclesiæ orthodoxæ observationi contrarium est, reijcitur, quia Deum grauiter offendit, Christianam vnitatem lædit, ac dissensiones, tumultus ac seditiones in sacro Rom. Imperio suscitat.

Nam ad ea, quæ in articulo proponũt, primò displicet, quòd contra totius Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, ritus Ecclesiasticos, non Romana, sed Alemanica peraguntur lingua, & hoc prætendunt, S. Pauli authoritate se facere, qui præceperit in Ecclesia vtendum lingua à populo intellecta. 1. Cor. 14. Sed si esset ea verborum intelligentia, iam cogeret eos, totam Missam in Alemanico perficere, quod tamen ipsimet non faciunt. At cùm Sacerdos sit persona communis totius Ecclesiæ, non solùm circumstantium: ideo non mirum, quòd Sacerdos latinè in latina celebrat Ecclesia. Proficit autem auditori, si in fide Ecclesiæ audit Missam: & experientia docet, maiorem fuisse apud Germanos Christi fidelium, latinam linguam non intelligentium, sub Missa deuotionem, quàm sit hodie eorum, qui in Teutonico Missam audiunt. Et si Apostoli verba pensentur, sufficit aliquem respondentem supplere locum idiotæ, qui dicat Amen. Id quod Canones etiam præscribunt. Neq; necessarium est, vt omnia verba Missæ audiat, vel intelligat, aut etiam intelligens semper attendat. Præstat enim intelligere & attendere finem, quia Missa celebratur, vt Eucharistia offeratur in memoriam passionis Christi. Et ad hoc facit, quòd communi sententia Patrum Apostoli, & eorum successores, vsque ad tempora Adriani Imperatoris, in sola lingua Hebræa Missam celebrarunt: quæ profectò ignota erat Christianis, præsertim gentibus conuersis. Quòd si etiam lingua populo intellecta in primitiua Ecclesia Missa fuisset habita, modò tamen illud non est necessarium: Nam quotidie multi conuertebantur ceremoniarum ignari & mysteriorum insci. Vnde profuit eis aliquando intelligere verba officij. At modò

Catho-

Catholici ab incunabulis imbibunt consuetudines moresque Ecclesiæ: vnde facilè norunt, quid quolibet tempore in Ecclesia agendum sit.

Quòd autem conqueruntur de abusibus Missarum, Nemo est eorum, qui rectè sentiunt, qui abusus sublatos esse, non percupiat: Verùm vt altari seruientes de altari viuant non est abusus, sed hoc iuris est diuini pariter & humani. Quis enim vnquam militat proprijs stipendijs? ait Paulus, Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, de sacrario edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant. 1. Corinth. 9. Et Christus ait: Dignus est operarius mercede sua. Luc. 10.

Sed super omnia reprehensione dignum est, quòd Missæ priuatæ in quibusdam locis desierunt, quasi illæ fixos habentes reditus & certos, non minùs quæstum quærerent, quàm illæ publicæ. At hac abrogatione Missarum, cultus Dei minuitur, sanctis subtrahitur honor, vltima voluntas fundatorum corruit & irrita fit, defuncti debitis spoliantur suffragijs, & viuorum deuotio aufertur & frigescit. Quare Missarum priuatarum abrogatio admitti ac tolerari non potest.

Neque satis intelligi potest, quod assumitur, Christum sua passione satisfeciisse pro peccato originis, & instituisse Missam pro actualibus. Nam hoc nunquam auditum est à Catholicis, iamque rogati plerique constantissimè negant ab eis sic doceri. Non enim Missa delet peccata, quæ per pœnitentiam velut peculiarem medicinam sanantur, sed delet pœnam pro peccato debitam, satisfactiones supplet, & gratiæ confert augmentum, ac salutarem viuorum protectionem. Postremò quibuscunque indigentijs nostris & necessitatibus spem affert consolationis & adiutorij diuini.

Quòd iterum insinuant, in Missa Christum non offerri: velut ab antiquo damnatum, & à fidelibus explosum, omninò reijciendum est. Hæc enim antiquissima hæresis fuit Arrianorum, ait Augustinus, qui negabant in Missa oblationem fieri pro viuis & mortuis.

tuis. Hoc enim & sacris literis & toti Ecclesiæ Catholicæ refragatur. Nam prædixit Dominus per Malachiam Iudæorum abiectionem, vocationem gentium, & Euangelicæ legis sacrificium. Non est, inquit, mihi voluntas in vobis, nec munus accipiam de manu vestra. A solis enim ortu vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Malach. 1.

Nulla est autem oblatio munda in omni loco iam Deo oblata, quàm Eucharistia mundissima, in altaris sacrificio. Hac authoritate S. Augustinus & alij Catholici vsi sunt promissa contra pertidos Iudæos: Quæ certè plus debet valere apud Catholicos Principes, quàm omnes aduersariorum obiectiones.

Præterea idem Propheta, cùm loquitur de aduentu Messiæ, ait: Et purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & argentum, & erunt DOMINO offerentes sacrificia in iustitia, & placebit DOMINO sacrificium Iuda & Ierusalem, sicut dies seculi & anni antiqui. Malach. 3. Hîc in spiritu præuidit Propheta filios Leui, hoc est, Euangelicos Sacerdotes, dicit Hieronymus, oblaturos sacrificia, non in sanguine hircorum, sed in iustitia. Vnde eo spiritu, quo illa verba à Propheta fuerunt scripta, eodem sunt in Canone Missæ ab Ecclesia repetita.

Danieli quoque dixit Angelus, Eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi, & impiè agent omnes impij: Neque intelligent omnes impij: Porro docti intelligent, & à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti, nonaginta. Daniel. 12. Hanc prophetiam esse implendam, nondum tamen impletam, testatur Christus Matth. 24. Iuge ergo sacrificium Christianorum, in aduentu abominationis, id est, Antichristi cessabit vniuersaliter, sicut iam in aliquibus Ecclesijs cessat particulariter: & sic sedebit in loco desolationis, quando videlicet Ecclesiæ erunt desolatæ, in quibus non cantabuntur Horæ Canonicæ, missæ non celebrabuntur, nulla dispensabuntur Sacramenta, nulla erunt altaria, nullæ sanctorum imagines, nullæ candelæ, nullus ornatus. Horum proin-

ri proinde oportet omnes Principes ac fideles Romano Imperio subiectos, ne vnquam aliquid admittant aut omittant, quo viam tantæ impietati Antichristi præparent, quando vniuersalis, hoc est, Ecclesia Catholica, velut S. Iohannes in spiritu vidit, fugiet in solitudinem, vbi habebit locum paratum à Deo, vt ibi eam pascat diebus mille ducentis sexaginta. Apocal. 12.

Postremò Sanct. Paulus inquit ad Hebr. 3. Omnis Pontifex ex hominibus assumtus pro hominibus cōstituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Cùm autem pontificatus externus non cessauerit in noua lege, sed mutatus sit in meliorem: Ergo & hodie Pontifex & totum Sacerdotium offeret in Ecclesia sacrificium externum, quod non est nisi vnum, Eucharistia.

Huic loco seruire & accommodari potest, quod in Actis Apostolorum legitur in cap. 13. iuxta nouam translationem, Barnabas, Simon, Lucius Cyrenæus, Manaches & Saulus sacrificauerunt, hoc est, obtulerunt. quod non de oblatione idolis facta, verùm de Missa, cùm Græcis Liturgia vocetur, potest ac debet meritò intelligi.

Et Missam fuisse sacrificium in primitiua Ecclesia abundè attestantur, & huic sententiæ suffragantur S. Patres: Ignatius enim, S. Iohannis Apostoli discipulus, inquit, Non licet sine Episcopo, neque sacrificium immolare, neque Missas celebrare. Et Irenæus discipulus discipuli Iohannis Euang. testatur, Christum noui Testamenti nouam docuisse oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo. Hic antistes vicinus Apostolorum temporibus nouum testatur sacrificium Euangelicum p vniuersum orbem oblatum. Idem Origenes, Cyprianus, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Basilius, Hilarius, &c. docent & testantur, quorum verba breuitatis gratia omittuntur. Quia igitur semper Ecclesia Catholica, ab Apostolorum tempore, per vniuersum orbem Christianum sic docuit, tenuit, ac obseruauit, sicut hodie tenet & obseruat: Ideo hoc idem irrefragabiliter vbique teneri & obseruari debet.

Quare admonendi sunt, cùm confessio integra nedum sit ad salutem necessaria, sed etiam neruus existat Christianæ disciplinæ, & totius quoque obedientiæ: vt Ecclesiæ orthodoxæ se conforment. Nam, Hieronymo teste, hæresis illa fuit Montanorum, qui ante mille ducentos & plures annos damnati fuerunt, propterea quòd erubescebant confiteri peccata sua. Non decet itaque Montani sequi errorem, sed potiùs sanctorum Patrum, atque totius Ecclesiæ Catholicæ ritum, vt ad normam fidei orthodoxæ vnusquisque in omnibus dominijs suis præcipiat confessionem, preciosissimum in Ecclesia Dei thesaurum, fieri iuxta ritum in Ecclesia etiam apud eos seruatum.

DE DISCRIMINE CIBORVM.

QVæ postmodum afferunt de delectu ciborum & similibus traditionibus, quas nihili facere videntur: reijciendum est. Scimus enim ex Apostolo, quòd omnis potestas est à Deo, & præcipuè potestas Ecclesiastica est data à Deo in ædificationem: ideo à Christiano & Ecclesiæ sanctæ deuoto pectore, eiusdem sanctæ & Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ constitutiones recipiendæ sunt: quæ vtiles sunt Ecclesiæ, tam in cultu diuino augendo, quàm in concupiscentijs carnis coërcenda, cùm expeditiores faciant ad diuina præceptaseruanda, & in sacris literis inueniantur consultæ. Et qui eas contemnit, aut temere eis resistit, Deum grauiter offendit, iuxta vocem Christi dicentis, Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, & qui me spernit, spernit eum qui me misit. Luc. 10. capit. Spernitur autem prælatus, cùm statuta eius contemnuntur: & iuxta S. Paulum dicentem, Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit spiritum sanctum in vobis. 1. Thessal. 4. Et dum ad Episcopos inquit: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. Actor. 20. Si ergo Prælati habent potestatem regendi, habebunt & potestatem statuta faciendi pro salutari regimine Ecclesiæ & subditorum

torum incremento. Præcepit enim idem Apostolus Corinthijs, vt omnia secundum ordinem fiant, in eis. 1. Corinth. 14. At hoc sine legibus nequit fieri. Idcirco Hebræis dixit, Obedite præpositis vestris, Hebr. 13. Hîc Sanct. Paulus non solùm obedientiam, sed & causam obedientiæ assignat. Videmus Sanct. Paulum vsum esse hac potestate, qui tam multas leges præter Euangelium dedit, de eligendo Episcopo, de viduis, de mulieribus, vt velato sint capite, vt in Ecclesia taceant, & de rebus etiam prophanis. 1. Thess. 4. de secularibus iudicijs. 1. Corinth. 6. & apertissimè ad Corinth. inquit: Nam cæteris dico ego, non Dominus. 1. Corinth. 7. Item alibi inquit, State & tenete traditiones, quas didicistis, siue per Epistolam nostram, siue per sermonem. 2. Thess. 2. Quare admonendi sunt Principes & ciuitates, vt obedientiam Ecclesiasticis statutis & constitutionibus præstent & exhibeant, ne, cùm Deo debitam subtrahant obedientiam, à subditis quoque ipsorum debita eis obedientia subtrahatur, vti in proxima seditione populari, facere subditi nitebantur: neque patiantur se falsis seduci dogmatibus.

Falsissimum quoque est, quod dicunt, Iustitiam fidei obscuratam esse huiusmodi constitutionibus. Quinimo demens esset & insanus, qui sine fide eas obseruaret. Nam fidelibus dantur, non Turcis, aut Agarenis. Quid enim mihi de his, quæ foris sunt? ait Sanct. Paulus. 1. Corinth. 5. Quòd autem hîc fidem super omnia extollunt, Sanct. Paulo aduersantur, vt & superiùs diximus, & Sanct. Paulum lacerant. Qui cùm de operibus legalibus loquatur, ipsi ad opera Euangelica detorquent: vt superius omnia illa errata fuerunt disiecta.

Falsum est etiam, constitutiones Ecclesiæ obscurare præcepta Dei, cùm ad illa homini expediant, sicut ieiunia concupiscentiam carnis reprimunt & adimunt, ne in luxuriam cadat.

Falsum est etiam, impossibile esse constitutiones seruare, non enim crudelis est mater Ecclesia, quæ politicam non excipiat necessitatem, in festos dies celebrando, in ieiunando & similibus.

Insuper

Insuper falsò citant Augustinum ad inquisitionem Ianuarij, qui ex diametro cum eis pugnat: Nam apertissimè diffinit eo loco vniuersaliter ab Ecclesia tradita, vniuersaliter quoque obseruanda esse: Indifferentia autem & quæ libera sunt, licere seruare, & non seruare. Diffinit Sanct. Pater Augustinus, & Beatus Ambrosius, cuiusque Ecclesiæ morem seruandum esse, cùm Romam, inquit, venio, ieiuno sabbato: cùm hic sum, non ieiuno.

Vim præterea scripturis faciunt, dum errata roborare nitun tur, Nam Christus Matth. 15. non simpliciter improbat constitutiones humanas, sed illas duntaxat, quæ aduersabātur Legi Dei: quod clarè ex Marco. 7. agnoscitur. Et hic Matth. 15. Quare & vos, inquit, transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram, Deus irritum fecistis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis. Sic Paulus Coloss. 2. prohibet quemque iudicare in cibo, potu, sabbato, &c. more Iudaico. Nam Ecclesia non iudicat carnes esse immundas quando prohibet, sicut Iudæi in Synagoga arbitrabantur.

Sic verbum Christi, de intrante per os, sine vera intelligentia huc affertur, cùm intentio eius fuerit, Iudæorum tollere errorem, qui existimabant cibos, non lotis manibus tactos, fieri immundos, & eos comedentem fieri immundum, vt ex circumstantia literæ est manifestum. Neque Ecclesia his constitutionibus Mosen habentem graues manus reducit.

Eodem modo Sanct. Paulum lacerant. Nam 1. Timoth. 4. doctrinam dæmoniorum vocat prohibentem cibos, vti Tatiani, Marcionitæ & Manichæi existimabant cibos esse immundos, vt ex verbis sequentibus liquet, cùm S. Paulus subdit, Omnis Creatura Dei bona est. Ecclesia autem non prohibet cibos, quia malos & immundos iudicet, Sed pro expeditiori via ad mandata Dei seruanda. Cadunt ergò argumenta contraria.

Si verò crucem prædicarent & corporalem disciplinam, & ieiunia, vt eo modo corpus in seruitutem redigatur: placeret hîc doctrina eorum, sed quòd ista volunt esse libera, damna-

tur

tur & reijcitur tanquam à fide & disciplina Ecclesiastica alienum. Nec suffragatur eis diuersitas rituum: Nam illa in specialibus benè admittitur, vt vnaquæque prouincia suo sensu abundet, velut Hieronymus inquit. At vniuersales ritus Ecclesiæ vniuersaliter seruari debent, & speciales in suis quibusq; prouincijs.

Et nihil est, quod de Paschate afferunt: Nam Rom. Pontifices tandem Asianos in vniformem Paschatis obseruantiam cum vniuersali Ecclesia reduxerunt. Eodem modo intelligendus est Irenæus, Nam sine fidei iactura, per Galliam, aliquæ Apostolorum vigiliæ non celebrantur ieiunio: Quas tamen Germania in ieiunijs obseruat.

Admonendi quoque sunt Principes & ciuitates, vt Gregorij Papæ sententiam sequantur. Nam is præcipit, vniuscuiusque prouinciæ seruandam consuetudinem, si nihil vsurpet contra fidem Catholicam. c. Quoniam consuetudinem, distinct. 12. Vnde non ignoramus, rituum dissimilium, in vnitate fidei variam obseruantiam, quæ in qualibet prouincia obseruari debet, vt ab antiquis tradita & recepta est, Sine tamen vniuersalium rituum totius Ecclesiæ Catholicæ iniuria.

DE VOTIS MONASTICIS.

QVamuis multa atque varia ex aliquorum suggestione in hoc articulo afferantur, omnibus tamen maturo consilio perpensis, cùm vota monastica fundata sint in sacris literis, noui & veteris Testamenti: atque sanctissimi viri miraculis clari, atque vita admirabiles in his religionibus, cum multis millenis millibus vixerint: Atque à tot seculis, per vniuersum orbem Christianum à Catholica recepta fuerint Ecclesia, & approbata eorum viuendi instituta & regulæ, nullo pacto tolerandum est, quòd vota licentiosè sine omni timore Dei soluantur.

In

In Veteri enim Testamento approbauit Deus vota Nazaræorum Numer.6.vota Rechabitarum, qui non biberunt vinum, nec comedebant vuas. Ier.36.

Omninò autem exigit Deus votum semel emissum reddi, Deut.23. Quòd si quis post vota retractat, ruina est illi. Prouerb.20. Vota verò iustorum placabilia. Prouerb.15.

Deus præterea per Prophetam specialiter docet, vota Monastica sibi placere. Esaiæ enim 56.ita legitur: Hæc dicit DOMINVS Eunuchis, qui custodierunt sabbata mea,& elegerunt quæ ego volo, & tenuerunt fœdus meum, Dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filijs & filiabus, Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Quibus verò Eunuchis promittit illa Deus? Illis vtique, quos Christus laudat, qui sejpsos castrant propter regnum cœlorum, Matth.19. Illis vtique, qui abnegata propria voluntate, veniunt post crucem, & abnegant semetipsos, & tollunt quotidie crucem suam, & sequuntur eum, Luc.9 Vt non iam suo, sed Regulæ ac superioris sui regantur arbitrio.

Melius itidem, testante Apostolo, faciunt virgines, quæ, cõtemto mundo, spretisque illecebris, virginitatem in Monasterijs vouent & seruant, quàm quæ oneri matrimoniali colla subdunt. Ita enim ait Sanct.Paulus.1.Corinth. 7. Qui matrimonio iungit virginem suam, b enè facit, & qui non iungit, meliùs facit. Item de vidua sequitur: Beatior erit, si permanserit secundum consilium meum.

Nemo est qui ignoret sanctitatem Pauli Eremitæ, Basilij, Antonij, Benedicti, Bernhardi, Dominici, Francisci, Vuilhelmi, Augustini, Claræ, Brigittæ, & similium Eremitarum: Qui sanè omnes regnum mundi, & omnem ornatum seculi contemserunt propter amorem domini nostri Iesu Christi.

Damnata verò fuit etiam antiquissimis temporibus hæresis Lampertianorum, quam Iouinianus hæreticus Romæ resuscitare frustra

frustra conatus est. Quamobrem reijcienda sunt omnia, quæ in hoc articulo contra monasticen producta sunt, nempe quòd libera fuerint collegia tempore Augustini, quòd vota superaddita sint monasterijs, cùm contrarius potius fuerit ordo, vt Monasteria superuenerint votis.

De Monasterijs virginum, licet imbecillioris sexus, satis cõpertum est, quomodo sanctæ moniales longè constantiores in votis semel emissis perseuerauerint, in plerisque monasterijs, & iam sub Principibus & ciuitatibus istis, quam plerique monachi fecerunt. In hunc vsque diem, nullis precibus, blandicijs, minis, terroribus, angustijs aut pressuris potuerunt à sancto suo proposito auocari.

Quare admittenda non sunt, quæ hîc in sinistram partem interpretantur, quum sacris literis sit expressum, Monasticam vitam debita obseruatione custoditam, quam per gratiam Dei quilibet Monastici custodire possunt, mereri vitam æternam, & quidem multò auctiorem. Christus enim hæc eis promisit, Qui reliquerit domum aut fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Matth. 19.

Quòd monasteria olim fuerint Scholæ literarum, non negatur, neque ignoratur tamen ea fuisse primum scholas virtutum & disciplinæ, quibus literæ postea accesserint.

Cùm autem nemo apponens manum ad aratrum & retrospiciens, aptus sit regno cœlorum, Luc. 9. pro damnatis haberi debent, iuxta tenorem tum Scripturæ sacræ, tum legum quoque & Canonum, omnia matrimonia & votifragia monachorum & monialium, qui primam fidem irritam fecerunt, habentes damnationem, vt ait S. Paulus 1. ad Tim. 5. Vota verò non esse contra ordinationem Dei, circa secundum prætensorum abusuum articulum, declaratum est.

Quòd se dispensationibus tueri conantur: hoc nihil quemque mouet. Nam licet Papa dispensauerit fortè cum rege Aragoniæ, quem suscepta prole, ad Monasterium redijsse legimus,

aut

aut cum quouis alio Principe, propter pacem totius regni, prouin ciæ, &c. ne bellis, cædibus, rapinis, stupris, incendijs & homici. dijs, totum regnum aut prouincia exponeretur: In priuatis tamen personis, quæ vota Apostaticè relinquunt, tales causæ dispensatio num veræ obtrudi non possunt.

Repellitur etiam, quod assumitur, votum esse in re impossibi. li: Nam continentia non est impossibilis, quam tot millia virorum & virginum obseruauere. Quanquam enim Sapiens inquit, Scio quòd non possum esse continens, nisi Deus dederit: Christus ta. men dare promisit, Petite, inquit, & accipietis. Luc. 11. Matthæi 18. Et Sanct. Paulus, Fidelis est Deus, inquit, qui non patietur vos ten. tari supra id, quod potestis: Sed faciet cum tentatione prouētum, vt possitis sustinere. 1. Cor. 10.

Malè etiam causam suam muniunt, cùm voti violationem re. prehensibilem esse admittunt, declarandumque est, Ea matrimo. nia iure esse improbata & dirimenda. c. Continentiæ. 27. quæstio. 1. atque etiam antiquis Imperatorum legibus. Cùm verò pro se ad. ducunt c. Nuptiarum, nihil efficiunt. Illud enim loquitur de voto simplici, non solenni: quod in hunc quoque diem obseruat Eccle. sia. Nunquam ergo rata fuerunt Monachorum, monialium aut sa. cerdotum coniugia.

Cassatur quoque quòd aiunt, vitam votariam esse inuentum hominum. Nam in sacris literis est fundata, à Spiritu sancto religio sis patribus inspirata. Neque detrahit honori Christi, quoniam monastici omnia propter Christum obseruant, & Christum imi. tantur.

Falsa est ergo sententia, qua cultum monasticum damnant vt impium, qui est Christianissimus. Non enim euacuantur mona. stici à gratia Dei, sicut Iudæi, de quibus Sanct. Paulus loquitur Gal. 5. Qui iustificationem adhuc in lege Moisi quærebant: sed mona. stici contendunt propiùs secundum Euangelium viuere, vt me. reantur vitam æternam. Quare impia sunt, quæ hîc contra mona. sticen allegantur.

Quòd autem odiosiùs opponitur, quòd religiosi sint in statu perfectio.

perfectionis: ita ab eis nunquam auditum est. Religiosi enim non sibi arrogant perfectionem, sed statum perfectionis acquirendæ, quia eorum instituta sunt instrumenta perfectionis, non ipsa perfectio. Et hoc pacto accipiendus est Gerson, qui non negat religiones status esse perfectionis acquirendæ, vt declarat in tractatu contra proprietarios. Regulæ S. Augustini, in tractatu de consilijs Euangelicis, in Tractatu de perfectione cordis & alijs locis. Eapropter admonendi sunt Principes & ciuitates, vt potiùs contententur, quòd per legitimos superiores reformentur monasteria & nõ euertantur: plus piè corrigantur Monachi, quam quòd deleantur. Id quod etiam religiosissimi eorum progenitores Christianissimi Principes fecerunt, quòd, si sanctis & religiosissimis patribus, vota Monastica asserentibus, credere nolint: audiant Imperialem Celsitudinem, Imperatorem scilicet Iustinianum in Authẽtica de Monachis. Coll. 1.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

QVamquam multa hîc intricantur de potestate Ecclesiastica, etiam odiosiùs quàm par sit: declarandum tamen est, vt Reuerendissimis Episcopis & sacerdotibus, ac toti clero, omnis potestas Ecclesiastica liberè permittatur, quæ eis de iure, aut consuetudine competit. Ad hæc, omnes immunitates, priuilegia, eminentias, ac prærogatiuas à diuinis Imperatoribus & Regibus Romanis eis concessas, eis obseruare conuenit: Neque tolerandum, vt, quæ Imperiali munificentia aut largitione Ecclesiasticis sunt concessa, per vllos Principes aut quemcunque alium, Romano Imperio subiectum, infringantur.

Nam sufficientissimè probatur, potestatem Ecclesiasticam in spiritualibus esse iure diuino fundatam: de qua sanè Sanct. Paulus inquit, Nam etsi ampliùs gloriatus fuero de potestate nostra, quã dedit nobis dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram 2. Corinth. 10. Et sequitur: Ideo enim hæc absens scribo,

vt non præsens duriùs agam, secundum potestatem, quam dedit mihi dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram 2.Corinth.3.

Idem etiam Sanct. Paulus coërcitiuam ostendit iurisdictionem, cùm ait: Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu lenitatis? 1.Cor.4. Vt de iudicialibus ad Tim. scribit: Aduersus presbyterum accusationem noli accipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. 1.Timoth.5. Ex quibus satis apertè dignoscitur, Episcopos non solùm habere potestatem ministerij verbi Dei, sed etiam potestatem regiminis & coërcitiuæ correctionis, ad dirigendum subditos in finem beatitudinis æternæ.

Ad potestatem autem regiminis requiruntur, potestas iudicandi, diffiniendi, discernendi & statuendi ea, quæ ad præfatum finem expediunt aut conducunt. Irrita igitur & cassa sunt omnia, quæ in præsenti Articulo contra immunitatem Ecclesiarum & sacerdotum inferuntur.

Quare prohibendum vniuersis Romano Imperio subiectis, ne clerum contra concessa priuilegia Imperialia, ad Tribunal seculare pertrahant. Nam sic Clemens Papa & martyr inquit: Si qui ex presbyteris habent negotia inter se, apud cognitores seculi non iudicentur, sed apud presbyteros Ecclesiæ, quicquid est, dirimatur. Vnde neque Constantinus Magnus, Christianissimus Imperator, in sacro Concilio Niceno, etiam in causis prophanis voluit Episcopos iudicare: Vos Dij estis, inquit, à Deo verè constituti. Ite, & inter vos causam disponite, quia dignum non est, vt nos iudicemus Deos. Ampliùs quod reperitur de constitutionibus Ecclesiæ, superius satis responsum est.

Neque proderit eis Libertas Christiana, quam prætendunt, cùm ista nõ sit libertas, sed prodigiosa licentia, quæ plebi inculcata eos ad exitialem atque periculosissimam excitat seditionem. Libertas enim Christiana non opponitur Ecclesiasticis consuetudinibus, cùm promoueant bonum: sed opponitur seruituti legis Mosaicæ & seruituti peccati: Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati, ait Christus Iohan.8. Vnde, qui soluunt ieiunia, liberè

berè comedunt carnes, negligunt Horas canonicas, non confitentur tempore Paschæ, & similia faciunt vel omittunt: Hoc non est vti libertate, sed abuti, contra S. Pauli monita, qui eos attentè præmonuit, dicens, Vos in libertatem vocati estis, fratres, tantùm ne libertatem detis in occasionem carnis, sed per charitatem Spiritus seruite inuicem. Gal. 5. Vnde nullus sua crimina velare debet sub prætextu libertatis Euangelicæ. Quod & S. Petrus prohibuit, Quasi liberi & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei, 1. Pet. 2.

Quod autem de abusibus astruxerunt: haud dubiè norunt Principes omnes & status Imperij, neque à Cæsarea Maiestate, neque vllis à Principibus, & Christiano aliquo homine, vel minimum abusum probari, sed optare omnes, vt tum Principes, tum status Imperij, communi concilio ac consensu adnitantur, vt sublatis abusibus & emendatis, vtriusque status excessus aut penitus aboleantur, aut in melius reformentur. Ac tandem Ecclesiasticus status multis modis labefactatus, ac Christiana religio, quæ in nonnullis refriguit & remissa est, ad pristinum decus & ornamentum restituatur & redintegretur. Qua in re Cæsarea Maiestas, vt omnibus constat, hactenus plurimum & laboris & curæ insumsit, & in reliquum ad hoc negocij, & omnem suam operam ac studium seriò collaturam benignè pollicetur.

Ex quibus quidem, Confessione ac Responsione, cùm Cæs. M. agnoscat, ipsos, Electorem, Principes, ac ciuitates, in multis cum Ecclesia Catholica & Romana conuenire, & ab impijs dogmatibus, quæ vulgò per Germaniam disseminantur in libellis, qui passim circumferuntur, dissentire, eosque explodere ac damnare: indubitanter Cæsarea Maiestas sibi persuadet, & sperat futurum, vt Electores, Principes & ciuitates, audita & intellecta hac responsione, in cæteris quoque rebus, quibus hactenus fortasse cum Ecclesia Romana Catholica, non consensere in posterum concordibus animis consentiant. Atq; in præmemoratis etiam alijs omnibus rebus S. Catholicæ & Rom. Ecclesiæ & fidei Christianæ ac religioni, qualis hactenus cõmunis Christianitatis cõsensu obseruata fuit, se cõformaturos obediẽter & parituros, q eorũ factũ C. M. in primis gratũ habebit, & sua singulari benignitate eos communiter

omnes & oblata occasione sigillatim prosequetur. Nam, quod lõ-
gè absit, si locus non esset futurus huic Christianæ ac tam clemen-
ti admonitioni: existimare possunt Elector, Principes & ciuitates,
causam M. suæ Cæs. necessariam præberi, se, vt decet Imperatorem
Rom. & Christianum Cæsarem, defensoremque & aduocatum Ec-
clesiæ Catholicæ ac Christianæ, quemadmodum flagitat
ratio muneris sibi iuncti, & integritas con-
scientiæ, huiusmodi rebus prouide-
re oportere.

Hac

Hac confutatione prælecta, Palatinus Fridericus, Electori Saxoniæ, eiuſque coniunctis Principibus ac ciuitatibus, nomine Cæſareæ Maieſtatis, porrò ſignificauit:

Cùm Cæſarea Maieſtas propoſitum ſcriptum attentè conſideratum eiuſmodi comperiat eſſe, quod Chriſtianum ſit, & nullo modo impugnari & infringi poſſit: Cæſarea Maieſtatis clementiſſima voluntas eſt, vt Elector Saxoniæ, & cæteri Principes ac ciuitates cõiuncta, huic ſcripto de Catholica & ſacroſancta fide noſtra piè compoſito vnà cum concionatoribus ſuis, vnanimi cum Catholica Eccleſia conſenſu ſubſcribant. Quod ipſum etiam Cæſarea ipſius Maieſtas certò futurum ſibi perſuadet, & in hac ſpe concepta firmiter acquieſcit.

Ad hæc Elector Saxoniæ, Principes & ciuitates coniunctæ, reſponderunt, ſe, quantum in hac feſtinatione prælectionis licuiſſet, intellexiſſe, exhibitos à ſe paulò antè Confeſſionis ſuę Articulos conari eos, qui ſcriptum prælectum congeſſiſſent, teſtimonijs Scripturæ & ſanctorum Patrum ac Conciliorum & iurium allegationibus refutare. Quare in hac longè maxima cauſa, ad ſalutem vel perniciem animarum æternam pertinente, neceſſarium eſſe, vt aut illud ipſum ſcriptum, aut eius tranſſumtum videant, & accurata meditatione exhibita expendant, an articuli illi, allegatis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs fundamentaliter refutati ſint, & qua ratione dicta Patrum, & nominata Concilia ijs ſint oppoſita. Nam in confeſſo eſſe, certam ac peculiarem regulam, omnes qui ipſius Cæſareæ Maieſtati, & illius maioribus, ſcripta iura interpretarentur, ſemper ſequi: Quòd non vlterius ipſorum ſententijs & conſilijs fides habenda ſit, quàm iura ab eis allegata, ipſorum intentionem fundarent. Multò magis igitur neceſſarium eſſe, vt Elector & cum eo coniuncti propoſitum ſcriptum videant, & accuratè ac diligenter conſiderent, quomodo Scriptura ac Patrum dicta & Concilia in eo citata tractentur.

Deinde Cæſareæ Maieſtatis literas Indictionis horum Comitiorum, manifeſtè polliceri, vtriuſque partis ſententias audiri, & amicam de ijs collationem inſtitui debere, vt, quid non rectè allegatum aut explicatum eſſet, in vtraque parte cognoſceretur. Neceſſe igitur eſſe, vt alteri partium, alterius partis fundamenta & ſententiæ patefiant & exhibeantur. Iam verò ijs, quibus à Cæſarea Maieſtate, Electoris ac ipſius ſociorum confeſſio examinanda tradita eſſet, æquè fuiſſe quàm ipſis difficile futurum, vt cauſam totam ex

nuda recitatione integrè cognoscerent, nisi confessio, postquam prælecta esset, Cæsareæ Maiestati exhibita fuisset.

Scire etiam Cæsaream Maiestatem & assessores illius Electores, & Regiam Dignitatem Vngariæ ac Bohemiæ, & cæteros Principes atque ordines Imperij, hoc ipsum in multò leuioribus controuersijs forensibus neminem negari, sed copiã productã, cum competenti termino deliberandi, decerni.

Ideoque Electorem, Principes, & ciuitates coniunctas supplices rogare, vt Cæsarea Maiestas propter has enumeratas & similes grauissimas circumstantias ac rationes propositi negotij, clementer ipsis scripti confutationem continentis, aut eius saltem exemplaris potestatem faciat. Se deinceps, & Principes, ac reliquos coniunctos, eo scripto diligenter perlecto & attentè considerato, Cæsareæ Maiestati piè de sua sententia responsuros esse.

Post hanc Electoris Saxoniæ & coniunctorum Principum ac Ciuitatum nomine indicatam petitionem, Cæsarea Maiestas, ad se conuocatis Electoribus, & Rege Vngariæ, ac cæteris Principibus, longa deliberatione habita, tandem per Palatinum Friderici cum respondit: cùm dies iam pene elapsa sit, Cæsaream Maiestatem de proposita petitione accuratiùs cogitaturam, & quando eius Maiestati commodum videretur, ipsos denuò vocaturam, & de sua sententia, quod iustum & æquum videretur, responsuram esse.

RESPON-

RESPONSIO CAESAREAE MAIESTATIS AD PETITIONEM ELECTORIS SAXONIAE ET SOCIORVM de Confutationis prælectæ copia sibi exhibenda.

IMperatoria Maiestas, Dominus noster clementissimus, ad Electoris Saxoniæ & cæterorum Principum, ac duarum ciuitatum petitionem, prolixè per ipsos viua voce propositam, ita decreuit: Vt omnibus innotescat, Cæs. M. mentem ac voluntatem non aliam esse, quàm, vt hoc ipsum, quod publicis literis Indictionis testata est, clementer, & vt decet, constanter seruet: Cæsarea Maiestas scripti copiam ipsis factura est, sed hac addita conditione, ne qua scripta deinceps in hac causa cum Cæsarea Maiestate commutent. Satis enim in hac causa iuxta literas indictionis ab vtraque parte hactenus dictum atque scriptum est.

Ideoq; Cæsarea Maiestas clementissimè petit, vt tandem cum Cæs. ipsius Maiestate, Electoribus ac cæteris Imperij Ordinibus se coniungant & vniant, quemadmodum sub finem sui scripti priùs prælecti polliceantur. Præterea Cæsarea Maiestas seriò mandat, ne sub iuramento, quo Cæs. M. ipsius deuincti sunt, scriptum illud, vel alia eius generis, typis exprimi, aut in aliorum manus peruenire sinant. Idq; Cæs. Maiestas eos certò facturos certissimè sibi pollicetur. Et hæc quidem Cæsarea Maiestas ad ipsorum petitionem clementissimè respondere voluit.

Quibus per Fridericum Palatinum indicatis, statim Albertus Archiepiscopus Moguntinus, Ioachimus Elector Brandeburgensis, Henricus Dux Brunsuicensis, & alij consurgentes, Cæs. M. subiectissimè orarunt, vt facultatem sibi intercedendi, & amicè inter Cæs. ipsius Maiestatem & Principes Protestantes transigendi præberet. Id cùm Cæs. M. permisisset & nostri assensi essent, die 6. Augusti Tractatio cœpta est.

Sed totam harum actionum seriem breuissimè & disertissimè expositam cognoscent lectores ex binis Philippi literis ad Lutherum eo tempore datis.

TAndem audiuimus confutationem tertia Augusti, & sententiam Cæsaris, quæ satis aspera est. Nam priusquàm legeretur confutatio, Cæsar inquit, se in ea sententia, quam sibi perscribi curasset, mansurum esse, & petere, vtidem faciant Principes nostri: quod si nolint facere, se, cùm sit defensor Ec-

clesiæ, nolle schisma in Germania tolerare. Hæc fuit orationis summa, quæ quanquam esset atrox, tamen cùm confutatio esset valde pueriliter scripta, mira gratulatio secuta est lectionem. Nullus Fabri liber extat tã ineptus, quo non sit ineptior hæc confutatio. De vtraq; specie allegauit historiam de filijs Heli manducaturis panem: Hinc argumentatur, solo pane debere laicos contentos esse. De Missa mirabiliter frigida fuit defensio. Ioachimus rediens ab ea lectione (nam ego non interfui) mihi dixit, valdè me errare, qui me vsque adeò varijs disputationibus cruciarem de causis traditionum. Nihil tale illis in mentem venire posse.

Nostri petiuerunt exemplum confutationis, sed Cæsar respondit se deliberaturum, vtrùm esset exhibiturus. Postridie accersit Principes, iterum hortatur, vt in sententiam eant, quæ scripta est in confutatione. De exemplo inquit, se ea lege exhibere, ne edatur, vel transcribatur. De hac re diu tenuit contentio, tandem dirimunt eam Moguntinus, & Elector Brandeburgicus frater, & Brunsuigius. Hi accedunt ad nostros Principes, & iubent omittere hoc certamen: se, ne Cæsar vehementiùs commoueatur, de transigendo toto negotio consilia habituros esse. Itaq; confutationem illam nondum videre licuit, & expectamus hodie, quas conditiones Principes illi nobis proposituri sint. Habes nostra omnia. Viri boni, & sapientes omnes visi sunt mihi erectiore animo esse, audita illa pueriliter scripta confutatione. Nostri ἄρχοντες facilius possent impetrare pacem, si ambirent ipsum Cæsarem, & sanioret Principes: sed mira est negligentia, &, vt mihi videtur, tacita quædam indignatio, quæ ab istis officijs eos abducit. Res tota est ἐν γούνασι θεοῦ, nec regitur vlla humana diligentia. Id interdum stomachor, interdum reputo Deum hæc præsidia nobis adimere, ne confidamus nobis. Tu igitur diligenter ora. bis, vt DEVS seruet nos, & det pacem Reipub.

Landgrauius valde moderatè se gerit, mihi etiam apertè dixit, se pacis retinendæ causa etiam duriores conditiones accepturum esse, quascunq; sine contumelia Euangelij accipere posse. Vale. 6. Augusti.

Et biduo pòst:

POstquam non destitit Cæsar petere, vt nostri irent in sententiam scriptam in Fabrili confutatione, & nostri contrà contenderunt, vt exhiberetur nobis exemplum confutationis, neq; finis apparuit eius certaminis, quidã Principes hortati sunt, vt omitteremus illud certamen, & pollitici sunt, se inituros rationem pacis faciendæ. Hæc significaui proximis literis. Ecce postridie Landgrauius abit clam omnibus, reliquit tamen hîc mandata. Cæsar statim accessit nostros, & petit ne discedant, præsertim postquam Principibus permiserit, vt de componendo negotio nobiscum agant. Visus est æquum postulare Cæsar. Quare nostri respondent, se inconsulto Cæsare nunquam abituros esse. Ego de Landgrauij consilio nihil affirmare possum: Sed videtur commotus

motus indignitate actionum, spem pacis abiecisse. Quanquam, vt dicã, quod sentio, suspecta mihi in eo simulatio moderationis in talibus negotijs hic fuit. Nunc Principes illi nihil adhuc egerunt, quod magnopere ad pacem facturũ videatur. προοίμια fuerunt de Cæsaris voluntate petente serijs auxilia. Marchio omnia ῥητορικῶς exaggerauit, ad absterrendos nostros ab hoc doctrinæ genere. An præterea ad æquas conditiones descensuri sint, nondum scimus. Monachorum Spirensium φάσμα, de quo scribit Islebius, planè significat horribilem tumultum. Vale felicissimè, 8. Augusti.

D. MARTINVS LVTHERVS PHILIPPO MEL. S. D.

GRatiam & pacem in Christo etiam Domino suorum hostium. Accepimus literas vestras omnes, & laudo DEVM, qui aduersariorum confutationem sic ineptam parauit. Verùm nur frisch hindurch: antea audieram, sed nolebam credere: Lectis autem primùm omnium Islebij literis, simul de tumultibus & dæmonibus, vehementer concutiebar, horrenda monstra veritus futura. Sed Christus viuit & regnat: fiant sanè dæmones si ita volunt Monachi vel Nonnæ quoque: nec forma melior eos decet, quàm qua hactenus sese mundo vendiderũt adorandos. Ego planè augurabar esse turbas aliquas Augustæ, sic enim hîc furiebant venti & pluuiæ, vt ipso penè sono terrerent, nec adhuc serenum redijt. Incipio vos desiderare, vt reduces DOMINVS breui faciat, Amẽ. Es möcht wol ista mora & indignitas noch einen Landgrafen müde machen.

Nónne & ego prædixi te frustra cruciari de traditionibus, quòd ea res nimis superat captum Sophistarum? Æterna fuit disputatio de legibus etiam apud summos viros: & planè Apostolicum est de ijs purè & rectè iudicare. Nullus enim extat autor, præter vnum Paulum, qui planè & perfectè de hac re scripserit: Quia mors totius rationis est legem iudicare, solus spiritus hîc iudex est. Quid igitur Sophistæ hîc possent etiam ratione priuati? Wolan wir haben jm gnug gethan. Tempus nunc est faciẽdi soli DOMINO, qui regat & seruet nos, Amen. 15. Augusti.

Monachorum Spirensium φάσμα seu spectrum, cuius in proximis Lutheri & Philippi literis, & deinceps in Lutheri Epistolis aliquoties mentio fiet, GEORGIVS SABINVS eleganti Carmine descripsit, quod ideo adiungo, ne curioso lectori quidquam in hac tota serie scriptorum sese offerat, quod obscuritate aliqua legentis studium remorari possit.

VRbs antiqua iacet celebri contermina Rheno,
Vangionum longè non ea distat humo.
Nescio qui Nemetes hanc incoluisse feruntur:
Sunt vbi Francorum busta quaterna Ducum.
Cæsareis sedes fuit illa cohortibus olim,
Nomen ob id Graium, Spira vocata, tenet.
Hîc humili modicis à stirpe parentibus ortus,
Exiguæ quidam nauita puppis erat:
Qui calamo pisces linoq; madente solebat
Fallere, iam radios sole tegente suos.
Is dum fortè leues hamos ac retia tractat
Non procul à ripa, lubrice Rhene, tua:
Ecce per obscuræ tenebrosa crepuscula noctis
Obtulit ignoti se noua forma viri.
Atro tectus erat Monachum simulante cucullo,
Vtq; solent, raso vertice tonsus erat.
Nauta propinquantem consueto more salutans,
Ecquid agis sero tempore noctis? ait.
Ille sub hæc, adsum longinquis missus ab oris
Nuncius: ipse tua me rogo lintre vehas,
Vt citò transmisso contingam flumine ripam.
Dixerat: assumtum nauita lintre tulit.
Iamq; ferè medios cursus nox atra tenebat,
Flexaq; lenta pigri plaustra Boötis erant:
Cùm procul in viridi venientes margine ripæ,
Quinq; cucullatos rursus adesse videt:
Exoptatq; illis piscator, vt antè, salutem,
Quoq; velint media pergere nocte, rogat.
E quibus vnus ait, nos magna pericula cogunt,
Obscura tutas carpere nocte vias:
Omnibus inuisi sumus, intentatq; nefandam
Sacrificis nobis turba profana necem.
At te si quis amor tangit, si cura piorum,
Transuehe nauigio corpora nostra tuo:
Vt tumidas lati superemus fluminis vndas,
Néue moraturis impediamur aquis.
Sic æterna tuis fortuna laboribus adsit,
In tua sic multus retia piscis eat.
Annuit, & remo propellens nauita cymbam,
Mox iubet adducta scandere puppe ratem.
Sed mihi quis, dixit, soluet mercede laborem?
Alter ad hæc, nullas scis quòd habemus opes:

Ratáq;

Raraq3 percipimus discordi munera vulgo:
Non tamen ingratos nos habiturus eris.
Si nos in solido rursus fortuna locabit,
Pramia pro tanto digna labore feres.
Soluerat extremo piscator margine nauem,
Iamq3 ferè medias illa secabat aquas:
Sidereas remouent subeuntia nubila stellas,
Præcipiti fertur puppis & icta Noto.
Incepêre nigris horrescere fluctibus vndæ,
Sæuaq3 tempestas imbribus orta fuit.
Ipse repentino fassus pallore timorem
Nauta, quid hæc, inquit, vult noua causa mali?
Nulla tamen pluuiæ venturæ signa notabam,
Solvbi stagnantes æquore mersit equos.
Nulla lacus vsquam circumuolitabat hirundo,
Vlla nec est oculis ardea visa meis.
Tum neq3 Luna nigro surgebat pallida vultu,
Clarus & occiduo lumine Phœbus erat.
Talia iactanti, disturbant verba procellæ,
Impediunt q3 graues ora loquentis aquæ.
Penè procellosi subuersaq3 turbinis ictu
Nauis, & insanis fluctibus hausta fuit.
Ardua sublatas tendens ad sidera palmas,
A superis orans nauita poscit opem.
Quid facis? è monachis ait vnus: &, improbe, dixit,
Desine voce tua sollicitare Deos.
Moxq3 graui tollens immanem pondere contum,
Nauta parum felix quo prius vsus erat:
Illius hoc humeros pulsataq3 terga fatigat,
Cæsus ad extremam dum fuit vsq3 necem.
Proditus est tandem peruersi dæmonis astus,
Detectusq3 fuit fraude patente dolus.
Vana recesserunt in inanes corpora ventos:
Mansit & ingratus naue relictus odor.
Mox quoq3 purgato fugerunt nubila cœlo,
Et redijt pulsis aura serena Notis.
Territus hoc monstro, gelidum sine sanguine corpus
Tollit, & ad ripam nauita puppe redit.
Istic in viridi procumbit languidus herba,
Donec ab Eoïs sol fugit ortus aquis.
Manè, sub Oceanum pulsis Hyperione stellis,
Ducitur à puero prætereunte domum.

Omnia

Omnia commemorans præsentibus ager amicis,
Clausit adhuc illo fata suprema die.
Postera cùm croceis fulgens aurora quadrigis,
Protulerat roseas ore nitente genas:
Accidit & similis diuerso tempore casus,
Acta sed euentures meliore fuit.
Summa procul radijs feriente cacumina Phœbo
Carpebat solus manè viator iter.
Qui Nemetum postquam digressus finibus esset,
Primus vbi positus distat ab vrbe lapis:
Aduentare nigro tectum velamine currum
Conspicit, hic monachis currus onustus erat.
Ordine quem iuncti septem traxêre iugales:
Quarta sed ablato defuit axe rota.
Quiq; manu flexas aurigat enebat habenas,
Terribili naso conspiciendus erat.
Attonitus curru stat prætereunte viator,
Nec monachos illos, spectra sed esse videt.
Euolat extemplò sublatus ad æthera currus,
Mixtaq; cum fumo flamma sequuta fuit.
Tristis & infaustum belli mortalibus omen,
Horrida per nubes arma dedêre sonum.
Ille statim rediens, quæ viderat, indicat vrbi:
Est eares certa cognita vera fide.
Hæc igitur vobis, alius quos sustinet orbis,
Carminibus duxi significanda meis.
Expositurus eram, si res interprete egeret,
Spectra quid infesti dæmonis ista velint.
Effera Germanos agitat discordia reges,
Proq; cucullatis impia bella parant.
Hæc, ea tempestas, hic impar ordo rotarum,
Hæc & cum fumo lucida flamma fuit.
Sed DEVS est nobis orandus, vt arma quiescant:
Ille precaturis mitia fata dabit.

Qui

Quæ autem ſumma fuerit amicæ Tractationis inter Imperatorem & Principes Euangelicos, à Moguntino & fratre Ioachimo Marchione Brandeburgēſi, & Henrico Brunſuicenſi, ſtatim poſt recitatam publice & negatam noſtris Confutationem tentatæ, cuius proximæ Philippi literæ meminerunt: & quæ Marchionis omnia ἐπιεικῶς ad abſterrendos noſtros ab hoc doctrinæ genere exaggerantis argumenta fuerint: ex poſtrema noſtrorum Reſponſione liquidò apparebit: in qua, cū priores die 6. 7. 9. & 11. Auguſti habitæ actiones ſummatim repetātur: ſolam hoc loco adſcribendā duxi.

RESPONSIO ELECTORIS SAXONIAE ET CAETERORVM PRINCIPVM AC STATVVM CONFESSIONI AVGVSTANAE ADHAERENTIVM, AD POSTVlata Electorum & Principum interceſſorum, exhibita die 13. Auguſti.

QVæ nuper à vobis propoſita ſunt, prolixè audiuimus, & ſententię veſtrę ſummam hoc modo intelleximus: Primum, quòd fideli & amicæ adhortationi veſtræ, vt cum Cæſarea Maieſtate & cæteris Electoribus, Principibus & ſtatibus Imperij nos iuxta confutationem noſtræ Cōfeſſionis proximis diebus prælectam coniungeremus, datam à nobis reſponſionem ſcripto & viua voce expoſitam audiueritis: ac ſerio dolore vos affici, quòd ſedulitati, diligentiæ ac fidei veſtræ fructus expectatus non reſpondiſſet. Vt autem re ipſa declaretis vos fidelium vtriuſq; partis amantium Interceſſorum officio fungi: diligenter vos ſcriptam reſponſionem noſtram perlegiſſe & expendiſſe, ac comperire grauamina noſtra, quibus impediti coniungere nos in hac religionis cauſa vobiſcum non poſſumus, in quatuor potiſſimum articulis conſiſtere.

Primùm, quòd iuxta Cæſ. M. literas Indictionis non ſufficienter auditi, nec amica tractatio in caritate, lenitate & manſuetudine mutua, quam promittunt C. M. literæ, ſuſcepta fuiſſet.

Secun-

Secundò, quòd iudicaremus proximum ſcriptum ſeu C. M. reſponſum, aut, ſicut nos nominemus, confutationem, nobis, vt nos exiſtimaremus negatam eſſe.

Tertiò, quòd denuò ad conſcientiam noſtram nos referamus.

Quartò, concilium & huius cauſa factas promiſſiones vrgeamus.

Sed quia bono & amico animo proximè ſententiam veſtrã nobis expoſuiſſetis, & quæ præterea ſciretis ad Chriſtianam & cõmunem concordiam profutura eſſe, libenter & ſtudioſè facturi eſſetis: nunc verò ex reſponſione noſtra deprehenderitis, nos C. M. quædã iniquiora tribuere, & in eo errare: ideò, vt in veram viam ducamur, decreuiſſe vos, & neceſſarium iudicaſſe, omnem totius cauſæ conditionem ſignificare: Non tamẽ eo conſilio, vt vos partiales omninò efficiatis, ſed tantùm, vt amici & interceſſores æquiſſimi, nos ab errore, in quo eſſemus, abduceretis.

Et primùm, quod attinet ad literas Indictionis huius conuentus Imperij, exiſtimatis nõ poſſe C. M. iuſtè à nobis tribui, quòd promiſſam in literis cauſæ cognitionem & amicam tractationem non præſtitiſſet: C. M. nos ſcripto & viua voce cauſam noſtram exponẽtes clementiſſimè audiuiſſe, & inſuper ſciſcitatam eſſe, ſi quid vlteriùs proponere vellemus, id vt faceremus, nobis permiſſum eſſe, vt ita ſimul eodem tractatu omnia agerentur. Nos verò nihil amplius expoſuiſſe, & oſtendiſſe, nos in exhibita confeſſione acquieſcere & permanere. Præterea, quod ad alteram huius articuli partem attinet, C. M. clementiſſimè aſſenſiſſe, vt amica tractatio ſuſciperetur, ideoq; vos tanquam delectos ex reliquis Electoribus, Principibus & ſtatibus talem actionem inchoaſſe: vnde ſatis appareat, Cæſ. M. in eo non poſſe accuſari, quòd promiſſa in literis Indictionis non præſtiterit, aut amicè & benignè agere recuſauerit. Secundò non poſſe ipſius Maieſtati tribui, quòd ſcriptum ipſius nomine lectum nobis denegatum eſſet: Ipſius enim Maieſtatem obtuliſſe ſe, ad exhibendum nobis ſcriptum, certa tamen conditione, quam nos grauati fuiſſemus recipere. C. verò M. alia ratione conſentire non potuiſſe, & exiſtimare ſe Cæſ. M. ſui conſilij cauſam habuiſſe. Nos enim ſcire, quomodo Cæſareum edictum & mandatum Vuormatiæ promulgatum, contumelioſè deriſum & traductum eſſet,

in

in C.M. & omnium ſtatuum inſigne dedecus, contumeliam & ludibrium: Et explorare nos poſſe à doctis noſtris, quòd in Iure Cæſareo diſputationes de articulis fidei ſeueriſſimè ſub pœna capitis prohibeantur. Si igitur C. M. prædictum ſcriptum confutationis, ſicut nominatum fuiſſet, ſine conditione tradidiſſet, potuiſſe illud, ſicut antea Cæſareum edictum à quibuſdam leuibus hominibus, Concionatoribus, & alijs traduci & peruerti, cum Cæſ. Maieſtatis ſtatuum & totius Chriſtianitatis dedecore & incommodo, quòd Cæſ. Maieſtati & ſtatibus Imperij, non ſine cauſa moleſtum eſſet futurum: Electores etiam, Principes & ſtatus Imperij decere, vt hac in re & C. M honorem conſiderent & tueantur. Quòd autem interea illud ſcriptum confutationis non ſit petitum, id non per C.M. ſed per nos ſtetiſſe.

Tertiò, quod conſcientias noſtras grauari allegaremus, id non poſſe vos ita, vt à nobis dicatur, accipere: Sed exiſtimare, conſcientiam noſtram grauari, vbi non deberet, quia ſineremus nos per noſtros concionatores, vt priuatas perſonas à ſancta Catholica & Chriſtiana Eccleſia, à fide maiorum noſtrorum & auorum, in ſacris ſcripturis fundata, & per omnium ſanctorum patrum Concilia, & doctrinas confirmata, & ita à totius Imperij & Chriſtianitatis conſenſu abduci, qui doctores aut concionatores, ſibi proprias leges, ſcripturam & ordinationes facerent, & ſecundum ſuum arbitrium omnia interpretarentur & peruerterent. Quomodo autem illa ſcripta & doctrinæ fundatæ eſſent, omnibus apparere, & meridiano Sole clarius eſſe, videlicet, quòd inter ſe non concordes, ſed inteſtinis diſſenſionibus, & rixis omnia plena eſsent, vnum nigrum, alterum candidum eſſe, hunc hodiè affirmare, cras eadem in ſcriptis ſuis negare, & nulla in re inter ſe poſſe conuenire. Ex qua multiplici & inter ſe diſcrepante doctrina, tot ſectæ & confuſiones, Anabaptiſtarum, Sacramentariorum, Iconomachorum, fratrum & ſororum hortenſium, aliarumque factionum & hæreſium exortæ ſint, vt auditu etiam horribile ſit.

Præterea, in omnium conſpectu & oculis verſari vitam & mores eorundē concionatorum & doctorum. Ex quibus indicijs ſatis appareat, an ij ſint, quibus noſtras animas & cōſcientias tutò committere,

mittere, & plus fidei, quàm vniuerso orbi Christiano, C. M. Electo ribus, Principibus sacri Imperij, tanquam agnatis & affinibus suis tribuere debeamus. Quæ si rectè nostri expendant, indubitatò futurum vt desistant, & cum Catholica Christiana Ecclesia rursum se coniungant.

Quartò, quòd ad Concilium nos referamus, eamq; viam proximam & aptissimam ad harum dissensionum compositionem esse iudicemus.

Velle autem vos bono studio nobis indicare, quòd Luthe. rus, cùm in comitijs Vuormatiensibus coram C. M. consistens auditus esset, suæq; doctrinæ causam egisset, Concilij mentione tũc facta planè illud se contemnere, & nihili facere ostenderit, & in præsentia Cæs. M. palam dixerit, priora concilia sæpius erasse, ideoque & sequentia errare posse: propter quam causam ipse suam doctrinam concilio subijcere non possit.

Libros etiam Lutheri extare dicitis, in quibus sanctiones & auctoritatem conciliorum contemnat: & doceat, etiamsi ea aliquid statuant, neminem tamen ad id seruandum necessariò obligari: sicut flagitante necessitate ipsius Lutheri verbis indicare possit.

Et licet concilium indictum esset, nos tamen probè memoria tenere, bella Germanica & Italica, pericula etiam quæ à Turca nostro & totius Christianitatis hæreditario hoste impenderunt, tam varia accidisse, vt celebrationem illius semper fuerint impeditura.

Quare cùm res ita se habeant, debere nos diligentiùs & rectius ista nobiscum perpendere. Vos etiam insuper à vobis amicè & diligenter petere, fideliter etiam & summopere hortari, vt cum Cæs. M. Electoribus, Principibus, & statibus Imperij, & sancta Catholica Christiana Ecclesia iuxta scriptum, quod in verbo Dei bene fundatum, & quo Confessio nostra satis confutata sit, concilie. mur.

Quam ad rem si scripto proximè prælecto opus esset, ne quid in vobis vlla ex parte desideraretur: sperare vos, C. M. non grauate deinceps quoque scriptum ea conditione, quæ nuper indicata esset, nobis concessuram esse.

Aut si conditionem illam accipere denuo grauaremur: nevllam conquerendi causam haberemus, eos Articulos, de quibus

inter

inter nos controuerteremus, quotiescunq; opus esset, prælegi nobis debere.

Si verò hæc etiam grauia nobis aut optatæ concordiæ moram vel impedimentum afferre viderentur, tum vos amicè orare & petere, ne nos grauaremur à nostra parte media & vias indicare, per quas ad benignam tractationem & Christianam concordiam perueniri posse arbitraremur.

Quòd si eiusmodi media à nobis proponerentur, quæ apud C. M. fructuosæ tractationis impetrandæ spem præberent, vos ea ad C. M. libenter perlaturos, & pro vestra parte omnem diligentiam, quæcunque præstari possit, adhibituros. Sin verò inutilia & infructuosa vobis viderentur, vos ingenuè id nobis indicare, & de alijs vijs nobiscum cogitare velle, vt controuersia tota tandem componi, & ad pacem ac concordiam Christianam redigi possit.

Hanc totam orationem, velut ex animo nobis amico, fideli & beneuolentissimo, & ab omnibus in Imperio dissidijs & turbis alieno profectam, candidè & beneuolè à nobis accipi & intelligi petiuistis, cuius Orationis summam, sicut à nobis intellecta est, breuiter hactenus repetiuimus.

Hactenus oratio Intercessorum.
Sequitur Responsio Protestantium.

NOs quidem hæc ita narrari, & ad eum modum admoneri non expectassemus. Nam quòd tractatio à vobis suscepta sine fructu hactenus fuit, non per nos stetit, sed quia vestræ actiones & consilia hactenus eò tantùm directa fuerunt, vt nos à nostra exhibita Christiana confessione in Articulis, quos non probant aduersarij, deficeremus, & cum C. Maiestate & vobis de illis conueniremus. Quod nos propter allegatas causas tali conditione sine onere nostrarum conscientiarum accipere non potuimus, quia vos arbitrorum personam sumsistis, vt alia magis idonea & apta media indicaretis, quę audituri, & omnia quæ sine offensione Dei & conscientię fieri possint, facturi essemus.

Nunc denuo expostulatis proximè à vobis expositis cognoscimus, vos in eadem sententia adhuc perseuerare, vt nos à Chri-

stiana confessione nostra, quatenus in ea cum aduersarijs non consentimus, ad amplectendum scriptum nuper prælectum abducatis: Cuius rei gratia nostras rationes & fundamenta multis & variis argumentis fundamento carentibus, diluere conamini: Quæ tamen eam apud vos auctoritatem & finem non assequuntur, sed longè aliter nostro iudicio se habent.

Quod enim attinet ad literas Cæs. M. quibus hic conuentus indictus est, eas non allegauimus in eam sententiam, vt Cæs. Maiestati notam aliquam vel minimam inureremus: Idque planè immeritò nobis tribuitur, cùm sciamus ipsius Maiestatem semper ad præstanda promissa literarum clementer obtulisse. Et adhuc in eadem spe & fiducia erga ipsius Maiestatem sumus. Sed literas Indictionis ad eum finem allegauimus, vt ostenderemus, vestra consilia, actiones & sententias in hac tractatione cum Cæs. Maiestatis literis nequaquam congruere, cùm illæ perspicuè velint, vt cuiusq; partis opiniones & sententiæ audiantur, & in caritate & mansuetudine disceptentur, ac vt vtriusque partis falsæ expositiones tollantur. Iam vestra postulatio vnum hoc vrget, vt nos à nostra confessione, sicut prædictum est, discedamus: & tamen interea falsarum interpretationum alterius partis nulla mentio fit, vnde quilibet nostram doctrinam & confessionem à Catholica Christiana Ecclesia dissentire, aut nos ab ea discedere & segregari velle iudicaret. Quod acerbissimum nobis dolorem affert, & Deo volente nunquam apud nos deprehendetur. Nam si defeciisse nos ab Ecclesia Catholica intelligeremus, ne momentum quidem in ea defectione mansuri essemus. Quantum enim Cæsaris scriptum, & eius articulos, quos vsque ad hoc tempus nobis habere non licuit, sub extemporanea prælectione percipere potuimus, intelleximus illud ex sacræ scripturæ fundamentis, contra nos nihil concludere. Nostram enim sententiam & confessionem, sicut eam nouissimè exhibuimus, in sacra scriptura fundatam esse sentimus & credimus, idque in posterũ, vbi necessitas postulauerit, & ad vlteriores actiones peruentum fuerit, vlteriùs ex clara scriptura nos demonstraturos pollicemur.

Secundò quod ad denegationem scripti Cæsaris, propter quas causas illud certa cum conditione & non aliter tradi nobis debuerit, attinet, non possumus nos deprehendere, quòd illud scriptum, propter allegatas causas, nobis meritò denegandum,

aut

aut ea conditione adiecta nobis promittendum fuerit. Nam Cæs. Maiestatis edictum nunquam ludibrio habuimus aut derisimus. Verè etiam id factum esse doleremus. Nunquam igitur malignæ huic insimulationi aut suspicioni, quòd aliquid mutatum aut peruersum sit, aut peruerti possit, causam præbuimus.

Cùm igitur intercessorum personam geratis, speraßemus vos, multis honestissimis causis à nobis indicatis, apud Cæs. M. laboraturos fuisse, vt scriptum illud, sicut petiuimus, nanciscipotuissemus, neque passuros, si à quopiam contra edictum indecorè actum esset, vt nos eius culpæ pœnam immeritam sustineremus.

Similiter nec altera ratio hoc efficit, quia in legibus Imperatorum prohibita sit disputatio de fide (quod tamen apud Iurisperitos eo modo, quo à vobis allegatur, reperire nō possumus) quòd propterea exemplum scripti illius, nisi adiecta conditione nobis onerosa, tradi nobis non debeat aut denegari possit. Nostra enim necessitas, vt illud scriptum haberemus, & accuratè expenderemus, flagitabat. Mediocriter etiam Dei beneficio scimus, quoad de articulis fidei disputari vel non disputari debeat. Præterea nullum articulum fidei in dubium ponimus. Neque in Iure fidem nostram Christianam confiteri nobis prohibitum est, & abusus contra eam introductos amicè & Christiana lenitate iudicare, & in nostris ducatib. & ciuitatibus abrogare. Quid autē alij ea in re agant, de eo rationem nos reddere non tenemur, neque nobis præiudica requicquam debet.

Et quia postmodum operam vestram in impetrando & exhibendo nobis scripto iuxta significatam conditionem defertis: multò antè coram Cæs. M. & vobis nostra grauamina indicauimus, videlicet, quòd antehac sæpius compertum sit, negotia inter paucos homines acta euulgata & typis expressa esse. Si igitur idem in hac causa, licet non per nos, accideret, posse vos expendere, quàm graue nobis esset futurum, si copiam, iuxta postulatum modum, acciperemus, & talem suspicionem in nobis hærere sineremus.

Quòd autem ad perlegendum solummodo tradi nobis scriptum & concedi oportere decretum est: id huic causæ nihil profuturū est. Non enim dubitamus posse vos perpendere, quādo altera

pars nostros articulos ex prælectione extemporali integrè complecti, & ad eos respondere potuerit, cùm per aliquot multas septimanas eos apud se habuerit, de ijs meditata sit, consultauerit & ita suum responsum quamuis non planè definitum comprehenderit. Quando igitur nobis possibile aut in tam arduo negotio ad animam & conscientiam pertinente consultum aut recipiendum esset, vt non impetrato huius scripti exemplo ad integram & fundamentalem ipsius refutationem vos obligaremus. Ac etiamsi possibile vel nobis tolerabile esset, sicut non est, tamen quid huic negocio inde vtilitatis prouenire possit, ignoramus, cùm nulla alia media aut viæ tolerabiliores, quàm hactenus ex vobis intellexi. mus, proponantur. Quòd autem allegata à nobis conscientiæ nostræ grauamina eo modo exprobrantur, de eo & alijs, quæ adiuncta fuerunt, ad nostras animas, honorem & iuramentum pertinentia, respondere nos & veritati testimonium perhibere necesse est.

Etsi enim fatemur nos homines & peccatores esse, tamen in rebus ad Dei gloriam & sanctam Christianam fidem pertinentibus, scientes contra verbum Dei agere, & conscientiam nostram persecutione veritatis onerare nollemus. Quare non dubitamus per Dei gratiam conscientias nostras in hac causa non ita grauatas esse, sicut eorum, qui hanc doctrinam persecuti sunt, & concionatores eiecerunt, & veritati locum dare non voluerunt, cùm hæc causa nunquam, sicut oportuit, audita vel tractata sit. Nec verò personis concionatorum nostrorum conscientia nostra innititur, sed quia comperimus doctrinam ipsorum in verbo Dei fundatam, ideo oppugnare eam nobis religio fuit: atque idem iam facimus, cùm agnoscamus nos verbo Dei summum honorem debere, atque ad illius propagationem omnia nostra studia & officia iustè referri. Quicquid autem verbo Dei contrarium aut non conforme prædicatur, vel agitur, id conscientiam nostram grauat, maximè si id per nos confirmari, approbari vel permitti debeat. Omnium autem maximè contra conscientiam nostram esset, si vel vnum fidei Articulum S. scripturæ aut Patrum Concilijs aduersantem amplecteremur, vel doceri publicè sineremus. Nequaq; igitur ab Imperij & S. Christianitatis consensu desciuimus, cùm fideliter & firmiter omnes articulos Sanctæ & Christianæ fidei propugnare eosque

eosq; ad verum intellectum Apostolorum & Patrum reducere, atque ita conseruationem rectæ & veræ in Ecclesia concordiæ, iuxta verbum Dei diligenter prouehere studeamus. Et constat eos articulos ita apud nos doceri, vt etiam aduersarij in multis rebus ei doctrinæ se conformarint, & rectiùs, quàm vnquam antea, docuerint.

Quòd autem sectæ alijs in locis eruperunt, non factum est culpa huius doctrinæ, cui Principes in suis territorijs locum concedunt, sed nostri contra eos errores acerrimè pugnarunt, qui nisi fuissent, reliqui parum eos inhibere potuissent, sicut fateri omnes necesse est: Ideoque & apud nos hi errores non prævaluerunt, cùm tamen alijs in locis, vbi vi tantùm eos reprimere conati sunt, plus incommodi attulerint. Quod etiam sanæ doctrinæ imputari non debet, sed Diabolo: sicut Euangelium inquit, dormiente colono eum zizania inter triticum seminasse.

Nulla certè Apostolis culpa tribui potest, quòd aliqui eorum auditores, doctrinam à Christo traditam initio cupidè amplexi sunt, & postea, ex inspiratione Diaboli, in vno aut pluribus articulis ab eis discedentes, falsa dogmata sparserunt. Certè doctrina Apostolorum propterea falsa non fuit, neque à Christiana pietate aliena iudicata est.

Constat etiam veræ doctrinæ conseruandæ causa Synodos & concilia congregari oportuisse. Hac inspectione doctrinę ab ijs, ad quorum officium pertinebat, neglecta, Monachi & alij Concionatores, prout cuique visum est, docuerunt, & ritus nouos instituerunt. Vnde tot abusus exorti tandem prorsus intolerabiles fuerunt: atque ita magnæ mutationi causam præbuerunt. Scitur enim, quid circa indulgentias, mercatum veniarum, peregrinationes, sanctorum reliquias, & alias res infinitas, acciderit. Si in his rebus ordine & legitimè actum fuisset, & Episcopi doctrinæ Christianæ puritatem seruari & conciones piè haberi curassent, quod officium Deo & mundo debebant: tum pax & concordia facilè retineri potuissent. Iam nostri tantùm accusantur, perinde ac si Episcopi & alij Ecclesiastici nihil reprehensione dignum vnquam admisissent, sed semper officio suo fideliter functi fuissent. Sicut Achab Eliam accusat, quòd regnum Israël turbet, Sed Propheta Elias respondet Achabo, illum esse qui Israëlem conturbet.

Sicut Papa Hadrianus ipse in Comitijs Noribergensibus an-

no vigesimo secundo publicè proponi curauit, & omnium harum difficultatum ac ærumnarum fontem esse aulam Romanam, & alios Ecclesiasticos Prælatos confessus est. Iustam igitur causam habuissemus in confessione nostra multò plures abusus, teterrima scandala, & molestissima grauamina, quæ per multos annos in Romana Ecclesia variè extiterunt & adhuc durant, commemorandi, Sed pacis & concordiæ causa id intermisimus, quòd bona in spe essemus, de Christianis & iustis medijs cogitatum iri, vt ab omni parte ad Christianam & necessariam emendationem doctrinæ fidei, & præterea ad pacem & concordiam eò maturiùs & amiciùs peruenirremus. Quare & nobis & salutari Christianæ doctrinæ, nostro iudicio, suprà dictis illis immeritis accusationibus & grauaminibus omissis, iustè parci debuisset.

Quòd autem de vita & moribus pastorum nostrorum odiosa mentio facta est, indicandum vobis esse ducimus: Nos nullum presbyterum moribus palàm dissolutis in Ministerio Ecclesiæ & verbi diuini scientes ferre, nec deinceps toleraturos esse.

Porrò quàm bona & laudata castorum morum exempla apud Ecclesiasticos aduersæ partis cernantur, omnibus notum est: Quòd cum impudicis mulieribus cohabitent contra Canones: Item, quàm leuiter Missam tractent, quomodo & alia plura flagitia, de quibus dicere non est opus, exerceant.

Præter hæc ad ordinariam erga Episcopos obedientiam, quatenus ea in verbo Dei fundata est, retinendam, & ad piam compositionem & concordiam in omnibus etiam alijs articulis, quoadcitra Dei & cõscientiæ læsionem fieri potest, nos semper obtulimus & adhuc offerimus.

Quòd autem non omnes abusus probamus, seueriſſimo Dei mandato, cui plus quàm hominum autoritati parendum est, cogimur.

Quòd verò nos ad Concilium referimus, ideo fit, quòd in fidei controuersijs nulla alia via, præter hanc, iusta sit. Et nos hac in re nihil iniustum quæsiuisse speramus. Præterea huius Concilij mentionem fecimus, indicaturi obedientiam nostram, vt perspiciatur, nos à sancta Catholica Ecclesia defectionem non moliri.

Speramus etiam, si tractatio huius causæ ad optatum finem, quod nos à nostra parte minimè vellemus, hoc tempore non

non peruenirent, eam rectiùs in Concilio, quàm alibi, cognosci posse.

Et licet in Concilio aliquid grauius vel molestius acciderit, tamen vnica ea via, ad eiusmodi causas tractandas, legitima & apta est, ideoque necessarium esse iudicauimus, vt nos ad Concilium referamus: sicut & ante annũ adhuc in Comitijs Spirensibus tale Concilium necessarium visum fuit, & vi recessus illorum Comitiorum à C. M. vestra decretum, sicut in proxima responsione nostra necessariò nobis demonstrandum fuit.

Quid verò quidam de Concilijs scripserint & docuerint, de eo singuli respondere ipsi possunt. Nos enim Concilijs suum debitum honorem iuxta Canones tribuimus. Proinde in bona spe sumus, vos publicæ salutis Ecclesiæ causa, si fortè hoc loco amicè cõponi causa non posset, toties antea decretum & promissum Concilium promoturos potiùs, quàm tali commemoratione impedimenta obiecturos esse.

A Deo autem sperabimus, in eiusmodi Oecumenico, libero, Christiano Concilio, quale petitum & promissum est, (etiamsi hoc in loco integrè non transigetur: qua in re tamen, sicut sæpius indicatum est, nihil in nobis desiderabitur) vbi multi docti & graues viri, de negocijs conferent, eaque accuratè expendent, Deum sua benedictione affuturum, vt iuxta præsentes C. M. Indictionis literas, omnia, quæ non rectè exposita aut tractata sunt, ad iustam, vnicam & Christianam veritatem perducantur. Ex his omnibus facilè coniectari & expendere potestis, quomodo vestra postulata talem, sicut antè dictum, finem apud nos sortiri potuerint. Si autem aliæ, & magis possibiles viæ, quæ ad totalem & amicam huius controuersiæ compositionem aut minimum ad idoneam eius in caritate & mansuetudine tractationem, iuxta Cæs. M. literas, à vobis vtiliter propositæ aut proponendæ essent, nos nulla in re æqua defuturi essemus.

Nos autem à nostra parte cogitauimus, idoneam viam & medium, & Cæs. M. literis publicis conforme futurum, si ab vtraque parte, æquali, & tamen exiguo numero, certæ quædam personæ huius negotij peritæ, pacis ac concordiæ amantes ordinentur, quæ de controuersis articulis, & præcipuè illis, qui in Ecclesiæ vsu sunt, in charitate, lenitate, & mansuetudine inuicem

agant. Confidimus enim tales tractatores laboraturos, vt negocium ad bonam concordiam perducatur. Nec in nobis, iuxta sæpissimè repetitam promissionem, vlla in re, quæ per Deum, & conscientiam nostram fieri potest, aliquid desiderabitur, &c.

Decreto igitur die 14. Augusti colloquio paucorum veritatis & pacis amantium, qui de controuersis articulis piè conciliandis, & concordia ac vnitate Ecclesiarum restituenda placidè & amicè conferrent: Cardinalis Moguntinus, & Georgius Dux Saxoniæ, & alij, vt se ad tractationem de pace instruerent, à Iohanne Eccio Theologo iudicium & censuram de singulis Confessionis Articulis, & consilium ac media, quibus controuersi articuli componi & conciliari possent, breui & neruoso scripto sibi explicari petunt, la sequentem censuram eis exhibuit.

Articulus I. de vnitate Essentiæ & Trinitate personarum concordat cum Ecclesia.

Articulus II. de peccato Originali, concordat cum Ecclesia: at diffinien. do, quid sit peccatum Originale, discordant ab Ecclesia. Medium esset, quòd exprimerent concupiscentiam illam innatam esse peccatum Originale ante Baptismum, & post Baptismum esse sequelam aut pœnam Originalis peccati, non autem peccatum.

Articulus III. de CHRISTO IESV concordat.

Articulus IIII. concordat cum Ecclesia, quòd proprijs viribus non possumus iustificari: Sed discordat, quòd tribuit iustificationem fidei, & negat merita nostra. Concordarent, si fidei operanti per dilectionem attribuerent Iustificationem: id quod Sanctus Paulus docet Galat. 5.

Omittere autem debent hanc dictionem, SOLA, quia simplices decipiuntur, quòd sola Fides, excluſa gratia & operibus, iustificet.

De meritis concordarent, si se resoluerent, quòd opera de sui natura & in se non essent meritoria, sed solùm ex Deo, ex misericordia Dei, ex gratia Dei assistente, præueniente & cooperante. Sic Dominus reddit mercedem laborum sanctorum suorum.

Articulus V. concordat, quòd Spiritus sanctus datur per Sacramenta, vt per instrumenta. De fide autem & meritis dicatur, vt suprà in quarto.

Articulus VI. concordat, quòd Fides parit bona opera cum caritate: de fide vt suprà.

Articu-

Articulus VII. discordat, quòd Ecclesiam dicunt bonorum, cùm in ea sint boni & mali. Concordari posset, quando Ecclesiam dicerent Sanctorum, sicut & nos dicimus Ecclesiam sanctam à sanctitate fidei, sacramentorum, gratiarum & donorum, & à principaliori fit denominatio, modò boni sint principaliores: & ipsi admittunt malos ministros in Ecclesia.

Articulus VIII. de malis ministris concordat.

Similiter NONVS.

Articulus X. concordat de veritate Eucharistiæ: non tamen rapiatur ad vtramque speciem.

Articulus XI. concordat de absolutione, discordat de confessione: de quo parte II. Articul. IIII.

Articulus XII. concordat de reiteranda pœnitentia, discordat de partibus Pœnitentiæ. Concordari posset, quia contritionem cum Ecclesia ponunt pro prima parte: at Fidem aduersarij, & nos ponimus: ipsi ponunt hîc fidem pro parte Pœnitentiæ, nos dicimus fidem non esse partem Pœnitentiæ, sed Fides præsupponitur, vt fundamentum. Itaque plus est contentio Verbalis quã Realis: & cùm ipsi confessionem admittant, ponant eam pro secunda parte Pœnitentiæ cum Ecclesia.

Præterea nos ponimus satisfactionem, tertiam partem Pœnitentiæ, ipsi verò fatentur debere sequi fructus bonorum operum, vbi iterum solùm est lis verbalis, non realis.

Articulus XIII. concordat cum Ecclesia.

Articulus XIIII. concordat in verbis, sed in practica discordat, cùm non vocent plebanos & prædicatores secundum communem Iuris dispositionem, aut prouincialem ordinarij ordinationem, quod esset legitimè vocare.

Articulus XV. concordat in principali: de traditionibus infrà Articul. vltimo.

Articulus XVI. concordat de Magistratu ciuili.

Articulus XVII. de aduentu CHRISTI concordat.

Articulus XVIII. de Libero arbitrio concordat.

Articulus XIX. de causa peccati concordat cum Ecclesia.

Articulus XX. de fide & operibus solùm excusat Concionatores. ideo non est curandus, modò sicut dictum est Artic. IIII.

Articulus XXI. discordat de cultu Sanctorum. Nam hîc tria sunt, vene-

ratio Sanctorum, Inuocatio nostra ad Sanctos, Intercessio Sanctorum pro nobis. Veneration em admittunt Lutherani, duo alia negant: intercessionem Sanctorum admittunt Sacramentarij. Concordia hîc nulla est reperibilis, nisi fateantur cum Ecclesia, cùm viuus viuentem inuocare possit, mortalis mortalem, peccator peccatorem, egens egentem, cur non possit immortalem, iustum, immunem à peccato, diuitem in gratia, in bonis, in misericordia & caritate abundantiori pro nobis æmulantem.

SECVNDA PARS.

ARticulus I. discordat. Concordari posset, cùm sub vtraque specie communicare non sit cõtra fidem, & olim in multis Ecclesijs fuerit obseruatum, posset tolerari communio sub vtraque specie libera, sicut toleranda iudicabatur in Concilio Basilien si cum Boêmis, cum tribus conditionibus: Prima, quòd non communicarentur pueri: Secunda, quòd doceretur vtramq; speciem non esse necessariam: Tertia, quòd sub vna specie non plus sumeretur quàm sub duabus, his, qui in Ecclesijs communicarent. An autem expediat illam tolerandam vsque ad futurum Concilium, prudentioribus committo.

Articulus II. discordat, quia nunquam de Iure sub sistit Coniugium, quo Sacerdos in sacerdotio constitutus duceret vxorem. Cõcordari posset, quòd, sicut olim à temporibus Apostolorum vsque ad Cyricium ferme 400. annos coniugati promouebantur in Sacerdotes: an hodie expediret, dubito. Quoad Sacerdotes, qui de facto contraxerunt, posset fieri concordia, quòd tolerarentur vsque ad futurum Concilium, non secus quàm publica prostibula: quòd non ampliùs prædicarent aut in Ecclesia ministrarent, nec admitterentur ad ciuiles functiones.

DE MISSA.

ARticulus III. de Missa discordat. Concordari posset cum Ecclesia, quòd non esset amodò Eucharistia Sacrificium victimæ, sicut fuit in ara crucis: Si tamen non negarent, sicut corpus Christi fuit oblatum in veteri Testamento figuraliter, in cruce passibiliter, ita in Missa mysterialiter, quæ mysterialis oblatio esset memoria oblationis victimalis in cruce: sed propterea Missæ priuatæ non essent abrogandæ.

DE CONFESSIONE.

ARticulus IIII. de Confessione discordat. Concordari posset iuxta eorum probationem, Delicta quis intelligit? Psal 18. Nam etiam Ecclesia non vult hominem

hominem obligari ad peccata non intellecta. Ergo concedant peccata esse confitenda, quæ quis intelligit, tum concordabunt cum Ecclesia.

Articulus V. iudicetur ex VII.

DE VOTIS.

ARticulus VI. de votis Monasticis discordat cum Ecclesia, nec potest concordari: quia, etsi vouere sit liberum, tamen reddere est præceptum & Iuris diuini. Vnde assentientes huic articulo, sunt rei & debitores omnium votifragiorum, quæ fiunt. Etiam vniuersalis Ecclesia non posset concedere hunc articulum.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

ARticulus VII. discordat cum Ecclesia, quia aufert & regimen & potestatem statuendi pro subditis, vt ordinentur in vitam æternam, quæ potestas semper fuit in Ecclesia, vt ex statutis & præceptis Sanct. Pauli liquet, & ex decretis in primo Concilio Apostolorum, & sequentibus Concilijs sanctis. Ille enim Articulus auferret Ecclesiasticæ disciplinæ neruum, confunderet omnem ordinem, & inobedientiam foueret ac rebellionem. Concordari posset, quòd tolerarentur aut mitigarentur aliquæ constitutiones Ecclesiæ, non tamen fieret pro concupiscentia carnis.

In summa Articuli difficulter concordabiles & non acceptabiles per Ecclesiam.

De cultu Sanctorum.
De communione sub vtraq; specie.
De Coniugio Sacerdotum.
De votis Monasticis.
De sacrificio Missæ.
De constitutionibus humanis.

In his sex punctis arbitror omnem latere difficultatem: Quæ in alijs articulis, si simul essent duo Principes & duo docti ex vtraque parte, facilè componi & tolli posset.

A nostra etiam parte Philippus Melanthon & cæteri Theologi, Electorem Saxoniæ & coniũctos Principes, ad tractationem de pace, seriò expetendam & suscipiendam, exhortantur: & media restituendæ concordiæ proponunt sequenti scripto.

Postquam

Postquam diligenter & accuratè causam totam consideravimus, reverenter monemus Principes, vt cogitent, se Deo & Reipub. hoc officium debere, vt omnes vias & media obtinendæ & conservandæ pacis quærant & attentent: non tantùm vt propria damna & vastationes regionum & populorum sibi subiectorum caveant, verùm etiam, quia coram Deo excusari non possunt, si in distractione non necessaria perseverare volent. Deinde videmus quanta mala ex hac divulsione existant, quanta contumacia & petulantia vulgi, quæ secta, qui errores quotidie proveniant. Ac si, quod DEVS clementer avertat, bellum existet, metuendum erit, nec Ecclesiam, nec Imperium deinceps in suo statu conservari posse. Hæ tantæ res meritò diligenter cogitari deberent. Præterea necessitas summa Ecclesiarum flagitat, vt Disciplina & Scholæ restituantur, ne iuventus & adulti planè in belvinam feritatem aut Ethnicam prophanitatem degenerent. Non potest autem disciplina legitima in hoc schismate instituj aut retineri. Ideo subiectissimè petimus, vt Principes propter DEVM & propriam salutem de pace restituenda diligentissimè laborent. Etsi enim verendum est adversarios fore duriores: tamen conscientia nostra tranquilliores erunt, si nos publicæ saluti & paci non defuisse scimus.

Deum oramus, vt gratia sua huic tractationi pacis adsit. Paulus inquit: Pacem habete cum omnibus, quantum fieri potest. Cùm igitur in doctrina & rebus necessarijs nec latum quidem pilum cedimus, vel adversarijs largimur, sed tantùm in alijs ritibus externis, in quibus non est posita salus nostra, & qui absq; perturbatione conscientiarum servari possunt: tum piè & necessariò cedimus iuxta illud: Omnibus omnia factus sum. Omnia quidem licent mihi, sed non expediunt.

Iustè licet nobis ceremonias externas servare, quomodo, vbi & quando volumus. Quòd si multorum hominum salus & beatitudo pertinaci contentione de rebus non necessarijs impediretur: tum libertate nostra ad ædificationem, non ad destructionem nobis concessa horribiliter offenso Deo abuteremur.

Ad talem tractationem necesse erit, vt adversarijs etiam à nobis aliquid concedatur. Aliàs enim tractatio non esset. Ideoq; deliberandum, quid concedi, & quæ negotia nullam tractationem ferre possint.

Ac sequentia capita nos quidem talia esse, vt de ijs cedi nihil possit, censemus.

I.

Primùm, vt doctrinam, quæ hactenus apud nos tradita est de Fide, de bonis operibus, de libertate Christiana, eo modo, sicut hactenus apud nos tradita est, prædicari sinamus: iuxta tenorem exhibitæ confessionis.

II.

Vt vtraq; species Sacramenti porrigatur.

III.

Ne vrgeamur ad privatas Missas rursus instituendas eo modo sicut Adversarij eas hactenus celebrarunt, velut sacrificia pro vivis & mortuis, per quæ remissionem peccatorum impetremus.

Vt

IIII.

Vt coniugium Sacerdotibus & alijs Ecclesiasticis liberum relinquatur.

Monasteriorum mentionem facere, necessarium esse non iudicamus. Si enim Missæ restitui non debent, sequitur, Monasteria non esse restituenda. Semper enim Missam opponere licet, quæ præcipuus & summus in eis cultus existat.

Petendum etiam est, vt libertatem in traditionibus concedant: quales sunt, de discrimine ciborum, de certis temporibus, & modo confessionis præscribendo.

Econtrà vtile esset, Principes in genere sese offerre ad ea omnia recipienda, quæ cum Deo & bona conscientia recipere ipsis liceret.

Hi autem sunt præcipui Articuli.

De communibus & publicis ac scandalo carentibus ceremonijs in Ecclesia vniformiter seruandis, sicut in alijs locis seruantur. Omnino enim in Ecclesia ordinem aliquem retineri necesse est propter teneram ætatem & imperitum vulgus. Nec prodest, vt quilibet concionator singulares ritus instituat.

Concedendum igitur est, vt similes ceremoniæ maxima ex parte sint in ordine Missæ, Item cantiones Latinæ, sed tamen vt Germanicæ ad docendum populum simul tolerentur ac vrgeantur.

De Sacerdotum obedientia Episcopis reddenda, vt Episcopi ordinent, si modò doctrinam non persequantur, ac neminem impijs iuramentis aut oneribus obstringant, &c. Nam hic ordo, vt Episcopi Sacerdotibus, tanquam Superintendentes, præficerentur, multas iustas & graues causas habuit. Sacerdotes enim Superattendentes habere oportet, & politici gubernatores regiminis Ecclesiastici rationem diu habere non poterunt. Sumtus etiam magni fiunt, & Episcopi suos reditus ideo habent, vt illa curent. Neq; decet nos talem ordinem gubernationis, qui ab initio in Ecclesia fuit, sine graui causa conuellere & labefactare: Periculosum enim est coram Deo politias mediocriter constitutas diuellere. Etsi enim Papa Antichristus sit, tamen sub illo, tanquam sub Turca, esse possumus, modò doctrinam puram, & liberam seruemus, sicut Iudæi sub Caipha fuerunt.

De Iurisdictione in causis matrimonialibus cognoscendis, Item de Excommunicatione tantùm in manifestis delictis, non in causis ad politica Iudicia pertinentibus non necesse est nunc disputationes mouere, quousq; obedientia & Iurisdictio se extendere debeat. Nam de his in Tractatione agendum est. Quòd si doctrina pura manebit: modus inueniri facilè potest.

Quòd autem Principes conqueruntur quasdam causas ad eorum Iudicia pertinentes in Episcoporum Iudicia pertrahi: fortassis penes Principes olim culpa fuit, & occurri his deinceps poterit.

Item si Magistratus manifesta delicta puniat, Officiales excommunicatione sua nõ multum lucrabuntur, sicuti Principes etiam officij ratione punire debent. Negligẽtia Principum auxit potentiam Episcoporum.

De discrimine ciborum, ieiunijs, &c. si in his libertatem concedi peteretur, nec tamen obtineri posset: non magnopere dimicandum esse cogitamus.

De

De Monasticis & alijs Ecclesiasticis bonis, quod Cæsar Ecclesiæ vtile esse iudicabit, idem Principes quoq; se facturos esse offerant.

Hoc modo vtraque parte, suorum Theologorum consilijs & sententijs instructa, tandem die 16. Augusti colloquium inter quatuordecim Delectos vtrinque ad media concordiæ quærenda, inchoatum est. Ex quibus Pontificij fuerunt, Episcopus Augustanus, Christophorus Stadion, Dux Brunsuicensis Henricus, & post abitum eius, Dux Saxoniæ Georgius, Cancellarius Colonienſis, Cancellarius Badensis, D. Iohannes Eccius, Ordinarius Ingolstadiensis, D. Conradus Vuimpina, Ordinarius Francofordiensis, D. Iohannes Cocleus, Præpositus Ecclesiæ S. Seueri Erfordiensis. Inter hos Cancellario Badensi, D. Veho, proponendi ac dicendi partes datæ fuerunt.

Ex Protestantibus delecti sunt, Dux Saxoniæ Iohannes Fridericus, Electoris Filius, Marchio Brandeburgensis Georgius, Doctor Gregorius Bruck, Pontanus, Doct. Heller, M. Philippus Melanthon, M. Iohannes Brentius, M. Erhardus Sneppius. Ac Doctori Pontano dicendi & proponendi labor iniunctus fuit.

Initio autem Acta totius Colloqvii, sicut ad omnes Imperij ordines à Delectis Pontificijs summatim die 22. Augusti relata sunt, præmittemus. Deinde formulas Concordiæ vtrinq; propositas, & Iudicia de his Lutheri & aliorum adiungemus. Etsi enim quædam de nostrorum concessionibus, à Pontificijs secus narrata sunt: tamen summa & series totius actionis inde perspici poterit, & Correctio Relationis in fine à nostris addita, veritatem clarè demonstrabit.

SVMMA

SVMMA TRACTATVS, AD CONCORDANDVM FIDEI CAVSAM INSTITVTI: AD QVEM PERAGENDVM EX vtraque parte septem personæ deputatæ fuerunt,

DVO PRINCIPES, TRES THEOLOGI ET duo Canonistæ.

COeptum est itaque negocium illud 16. Augusti post meridiem, hora secunda, vbi deputati à communibus Imperij statibus, in prologo alios de quinque punctis admonuerunt: Primò, vt tractatus iste fieret sine contentione, absque disputatione, amico partium colloquio: Secundò, vt fieret absque determinatione, siue conclusione, citra præiudiciũ, quòd omnia sint referenda ad status Imperij, & per eos ad C. Maiestatem: Tertiò, vt nihil tractaretur, quod esset vel Catholicæ fidei, vel paci communi contrarium: Quartò, vt pars aduersa velit se cõformare Cæs. Maiestatis responsioni, tanquam sacræ Scripturæ & Ecclesiæ conformi: Quintò, vt acta eiusmodi tractatus non diuulgarentur, nisi ad eos quorum interest. In hæc quinque consenserunt deputati partis alterius, quamuis de Cæs. Maiestatis responsione sibi non exhibita, nonnihil conquererentur: quæ tamen eis non denegabatur, quotiescunque opus foret. Quibus præmissis, mox eodem vespere cœptum est agi super articulis exhibitæ Confessionis ex ordine singulatim.

I. ARTICVLVS DE TRINITATE PERSONARVM, ET VNITATE essentiæ.

In hoc Articulo concordant omnes, & rectè damnant Manichæos, Valentinianos, Arrianos, Simonianos, Mahometistas, Samosatenos veteres & neotericos.

II. ARTICVLVS DE PECCATO ORIGINALI.

In hoc quoque concordant, & rectè damnant Pelagianos & alios,

alios, vtpotè Zuuinglianos & Anabaptistas, qui peccatum originale negant: Discordabant autem definitione peccati Originalis. Lutherani, suam sententiam nostræ conformantes, dixerunt: Peccatum Originale esse carentiam iustitiæ Originalis: cuius sanè peccati culpa tollatur per Baptismum, fomes autem & concupiscentia in homine remaneat.

III. DE DVABVS NATVRIS IN CHRISTO.

Concordant, vt habetur in symbolo Apostolorum.

IIII. DE FIDE.

Cùm de Fide iustificante ageretur, noluimus admittere, nos SOLA Fide iustificari, quia id Apostolus Iacobus quoque non admittit: vnde concordatum est, vt dicatur, Nos fide iustificari, sed non sola fide, quia id nulla scriptura habet, sed potiùs contrarium. Omissa itaque voce Sola, concordatum est, quòd Iustificatio seu remissio peccatorum fiat per gratiam, gratum facientem, & fidem formaliter: per verbum & sacramentum instrumentaliter.

V. DE VERBO ET SACRAMENTORVM MINISTERIO.

Concordant, & rectè damnant Anabaptistas, qui verbum externum contemnunt.

VI. DE BONIS OPERIBVS.

Concordant, quòd oporteat bona opera à Deo mandata facere. Sed correctum est, ne dicatur solam fidem iustificare, vt suprà Articul. IIII.

VII. DE ECCLESIA.

Concordant, & fatentur, in Ecclesia esse in hac vita non solùm sanctos, sed etiam malos & peccatores.

VIII. DE

VIII. DE MINISTERIO MALORVM IN ECCLESIA.

Concordant, quòd etiam mali possunt administrare sacramenta, & rectè damnant Donatistas & similes, qui negabant licere vti ministerio malorum in Ecclesia.

IX. DE BAPTISMO.

Concordant, & rectè improbant Anabaptistas, qui improbant baptismum puerorum, & affirmant sine baptismo pueros saluos fieri.

X. DE VENERABILI SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

Concordant, quòd corpus & sanguis Domini verè adsint: & promeliori declaratione additum est, verè & realiter, teutonicè, wesentlich.

XI. DE CONFESSIONE.

Hic articulus remissus est ad secundum articulum infrà de Abusibus.

XII. DE PARTIBVS POENITENTIAE.

Post longam disceptationem cõcordârunt nobiscum in hæc verba: Non recusamus tres partes pœnitentiæ ponere, scilicet: Cõtritionem, quæ significat terrores incussos conscientiæ agnito peccato: Confessionem: Sed in hac parte respicere oportet Absolutionem, & illi credere. Non enim remittitur peccatum, nisi credatur, quòd propter meritum passionis Christi remittatur. Tertia pars est Satisfactio, videlicet digni fructus pœnitentiæ: sed propter satisfactiones concorditer sentimus non remitti peccata: quoad culpam. Verùm de hoc nondum conuenit, vtrùm necessariæ sint satisfactiones ad remissionem peccati, quoad pœnam. Rectè autem damnant hîc Anabaptistas & Nouatianos.

XIII. DE VSV SACRAMENTORVM.

Concordant, quòd sacramenta instituta sunt non modò ut sint notæ professionis inter homines, sed magis vt sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos.

XIIII. DE ORDINE ECCLESIASTICO.

Hic remissus est ad articulum 7. infrà de Abusibus.

XV. DE RITIBVS ECCLESIASTICIS.

Hic articulus remissus est ad articulum 5. 6. & 7. infrà de abusibus.

XVI. DE MAGISTRATIBVS ET POTESTATE SECVLARI.

Concordant, & rectè damnant Anabaptistas, qui ciuilia officia interdicunt Christianis.

XVII. DE EXTREMO IVDICIO.

Concordant, & iure damnant Anabaptistas, qui damnatis finem pœnarum futurum esse putant.

XVIII. DE LIBERO ARBITRIO.

Concordant, quòd liberum arbitrium habet homo, sed sine gratia Dei, iustificationem operari non potest.

XIX. DE CAVSA PECCATI.

Concordant, quòd causa peccati est voluntas malorum, ut diaboli & impiorum.

XX. DE FIDE ET OPERIBVS.

Concordant in hoc, quòd oporteat nos bona opera facere, quòd sint ad salutem necessaria: & quòd opera bona, quæ ex fide & gratia fiunt, apprimè Deo placeant, & quòd ex promissione Dei remune-

munerentur. Cæterùm an opera nostra sint meritoria, & quatenus in eis confidendum sit, non concordant.

XXI. DE CVLTV SANCTORVM.

Concordant primò, quòd omnes sancti & angeli in cœlo apud Deum pro nobis intercedant. Secundò, quòd sanctorum memoria & festa, in quibus Deum oramus, vt nobis intercessiones sanctorum prosint, piè & rectè obseruantur. An verò Sancti à nobis inuocandi sint, non satis concordant: dicunt quidem se id non prohibere. Cùm autem Scriptura non doceat inuocare sanctos, ipsi nolunt inuocare, tum quia Scriptura non docet, tum quia abusus periculosus ipsis videtur.

SVMMA PRIMAE PARTIS CONFESSIONIS PRINCIPVM.

Prima pars Confessionis complectitur articulos 21. in quibus concordant nobiscum, in quindecim quidem per omnia, in alijs autem ex parte. Tres enim infrà remissi sunt ad abusus, nempe vndecimus, decimus quartus, & decimus quintus. Tres item ex parte discordant, nempe duodecimus, vigesimus & vigesimus primus.

Concordant: I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. IX. X. XIII. XVI. XVII. XVIII. XIX.

Remissi sunt infrà: XI. XIIII. XV.

Ex parte discordant: XII. XX. XXI.

SECVNDA PARS CONFESSIONIS DE ABVSIBVS, HABET VII. ARTICVLOS.

Die 18. Augusti variè, multumque disceptatum est de modo agendi super reliquis septem articulis: conuentum est tandem, vt ex ordine ageretur de omnibus, sed non seorsim & sigillatim, sicut priùs, sed de omnibus simul. Maluissent Catholici de posterioribus primùm agere, verentes, ne de vtraque specie mox spargeretur rumor ad populum. Lutheranis autem renitentibus cœperunt Catholici in scriptis moderamen proponere, ea tamen protestatione, vt nihil determinarent neque concluderent, sed ad status atque Cæs. Maiestatem omnia referrent. Primùm igitur de vtraque specie actum est in hunc modum.

ARTICVLVS PRIMVS DE VTRAQVE SPECIE SACRAMENTI.

MOderamen Catholicorum die 19. Augusti, vt permissione Sedis Apostolicæ aut eius legati, consentiente C.M. tanquam supremo Ecclesiæ aduocato, permitteretur Lutheranis populis vtraque species sacramenti, sub his ferè conditionibus:

I.

Vt eorum Parochi suis tantùm Parochianis, & in ijs tantùm locis, vbi iam aliquot annis consuetudo ista inualuit, vtramq; speciem darent.

II.

Vt id fieret confessione præuia, iuxta consuetudinem antiquam.

III.

Vt tempore Paschali, & quandocunq; hoc sacramentũ communica-

municaretur, docerent populum, non esse præceptum Dei vtramque speciem sumere.

IIII.

Vt docerent, Christum totum sub altera specie tantùm, non minùs quàm sub vtraque & esse & sumi.

V.

Vt prædicarent eos non peccare, qui sub altera tantùm specie communicant.

VI.

Vt subditis suis alteram tantùm speciem petentibus illam darent, aut dari procurarent.

VII.

Vt speciem vini non reseruarent, non deferrent ad infirmos per plateas, sed in Ecclesia aut in domo, sub missarum celebratione, vtramque speciem petentibus darent.

SEQVITVR RESPONSIO PARTIS ADVERSAE, DIE XX. AVGVSTI.

VOlunt vt Sacramentum sumatur confessione præuia: Volunt vt Parochi & Concionatores pacificè de his loquantur, vsque ad vlteriorem discussionem in Concilio: Fatentur item totum corpus Christi sub specie panis esse: Negant hactenus vlli à se prohibitum fuisse sacramentum sub vna specie sumere, vbicunq; habere potuit: Negant apud se speciem vini in vasis fuisse aut reseruatam, aut ad infirmos deportatam: Volunt denique in honore apud se haberi venerabile sacramentum, sicut hactenus.

Cùm deinde Catholici obscuriora quædam verba eorum peterent declarari, post longum hunc tractatum die 21. Augusti responderunt Lutherani, declarantes, confessionē præuiam à quolibet communicaturo fieri debere super maioribus punctis, quibus oneratam habeat conscientiam, vt petat super ijs consilium & con-

solationem. Secundò declararunt, se credere totum Christum, corpus & sanguinem eius, Deum verum & hominem esse sub vtraque specie, atque etiam sub vtralibet; aut altera verè esse. Tertiò declararunt inter disputandum, quòd non damnent eos, qui olim vnam tantùm speciem sumserunt, aut hodie sumunt: neq; item credant vnam speciem tantùm sumentes iniquè agere: nolint tamen id fuis prædicandum esse. Et tantùm de vtraque specie inter illos septem & septem actitatum est. Ex quibus liquet, non magnam fuisse hac dere inter partes discordiam. Nam in his tantùm discordant à nobis, quòd, licet credant, sicut nos, non peccare eos, qui vnam speciem sumunt, nolunt tamen vt id suis prædicetur: cumque fateantur sub vna specie totum Christum verè esse, contendunt tamen præceptum esse Christi, non modò Presbyteris, sed & laicis datum vtramque sumere: quia dixit: Bibite ex hoc omnes. Nos autem respondimus ex Marco, Et biberunt ex eo omnes, vt intelligatur clarè, illud ad discipulos duodecim, qui cum eo discumbebant, dictum fuisse. Nisi igitur obsisteret pertinacia, facilè posset hac de re concordari.

II. ARTICVLVS DE CONIVGIO SACERDOTVM.

CAtholici propter bonum pacis hæc media in scripturis posuerunt: Quamuis eiusmodi sacerdotes propter votum & sacros ordines, quos voluntariè susceperunt, non potuerunt legitimum inire coniugium, ad parcendum tamen seductis mulierculis, nutriendisque prolibus, atque ad euitanda scandala, aliasque ob causas tolerarentur ij sacerdotes, qui de facto contraxerunt, vsque ad futurum concilium, absque tamen corroboratione aut approbatione, sub his sanè conditionibus.

I.

Vt in ijs tantùm locis tolerarentur, vbi iam aliquot annis consuetudo fuit.

II.

Vt de cæteroante Concilij determinationem nullus sacerdotum

dotum contraheret; qui autem contraheret, ab officio & beneficio depositus proscriberetur, aut alias lueret pœnas.

III.

Vt, si qui ex coniugatis de facto, à cœpto resilire, & ad cœlibatum redire velint, non prohiberentur, sed foret eis liberum, atque obtenta absolutione, in officio & beneficio permanerent.

IIII.

Vt daretur opera, quatenus in ijs locis, præsertim in parochijs, vbi nunc coniugati sunt, quamprimum fieri queat, alij, qui cœlibes sunt, in locum eorum promouerentur.

V.

Vt coniugati statim ab officio & beneficio suspenderentur, nisi à sede Apostolica aut eius legato tolerantiam in officij aut beneficij sui ministerio obtinerent. Adiectum præterea fuit, vt concubinatus sacerdotum prorsus tollatur, & ab ordinarijs vlterius non toleraretur. Denique in Concilio proponatur, an expediat de cætero coniugatos ad sacerdotium admittere, sicut olim aliquot seculis factum est.

RESPONSIO PARTIS IN SCRIPTIS TRADITA.

PRimò remiserunt nos ad scripta suæ confessionis, vbi putant se habere iustas causas approbandi coniugia sacerdotum. Secundò, prætenderunt scandala fornicantium sacerdotum, propter quæ admiserunt illis coniugia. Tertiò, dixerunt donum castitatis paucis dari: idcirco post obitum coniugatorum sacerdotum rursus coniugatos in locum eorum susceptaros esse. Quartò, suam sententiam ex his confirmauerunt, quæ nos in fine de concubinatu & de futuro concilio vltrò adieceramus.

De hac materia nihil ampliùs tractatum fuit inter illos septem & septem, quia maior erat discordia hîc quàm suprà, de vtraque specie. Relinquebantur igitur ad status Imperij & ad Cæs. M. referenda. Cæterùm ad argumenta confessionis eorum satis dictum est in responsione C. M. Et concubinatus scandala frustra nobis obijciunt, cùm vltrò promitteremus ea tollenda esse. De dono autem castitatis nimis modicæ sunt fidei, quia non credunt illud cuilibet, qui rectè à Deo petit, dari posse, cùm Christus dicat: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; petite & accipietis.

III. ARTICVLVS DE MISSA.

PEtierunt Catholici, vt tam publicæ, quàm priuatæ missæ celebrentur consuetis festis, super altare, cum inclusione vtriusque Canonis, minoris scilicet ac maioris, sicut hactenus in tota Catholica obseruatum est Ecclesia. Et ne verbaliter oriretur contentio super his verbis, oblatio, hostia, sacrificium, hanc adiunxerunt distinctionem triplicis oblationis: nempe, quòd Christus oblatus est in agno Paschali Veteris Testamenti figuraliter seu typicè, in cruce autem passibiliter, vbi seipsum obtulit Deo Patri pro peccatis nostris: Porrò in missa quotidie offertur mysterialiter & repræsentatiuè, in memoriam suæ passionis & oblationis in cruce semel factæ. Est ergò missa non reuera victima, sed mysterialis & repræsentatiua.

RESPONSIO PARTIS ADVERSAE IN SCRIPTIS DATA.

VOlunt vt Missæ celebrentur in consuetis vestibus Ecclesiasticis: cumque hactenus in terris eorum sint celebratæ (vt affirmant) in suis substantialibus consuetisq; ceremonijs, honorificè, iuxta institutionem Christi, volunt vt deinceps debito quoque honore celebrentur. Cùm autem Catholici peterent ampliorē declarationem, de vtroque Canone, & de Missis priuatis, in scripto nihil responderunt; inter disceptandum verò interrogati, cur sacrum canonem non acceptarent, tres obtendebant causas: Primò, quia dicimus mortale committi peccatum, si in missa omittatur: Secundò, quia

dò, quia affirmant sacrificium missæ: Tertiò, quia inuocantur in eo Sancti. Ad hos breuiter & catholicè responsum est: Primò, licet verè peccatum sit mortale, Canonem omittere tamen id in Canone non habetur. Secundò, sacrificium mysteriale & repræsentatiuum nec ipsi negare possunt. Tertiò, sancti non inuocantur in canone, sed commemorantur. Ipsimet verò comprobauerunt suprà nobiscum sanctorum commemorationes & memorias. Non est igitur magna super hoc articulo discordia: pertinaciter tamen eijciunt & Canonem & Missam priuatam, licet nullam habeant causam iustam.

IIII. DE CONFESSIONE.

DE Confessione Catholici nihil in scriptis seorsim & specialiter proposuerunt, quia bis fuit antea de ea mentio & deliberatio facta, nempe articulo XII. circa partes Pœnitentiæ, & postea circa communicationem vtriusque speciei. Pars verò aduersa specialiter de ea mentionem fecit in scriptis, quę Catholicis tradidit, cum maiore declaratione, quæ in confessione habetur. Tria igitur adiecerunt: Primum, non omittendam esse confessionem, propter ingentem ex absolutione consolationem. Secundum, vt inde sciatur, quàm sublimis & salutaris clauium potestas. Tertium, vt populus assuefiat sua confiteri peccata, remitti etiam ea quę non numerantur. De his itaque amplius inter partes disceptare non erat necessarium.

V. ARTICVLVS DE DISCRIMINE CIBORVM.

CAtholici generaliter in scriptis petierunt, vt in ieiunijs, festis, confessionibus, precibus, processionibus, ceremonijs, ciborum temporumque discriminibus, alijsque id genus hactenus obseruatis consuetudinibus & sacramentorum administrationibus, ab Electore Saxoniæ aliisque Principibus & illis adhærentibus, omnia obseruentur, sicut in catholica Ecclesia consuetū est, & ab antiquo apud eos in vsu fuit. Ad hæc, pars aduersa specialiter per duos titulos in scriptis respondit, primò de ceremonijs, secundò de diebus

festis. Dicunt itaque primò, generales ceremonias charitatis gratia obseruandas, propter pacem & vnitatem Ecclesiæ, attamen sine conscientiæ grauamine, vt non reputentur pro necessarijs Dei cultibus, sed vt omnia ordinatè fiant, pacis & charitatis gratia. Secundò volunt, vt subsequentibus diebus non vescamur carnibus publicè, nempe diebus quatuor temporum, & omni sexta feria, & sabbato, in vigilia natiuitatis Domini, vigilia Pentecostes, vigilia Iohannis Baptistæ, vigilia omnium Sanctorum. Tertiò queruntur de prolixitate quadragesimæ, quam potiùs in diuersa tempora diuidi velint. Volunt tamen, vt sui eo tempore cæteris Ecclesijs, quantum possibile fuerit, conformes sint in ceremonijs, canticis, Euangelijs & Epistolis: nolunt præterea suis permittere, vt eo tempore carnes publicè vendantur.

De festis volunt, primò, vt consueta festa obseruentur, vt populus maneat in consuetudine audiendi verbum Dei, percipiendique, pro necessitate conscientiarum, Sacramenta. Secundo, vt nominatim seruentur hæc festa:

Omnes dies Dominici.
Natalis Christi, S. Stephani, S. Iohannis, Apostoli & Euangelistæ.
Circumcisio Domini.
Epiphania.
Septimana sancta propter celebrandam Passionem Domini.
Dies Paschæ, adiunctis duabus ferijs, 2. 3.
Ascensio Christi.
Pentecoste simul cum 2. & 3. ferijs.
Præcipua festa intemeratæ virginis & Dei genitricis Mariæ.
Festa omnium Apostolorum.
Michaëlis: & omnium sanctorum. Tertiò, vt hisce diebus seruentur consueta cantica, officia & lectiones ex scriptura. Quartò, vt litania in diebus rogationum propter populum ad cultum Dei adhortandum legatur.

VI. AR-

VI. ARTICVLVS DE VOTIS MONASTICIS.

Hic petierunt in scriptis Catholici;

Primò, Vt omnia monasteria in terris eorum, quæ nondum desolata sunt, in antiquo cultu & ordine suo permaneant:

Secundò, Vt visitatio, obedientia & electio Prælatorum eis quietè sine impedimento dimittatur:

Tertiò, Vt nemo prohibeatur aut absterreatur in monasterium vel à nouo ingredi, vel post apostasiam reuerti:

Quartò, Vt à viæ vexatione protegantur monastici, in personis & bonis suis, vsque ad definitionem futuri Concilij:

Quintò, Vt apostatæ, qui absq; legitima licentia egressi sunt, in monasteria reuertantur, & nusquam in terris eorum tolerentur, nisi obtenta desuper licentia ab Ecclesiasticis & superioribus suis:

Sextò, Ne prælati eorum ad agendum ordinariè contra tales prohibeantur: attenta tamen eorum multitudine, non aliæ in eis pœnæ intendi debeant, nisi iuncta quædam pœnitentia: qui autem posthac exierint absque ordinaria licentia, puniri debeant iuxta legum canonumque præscriptum: neque in hoc impediri debeant eorum Prælati.

Septimò, Vt monasteria desolata iterum à monasticis possideantur. Quòd si monachi & moniales haberi non possunt, bona & census eiusmodi monasteriorum reseruentur per deputatas personas, à prælato proximo illius ordinis & loci, vsque ad futurum concilium, & non conuertantur in proprium commodum secularis potestatis. Quamprimum verò à monasticis rursus possidentur, omnes census & fructus illis reddantur, sicut antea.

RESPONSIO PARTIS ADVERSAE DE MONASTICIS.

PRimò, referunt se ad ea, quæ super ijs in sua confessione exhibuerunt. Secundò, volunt ijs monachis & monialibus, qui adhuc apud eos in monasterijs degunt, ante definitionem Concilij liberum esse iuxta conscientiam ipsorum, ad manendum intus, siue ad exeundum foras. Tertiò, volunt monasticas personas quietas in sua conuersatione, vestitu & ceremonijs dimittere. Quartò, volunt omnem vim, quantum possibile est, ab eiusmodi personis arcere,

cere, &, ne vllo modo vis eis vlla inferatur, prohibere. Quintò volunt, vt bona & census desolatorum monasteriorum permaneant in manibus secularis potestatis, ad sustentandum personas, quæ modò exierint, & prædicatores & parochias & scholas vsque ad futurum Concilium.

VII. DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

CAtholici hîc generaliter petierunt, vt Episcopalis potestas & Iurisdictio in terris eorum salua Episcopis permaneat: Quantum verò ad abusus & grauamina pertinet, conforment se ipsi Principes cæteris Imperij statibus, cum quibus consultent super ijs, &, quæ concluſa fuerint, acceptent. Si quid autem dissidij specialiter habeant contra Archiepiscopos, Episcopos, vel Prælatos, siue ad Iurisdictionem, siue ad aliquid aliud spectet, per hunc tractatum nõ ibi patiantur præiudicium.

RESPONSIO PARTIS ADVERSAE.

ASsentiuntur primò, vt regimen & potestas Episcopalis manu teneatur: attamen per hoc nolunt iustificasse Episcoporum abusus, quòd negligentes sunt circa prædicationes, & Sacramentorum administrationes, circa ordinationes, & vitam presbyterorum, circa abusum excommunicationis.

Secundò volũt procurare, vt Episcopis debita exhibeatur obedientia, nempe vt Parochi & prędicatores eorũ, ordinarijs locorum præsentẽtur, vt Episcopis corrigere liceat excessus presbyterorum.

Tertiò, vt Ecclesiastica Iurisdictio in causis, quæ ad forum Ecclesiasticum pertinent, non impediatur. De causis autem pecuniarijs, putant reliquos status in abusibus mentionem facturos esse, quibus se propter promouendam pacem vsque ad futurum Concilium conformare volunt.

Quartò, vt Episcopalis excommunicatio in causis ad Ecclesiasticam Iurisdictionem pertinentibus non impediatur, si iuxta sacræ Scripturæ dictamen exerceatur.

Hæc

Hæc omnia, vt acta sunt, die 22. Augusti, à deputatis Catholicorum ad Electores, aliósque Principes & status sacri Romani Imperij relata, & publicè recitata sunt.

CORRECTIO RELATIONIS.

IN quibusdam locis in relatione, non sunt recitatæ disputationes integræ: quæ res prægrauat nos multipliciter, & reddit totam causam obscuriorem.

In exordio narrant nos consensisse inter cætera in hoc quoque, quod petitum est, vt conformemus nos Cæsareæ Maiestatis responsioni, tanquam sacræ Scripturæ atque Ecclesiæ conformi. De hoc articulo apertè conquesti sumus, quòd non possumus nos conformare illi responsioni, præsertim cùm eam non viderimus.

DE IVSTIFICATIONE.

IN quarto articulo, de Fide iustificante, narrant concordatum esse, vt dicatur: Quòd Fide iustificemur, sed non sola Fide, quia id nulla scriptura habeat, sed potiùs contrarium. Nos verò non concessimus, quòd scriptura non habeat hoc, quòd sola fide iustificemur, aut quòd contrarium habeat: Imò manifestè reclamauimus, allegatis locis Pauli, Rom. 3. Absque operibus, & Eph. 2. Donum Dei est, & non ex operibus.

Deinde post longam disputationem concesserunt aduersarij, quòd remissio peccatorum contingat, neque propter præcedentia, neque propter sequentia opera aut merita.

Item dixerunt eam per Fidem contingere: Et addiderunt, per gratiam gratum facientem: addiderunt & sacramenta.

Hoc concesso, diximus nos non excludere gratiam & sacramenta per vocabulum Sola, sed excludere opera. Quod si fatentur remissionem peccatorum contingere per fidem, non propter merita præcedentia aut sequentia, nos de verbo SOLA non rixaturos esse: & adiecta est additio ad nostrum articulum, quod fateamur remissio-

remissionem peccatorum contingere per gratiam gratum facientem & fidem formaliter, per Verbum & Sacramenta instrumentaliter. Hanc seriem rei gestæ Principes vtriusq; partis meminerunt.

De Inuocatione Sanctorum testatur Chirographum D. Cancellarij Badensis, quòd vtraque pars consenserit, non extare in sacra Scriptura præceptum de Inuocatione Sanctorum.

IN SECVNDA PARTE.

NArrant nos concessisse, quòd debeat fieri confessio priuata à quolibet cõmunicaturo, super maioribus punctis. Nos nunquam fecimus necessariam enumerationem delictorum. Quid autem concesserimus de Confessione, patet ex scriptis exhibitis.

DE VTRAQVE SPECIE.

POstea, de vtraque specie, non recitatur, quomodo excusauerimus vna specie vtentes. Et in tanta breuitate odiosè ponitur, quòd nolimus docere, quòd non peccent vnam speciem sumentes. Hæc qui sic legit nudè posita, cogitat nos probare ordinationem de vtraque specie, & tamen odio alterius partis, aut propter alias cupiditates, nolle hoc in concionibus publicis fateri.

Nos verò multis verbis, adhæc scripto quoque ostendimus, quomodo excusemus sumentes vnam speciem propter necessitatem, quæ multiplex & varia est.

Interim non probauimus prohibitionem alterius speciei. Neque verò grauamur sic docere, vt excusemus Ecclesiam, & tamen prohibitionem alterius speciei non approbemus, &c. Atq; ita semper scripserunt & docuerunt nostri, excusantes Ecclesiam, ne piorum conscientias onerarent.

DE

DE COELIBATV.

ODiosè ponuntur hæc verba: **De bono autem castitatis nimis modicæ sunt fidei, quòd non credunt illud cuilibet, qui rectè à Deo petit, dari posse.** Nos verò non negamus dari posse; sed ita respondimus, quòd Deus proposuerit remedium, quo debeant vti isti, quibus non contingit donum castitatis. Quia ipse Christus testatur, non omnibus hoc donum contingere. Est autem tentare Deum, si desit donum, nolle vti ordinatione Dei. Deus sine cibo potest vitam hominis conseruare, Interim tamen si non ita conseruet, vult illum vti cibo. Hîc igitur planè desideratur candor in relatione.

DE MISSA PRIVATA.

DE Missa priuata, nunquam fuerunt agitatę causę, quare non probemus eas: Ideò & hoc inciuiliter asscripserunt, quòd pertinaciter missas priuatas & Canonem reijciamus, licet nullam habeamus causam iustam.

Nos autem habemus multas causas grauissimas, quare non possimus approbare Missas priuatas, & quandam partem Canonis.

Exposuimus autem & in Confessione, & postea apud hos, qui electi sunt ad media concordiæ quærenda, quòd missam summa reuerentia celebremus. Et seruantur substantialia, quæ ad consecrationem pertinent: Seruantur & vsitatæ ceremoniæ reliquæ, & vestitus consuetus. Sed fit missa communis, vbi aliquibus de populo priùs exploratis, religiosè porrigitur Sacramentum.

Cæterum priuatas missas, quæ solebant haberi cum hac opinione, quòd applicatæ pro alijs mereantur gratiam ex opere operato, non probamus. Constat enim, quòd applicatio illa pugnat cum iusticia Fidei.

Nam si missa hoc modo applicata, meretur gratiam ex opere operato, sequitur, iusticiam esse non ex fide, sed ex operibus. Item, si nunc primùm in missa fit oblatio pro peccato, ad quid profuit mors Christi? An non satis digna erat mors Christi, vt satisfaceret pro omnibus peccatis? Legimus autem ad Hebræos: Vna oblatione consummauit sanctos. Quare præter illam non est requirenda alia oblatio, quæ satisfaciat pro peccatis.

Item

Item Christus inquit: Facite in mei memoriam. Quare Sacramentum institutum est, vt per ipsum commonefacti recordemur beneficiorum, quæ in Nouo Testamento nobis donata sunt, videlicet remissionis peccatorum.

Quomodo autem mortuis prodest Sacramentum, cùm non possit in eis per Sacerdotes excitari recordatio?

Hæ atque aliæ multæ rationes mouent nos, vt applicationem missarum non probemus. Et videmus quantum abusum habeat res. Maxima pars inuiti celebrant, & celebrant ventris causa, cùm Paulus horribiliter minatus sit his, qui abutuntur hoc Sacramento. Quare Episcopi meritò debebant huic tanto abusui remedia quærere.

Et quia quædam pars Canonis applicationem continet, quæ manifestè pugnat cum iusticia Fidei, periculosum est eam Canonis partem legere.

Vt autem tota prior Narratio Colloquij, de conciliatione controuersorum dogmatum, & medijs concordiæ restituendæ ab vtriusque partis deputatis, instituti plenius intelligatur: FORMVLAS CONCORDIAE vtrinque propositas, adscribam.

MEDIA

MEDIA RESTITVENDAE CONCORDIAE, SINE VLLIVS PRAEIVDICIO, ET SINE DETERMINATIONE, SALVA potestate referendi singula ad Electores, Principes & communes status Imperij: & salua ratificatione Cæsareæ Maiestatis, Domini nostri clementissimi, à deputatis Catholicorum proposita.

DE CATHOLICÆ ECCLESIÆ VSITATIS TRADITIONIBUS, RITIBUS & CEREMONIJS, & de potestate Episcoporum.

VT ieiunia, feriæ, confessiones, preces, processiones, ceremoniæ, ciborum temporumque discrimina, aliæq; id genus hactenus obseruatæ consuetudines, item Sacramentorum administrationes, & potestas ac iurisdictio Episcoporum, ab Elector Saxoniæ & coniunctis Principibus & statibus seruentur, sicut in Catholica Ecclesia consuetum est, & ab antiquo apud eos vsitatum fuit. Quantùm verò ad abusus & grauamina pertinet, conforment se Elector Saxoniæ & coniuncti Principes, cæteris Imperij statibus, cum quibus consultent super ijs, & quę concluſa fuerint, acceptent. Si quid autem dissidij specialiter habeant contra Archiepiscopos, Episcopos, vel Prę latos, siue ad iurisdictionem, siue ad aliquid aliud spectet, per hunc tractatum non ibi patiantur præiudicium.

DISTRIBVTIO ET SVMTIO SACRAMENTI SVB VTRAQVE SPECIE.

VT permittente Pontificia sanctitate, vel ipsius Legato, & scienteac consentiente C.M. tanquam supremo Ecclesiæ Aduocato, concedatur, vt tantùm in illis locis & Parochijs, & earundem Parochiarum subditis, vbi iam per aliquot annos Sacramentum corporis & sanguinis Christi sub vtraque specie vsurpatum est: præuia tamen con-

fessione iuxta veterem morem; deinceps etiam sub vtraque specie petentibus distribuatur aut porrigatur: additis tamen sequentibus conditionibus, vt tempore Paschali, & alioquin, dum Sacramentū distribuitur, apud ipsos quoq; doceatur & prædicatur, nō esse præcepti diuini, vt vtraq; species necessariò accipiatur, & quòd totus Christus sub altera specie, non minus sub vtraq; præsens sit & sumatur.

Item, vt Sacramentum sub vna specie panis petenti non negetur, sed iuxta receptam veterem Ecclesiæ consuetudinem singulis petentibus detur. Et quòd hæc permissio non aliter aut diutius durare debeat, quàm ad proximi cōcilij finalem determinationem.

Vt etiam per Ecclesiasticum & politicum Magistratum seriò prouideatur, ne Sacramentum corporis & sanguinis Christi contumelia afficiatur, & si quid petulanter vel indecorè à quopiam commissum fuerit, vt is per Ecclesiasticum aut politicum Magistratum seriò puniatur.

Vtq; eam ob causam species vini in vsum infirmorum, in vasis non reseruetur aut ad quempiam deferatur, sed si quispiam ita sub vtraq; specie cōmunicare velit, vt illud in Ecclesijs, aut in domibus apud ægrotos, sub Missæ officio consecretur & distribuatur. Et in honorē Sacramenti consultum esse iudicatur, vbi vtraq; species populo distribuatur, vt vini species per canalē accipiatur & vsurpetur.

DE OFFICIO MISSAE.

VT communes & priuatæ Missæ, in cōsuetis vestibus, super altaribus, cū Canone maiore, sicut hactenus in Catholica Christiana Germanę Nationis Ecclesia, & ipsorum ditionibus ab antiquo vsitatum & obseruatum fuit, deinceps etiam celebrentur.

Et quia in Maiore & Minore Canone Missæ, contentio verbalis magis quam realis de vero sensu verborum, Hostia, oblatio, Sacrificium, vel Victima, fuit, vt illa verba Christianè & verè intelligantur, quòd scilicet Christus in agno Paschali veteris testamenti figuraliter & typicè: In cruce autem seipsum passibiliter verū & viuum sacrificium, Deo Patri pro peccatis hominum obtulerit: Ita iam sacrificium Missę Mysteriale, vel in mysterijs aut repręsentatiuum, id est, Sacramētale & rememoratiuum sacrificiū quotidiè in Ecclesia obseruetur, & vsurpetur, in admonitionem & memoriā passionis, & mortis Christi.

DE

DE SACERDOTIBVS CONIVGATIS.

CVm hi propter votum & sacros ordines, quos voluntariè susceperunt, & obstantibus Ecclesiæ constitutionibus, legitimū & constans coniugium inire non potuerint: tamen vt miseris & seductis mulieribus parcatur, & liberi innocentes educari possint, & omnis generis scandala vitētur, & alijs de causis visum est, vt Sacerdotes, qui de facto contraxerunt, vsq; ad futurum Concilium, absq; tamen confirmatione aut approbatione instituti ipsorū, in ijs tantùm locis, vbi annos aliquot consuetudo fuit, tolerentur: hac tamen conditione, vt de cætero ante Concilij determinationem nullus Sacerdotum contrahat. Qui autem contrahet, ab officio & beneficio depositus proscribatur, aut aliâs puniatur. Si qui autem ex cōiugatis, à cœpto coniugio resilire, & ad cœlibatum redire velint, nō prohibeantur: sed sit eis liberum, vt etiam in beneficio & officio permaneant, Vt etiam in ijs locis, vbi coniugati sacerdotes sunt, præsertim in Parochijs, opera detur, quam primū fieri queat, vt alij, qui cœlibes sunt & manserunt, in eorum locū substituantur. Et vt coniugati statim ab officio & beneficio suspendantur, nisi à sede Apostolica aut eius Legato, tolerantiā in officij aut beneficij sui ministerio impetrent.

Simul autem deliberatum & decretum est, vt concubinarij Sacerdotes, qui multis in locis cū scandalo viuunt, prorsus tollantur, & deinceps non tolerentur: Et vt ab ordinarijs circa hanc rem nulla tolerantia concedatur. Deniq; si res postulauerit, in Concilio proponatur, an expediat de cætero, coniugatos ad sacerdotiū admittere, & ordinare, sicut olim, aliquot seculis in primitiua Ecclesia vsitatum fuit.

DE MONASTERIIS ET VOTIS MONASTICIS.

DE sequentibus medijs cogitatum est, vt vniuersa & singula Monasteria, à monachis vel monialibus inhabitata, & nondum desolata, in suo statu maneant, & ordinem cantionum, lectionum, & aliorum cultuum, & vestitum, iuxta singulorum regulas retinere sinantur,

ac vt visitatio & obedientia Prælatis, sicut ante hanc dissensionē fieri solebat, relinquatur, & si desint Prælati & Prouinciales, vt noui, sicut olim visitatum fuit, eligantur. Nemo etiam, qui regulas & ordines eorum inire cupit, aut qui in hoc dissidio egressus reuerti cupit, prohibeatur, aut absterreatur. Vt etiam aduersus violentiam & contumelias, Monastici in personis & bonis suis vsque ad definitionem futuri concilij, protegantur.

Vt personæ Monasticæ, quæ absque legitima licentia egressæ sunt, in monasteria reuertantur, aut si recusent, nusquam in illis regionibus tolerentur: nisi fortè ab Ecclesiastico Magistratu, in cuius potestate id est, indulgentiam habeant. Neque prælati ordinarie contra tales procedere prohibeantur. Considerata tamen præsenti conditione & multitudine eorum, qui iam ex monasterijs discesserunt, non aliæ in eos pœnæ grauiores statuendæ videntur, quam vt pœnitentia certa singulis imponatur.

Qui autem ex Monasterijs posthac sine ordinaria licentia exierint, hi iuxta legum Canonumq; præscriptum puniri debent, neq; in hoc aliæ pœnæ Prælatorum aut ordinariorum impediri debent.

Quæ vero monasteria prorsus desolata & vacua sunt, & requisito etiā ordinis Magistratu, personis monasticis compleri nequeunt: ea quoq; ad Concilium in præsenti statu tolerentur, ita tamen, vt bona & reditus eiusmodi monasteriorum, nō in priuatum vsum secularis Magistratus conuertantur, Sed à certis personis in singulis locis, ad hoc munus, per Prælatos ordinis & per Episcopos, deputatis, colligantur & reseruentur, donec in futuro Concilio, quomodo & quid cum illis agendum sit, definiatur.

Quamprimum autem Monasterium à personis monasticis possidebitur, omnes census & fructus illi, sicut antea, reddantur.

Et quia in hac amica tractatione quidā Articuli ad futurum Concilium reiecti sunt, necesse est, vt C.M. & alij status Imperij, propter has & alias grauissimas & necessarias causas, vt caput & membra Ecclesiæ reformentur, quamprimum re cum sedis Apostolicæ Legato communicata & concluſa de tempore & loco vniuersalis concilij in Germania indicendi & celebrandi conueniant.

AD

AD MEDIA CONCORDIAE A PONTIFICIIS PROPOSITA,

DELECTORVM A PARTE ELECTORIS SAXONIAE ET CONIVNCTORVM PRINCIPVM RESPONSIO, ITIDEM sine vllius præiudicio, & salua ratificatione cæterorum in eadem causa coniunctorum data, die 20. Augusti.

DE VENERABILI SACRAMENTO *Eucharistiæ.*

OPera dabitur, vt venerabile Sacramentum veri corporis & sanguinis Christi, iuxta exhibitam nostram confessionem, non aliter, quàm contritis & confessis, in nostris ducatibus, sicut hactenus, detur & accipiatur.

Quòd verò postulatur, vt doceamus, non esse impium vnam speciem accipere, ad id quomodo respondemus, constat.

Præterea ante sumtionem venerabilis Sacramenti populus erudiendus est, vt sciat rectum esse vtramq; speciem accipere.

Curandum autem est, vt Parochi & Concionatores tali moderatione, quæ ad pacem vtilis sit, vsque ad vlteriorem in Concilio tractationem, vtantur.

Præterea fatemur, totum corpus Christi sub specie panis esse. Attamen, quia sanctum Sacramentum sub vtraque specie institutum est, vt verba Christi clarè ostendunt; ritus iste vtramque speciem accipiendi, cum institutione Christi conuenit.

Hactenus etiam in nostris ducatibus & territorijs nemo prohibitus est, Sacramentum, vbicunque voluit, suo arbitrio vsurpare.

Diligenter etiam obseruabitur, vt venerabile Sacramentum, sicut hactenus, in honore habeatur. Et quidem (quod sine iactantia dictum volumus) inuiti aliud ferre aut tolerare vellemus. Ha-

ctenus etiam apud nos viui ſpecies in vaſis non ſeruata aut geſta. ta eſt.

DE MISSA.

MIſſæ porrò in noſtris ducatibus & territorijs hactenus in conſuetis veſtibus Eccleſiaſticis celebratæ ſunt.

Et quia Miſſæ, iuxta noſtram confeſſionem, in noſtris ducatibus & territorijs, cum ſuis ſubſtantialibus, & vſitatis ceremonijs, ſecundum inſtitutionem Chriſti honeſtè celebrantur: ideò, auxiliante Deo, opera dabitur, vt & porrò cum debita reuerentia celebrentur.

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

QVod ad Coniugium Sacerdotum attinet, in noſtra confeſſione multas fundamentales cauſas indicauimus, cur noſtrum & aliorum Eccleſiaſticorum coniugium, legitimum & Chriſtianum eſſe non dubitemus.

Ideò etiam magis concedere coniugium Sacerdotum coacti ſumus, quòd multiplicem ingentem & maximè vulgarem abuſum & fornicationes Eccleſiaſticorum antea vidimus & experti ſumus. Cùm igitur ex ijs, quæ hactenus comperimus, & in multis locis adhuc ob oculos ſunt, omnibus appareat: paucos Eccleſiaſticos ſummum & diuinum caſtitatis donum habere, & tales Eccleſiaſtici, qui vitam inhoneſtam & impudicam agunt, à nobis tolerari non debeant: cogitandum relinquimus, an in noſtra parte, poſt mortem præſentium ſacerdotum coniugatorum, non alios coniugatos ſacerdotes vocare, nobis tolerabile ſit: & quomodo tot paſtores & concionatores doctos ac eruditos, donum caſtitatis habentes, qui ad conſtitutionem noſtrarum Eccleſiarum, in noſtris ducatibus & territorijs ſufficiant, inuenire poſſimus: cùm vos ipſi in tranſmiſſis medijs indicetis, vos ſacerdotes concubinarios, prorſus amoturos, & per ordinarios nullam tolerantiam ipſis ampliùs conceſſum iri: Et vos ipſi expendatis, vtile fore, ſi in futuro Con-

ro Concilio proponatur, vt coniugati ad sacerdotium admitti possint, sicut olim in primitiua Ecclesia aliquot seculis vsitatum fuit.

DE VOTIS MONASTICIS.

QVid de votis Monasticis, in nostra confessione, pro nostra parte, indicauerimus, non ignoratis. Non igitur conuenit, vt quispiam à nobis contra illud grauetur. Quomodo autem Monachi & Moniales, in monasterijs nostrorum ducatuum & territoriorū adhuc degentes, in manendo aut exeundo se gerere debeant, velint, aut nolint: id vt ipsi in generali, libero & Christiano Concilio coram DEO defendant, ipsis despiciendum & cogitandum relinquetur, nec quicquam illorum conscientijs præscribimus.

Et quamuis Monasteria ad hanc tractationem non pertineant, omnia tamen & singula Monasteria vel à monachis vel à monialibus inhabitata, in sua conuersatione, vestitu & ceremonijs, sicut iam in singulis locis vsitatæ sunt, quieta relinquentur. Præterea, quantum fieri potest, curabitur, ne vllo modo vis aliqua aduersus allegatas personas exerceatur, aut tentetur.

Quod autem ad vacua Monasteria, quæ à monachis & monialibus non inhabitantur, attinet, illa in secularium patronorum & aduocatorum manibus porrò non mutata nec imminuta manēāt, & de reditibus, personæ, quæ ex illis exierunt, sustententur, concionatoribus quoque, pastoribus & scholis, potissimum in illis locis, vbi Ecclesiæ ex Monasterijs fuerunt constitutæ, inde alimenta ministrentur, & quod supereſt, deponatur, vsque ad Concilium & vlteriorem Christianam deliberationem & consultationem, quomodo & quibus conditionibus talia monasteria & facultates in prouincijs & locis, vbi sita sunt, ad Dei gloriam & piam liberalitatem exercendam, ordinanda sint. Tum quoque de reditibus, fructibus, censibus, debita & sufficiens ratio reddi debebit.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

SEmper iurisdictionem & potestatem Episcopalem, pro nostra parte, conseruare studemus, manifestis tamen a busibus non approbatis, quòd Episcopi non diligenter curant rectè doceri Ecclesias, & Sacramenta grauiter & piè administrari, & idoneos homines ad ministerium ordinari, & vitam presbyterorum pudicè regi, quòd excommunicatione in multis causis abutuntur. Hos & similes abusus nequaquam approbamus.

Curabitur autem vt debita obedientia Episcopis exhibeatur & conseruetur, nempè vt Parochi & prædicatores nostri Ordinarijs locorum præsententur. Item si Presbyter excessum reprehensione dignum commiserit, eum Ordinario, vi Episcopalis potestatis, sine vllo impedimento, corrigere licebit.

Item Ecclesiastica Iurisdictio Episcoporum, in causis quæ ad forum Ecclesiasticum pertinent, non impedietur. Quòd enim quædam causæ ad Ecclesiasticam Iurisdictionem, illuc non pertinentes, vt pecuniaria negotia, &c. pertractæ sunt, eius rei reliquos etiam status in abusibus mentionem fecisse arbitramur. Hac etiam in parte, communis pacis causa, vsque ad sæpius nominatum commune, Christianum, liberum Concilium, alijs statibus nos conformabimus. Item Episcopalis Excommunicatio in causis ad Ecclesiasticam Iurisdictionem pertinentibus non impedietur, si iuxta sacram Scripturam exerceatur.

DE CEREMONIIS.

SEquentes etiam communes ceremoniæ caritatis gratia obseruari & retineri debēt, vt similitudo ad pacem & concordiam Ecclesiæ vtilis seruetur: Attamen nullius conscientiam hac in parte onerare volumus, quòd tales ceremoniæ velut necessarij DEI cultus seruandi sint, sed vt omnia ordine fiant, pacis & caritatis gratia.

Nempè sequentibus statutis temporibus publicè carnes ad vescen-

vescendum non apponantur: Diebus quatuor temporum: Omni feria sexta & sabbatho: In vigilia Natiuitatis Domini: In vigilia Pentecostes: In vigilia Ioannis Baptistæ: In vigilia omnium Sanctorum.

Quod ad quadragesimæ obseruationem in nostris prouincijs & territorijs attinet, meritò consideratur, quàm onerosum & graue hactenus fuerit, pauperibus præsertim in vulgo, continuos illos 40. dies, ieiunare: ac scimus sæpissimè factam esse mentionem, & à multis probatum esse, vt ieiunium in diuersa tempora anni distribuatur. Hac igitur in parte pauperum ratio habenda est. Nihilo minus tamen nostra pars, quantum possibile fuerit, cæteris Ecclesijs se conformare, & ceremonias, cantica, Euangelia & Epistolas eo tempore, sicut in cæteris Ecclesijs canere, legere & concionari debebit. Nec carnes publicè vendi quadragesimæ tempore concedetur.

Consueta etiam festa, sicut hactenus factum, obseruabuntur, vt populus maneat in consuetudine verbum DEI & concionesaudiendi, & sacramenta, prout cuiusque conscientiæ necessitas flagitat, percipiendi.

Nominatim autem hæc festa seruari debent:
Omnes dies Dominici.
Natalis Christi.
S. Stephani dies.
S. Iohannis, Apostoli & Euangelistæ.
Circumcisio Domini.
Epiphania.
Septimana sancta propter celebrandam Passionem Domini.
Dies Paschæ, adiunctis duabus ferijs, 2. 3.
Ascensio Christi.
Pentecoste, simul cum secunda & tertia ferijs.
Præcipua festa intemeratæ virginis & matris Mariæ.
Festa omnium Apostolorum.
S. Michaëlis.
Hisce diebus etiam consueta cantica, officia & lectiones, ex Scriptura sumtæ, seruabuntur.

Similiter Litaniæ in diebus rogationum, vt populus ad inuocationem Dei exuſcitetur, celebrandæ ſunt.

DE CONFESSIONE.

COnfeſſio etiam, propter ingentem conſolationem, quam abſolutio ſecum adfert, nequaquam omitti vel abijci debet.

Expenditur etiam, ſi confeſſio prorſus omittatur, neminem amplius ſcire poſſe, quid ſublimis illa & ſalutaris clauium poteſtas ſit. Et quamuis retinendæ neceſſariæ cõſolationis conſcientiarum cauſa monendi ſunt auditores, vt ea etiam peccata, quæ non enumerantur, remitti ſciant: tamen deinceps etiam mandabitur, ſicut & hactenus factum eſt, vt, quantum poſſibile eſt, populus adſuefiat, ad indicandum eos caſus, in quibus ipſis conſilio & conſolatione inprimis opus eſt.

Præter hæc omnia, noſtra etiam pars iudicat valde neceſſarium eſſe, vt per Cæſ. Maieſtatem, Dominum noſtrum clementiſſ. de Concilio vniuerſali in Germania quamprimum celebrando, ad reformationem capitis & membrorum Eccleſiæ, clementiſſimè cogitetur.

Rogamus etiam, vt hanc noſtram indicationem, Principes & alij Delecti ad Cæſ. Maieſtatem Electores & alios Principes ſubiectiſſimè & amicè referre & promouere velint. Et offerimus nos apud huius partis ſtatus & eorum adiunctos idem facturos eſſe.

DECLA-

DECLARATIO ARTICVLORVM CONFESSIONIS.

IN primo articulo consensus est.

Quòd in secundo articulo latino dicitur, Hominem nasci sine timore Dei, & sine fide in Deum: id intelligendum est, non tantùm de infantibus, qui per ætatem has actiones exercere nequeunt, sed etiam de adultis, qui ex viribus naturalibus, timorem Dei & fidem habere non possunt. Et sic nasci sine his viribus & donis, est defectus Iustitiæ, quam ex Adam nascentes adferre debebamus.

In Germanico hæc sententia ita clarè expressa est, vt cauillari eam nemo possit: ita videlicet, quòd ex naturæ viribus Deum timere, & illi confidere non possimus. His verbis etiam adulti comprehenduntur.

De Concupiscentia sentimus, manere naturam peccati: sed reatum seu culpam per Baptismum tolli.

De tertio articulo consensus est.

Quartum, quintum & sextum articulum ita declaramus, Quòd Remissio peccatorum fiat per gratiam gratum facientem, & per fidem in nobis: Per Verbum autem & Sacramenta detur tanquam per Instrumenta.

In septimo articulo consensus est.

In VIII. articulo de Ecclesia, fatemur, Ecclesiæ in hac vita multos malos & peccatores admixtos esse.

In IX. X. XI. consensus est.

In XII. articulo de Pœnitentia, non recusamus tres partes Pœnitentiæ constituere, videlicet, Contritionem, hoc est, dolorem & pauorem, cùm agnoscitur Peccatum: Confessionem: in qua tamen præcipuè Absolutio spectanda & Fide accipienda est, quòd videlicet peccata nobis propter Christi meritum remittantur.

Tertia pars est Satisfactio, fructus digni pœnitentiæ. Sed tamen peccatum remittitur non per meritum satisfactionis. Ita concorditer sentimus. Verùm de eo dissensio est, An Satisfactio necessaria sit ad remissionem pœnæ.

In XIII. articulo consentimus.

Decimum quartum, sicut verbis comprehensus est, pariter amplectimur. Declaratio autem reseruata est ad Titulum, de Potestate Ecclesiastica.

Decimusquintus etiam articulus ad titulum de votis monasticis & potestate Ecclesiastica reiectus est.

De XVI. XVII. XVIII. XIX. consentimus.

In XX. articulo, Quod ad Concionatores, eorumq; excusationem attinet, id suo loco relinquitur: Neq; enim personalia illa tractanda à nobis suscepta sunt. De Fide, acquiescimus in articulo IIII. eiusq; declaratione. De bonis operibus eatenus consentimus, quòd bona opera facere oporteat & necesse sit, & quòd bona opera, prælucente fide & gratia facta, Deo placeant. An verò opera illa meritoria sint? & quomodo mereantur? Præterea an & quomodo in illa sperandū sit? nō potuit tractando cōuenire. Ideò ad cætera nondū compositare iectū est.

In

In XXI. articulo, de duobus conuenit, videlicet, Quòd omnes Sancti & Angeli in cœlis apud DEVM pro nobis orent: & quòd consuetudo Ecclesiæ, quæ Sanctorum memoriam celebrat, & Deum orat, vt Sanctorum precibus adiuuemur, piè & benè seruetur. Quod verò ad Inuocationem Sanctorum attinet, in eo consensus est, nullum expressum mandatum in sacris Scripturis de ea extare, quod præcipiat Sanctos inuocare. Verùm an Sancti, iuxta receptum morem Catholicæ Ecclesiæ, pia intentione inuocari possint, eatenus dissentitur, quòd Electores & Principes cum suis in hac causa coniunctis existimant, propter multitudinem abusuum, & quia nullum de ea expressum mandatum extet, & c. rem ambiguam & plenam periculi esse.

Cùm autem hisce formulis Concordiæ, & tota serie actorum inter septenos vtrinque ad media quærenda Concordiæ delectos ad ordines Imperij & Imperatorem relata, intellectum esset, nondum inter partes omninò conuenire: & quidam duriores, in vtraque parte, optatæ concordiæ, à qua vtrinque non longè abessent, obstare existimarentur: visum est, remotis illis, per pauciores personas publicæ pacis & tranquillitatis amantes, denuò compositionem tentandam esse. Terni igitur soli vtrinque delecti sunt, à Pontificijs Eccius, cum Cancellario Colonienſi & Badenſi: A nostris Philippus, cum D. Pontano, & D. Hellero. Hi denuò de vtraq; specie, de Missa, de Coniugio Sacerdotum, de Monasterijs, de Iurisdictione Episcopis reddenda, &c. postremis diebus mensis Augusti colloquuntur.

Interea de formulis Concordiæ in priori Colloquio vtrinq; exhibitis Lutheri iudicium & censuram Elector exquirit. Et antea Lutherus, Philippi literis de summa actionum prioris tractationis inter septenos vtrinque delectos edoctus erat. Quare literas illas, & LVTHERI, de his actionibus Concordiæ, Responsa, Philippo ac cæteris Theologis, & Electori Saxoniæ in primis, piè, sapienter, circumspectè, grauiter & magnanimiter reddita, ordine recensebimus.

PHILIP.

PHILIPPVS MELANTHON D. MARTINO LVTHERO.

HEri finiuimus collationem seu potiùs contentionem, quæ fuit instituta coram arbitris. Arbitri fuerunt initiò, Henricus Brunsuicensis, Augustanus, Eccius, Coclæus: postea Henrico Brunsuicensi suffectus est Dux Georgius. Nam Brunsuigius coactus erat abire πρὸς τὸν μακέδονα, quem timent contrahere exercitum.

De dogmatibus sic se res habent. Cauillabatur Eccius nomen Sola, cùm dicimus, sola fide iustificari homines: neq; tamen rem damnabat, sed dicebat Imperitos offendi. Nam coëgi eum fateri, rectè tribui à nobis iustitiam fidei.

Voluit tamen nos ita scribere, quòd iustificemur per gratiam & fidem. Non repugnaui, sed ille stultus non intelligit vocabulum gratiæ.

Altera rixa fuit de remissione pœnæ & satisfactionibus. Tertia de meritis. In his duobus locis nihil conuenit, quanquam est exiguum, quod merito tribuit, nos tamen ne illud quidem recepimus.

Deinde ventum est ad vtramq; speciem. Hîc maxima contentione conatus est ostendere, quòd non sit præceptum sumere vtramq; speciem. Sentit prorsus indifferens esse, sumere vnam aut ambas. Et si hæc doceremus, libenter erat nobis concessurus vtramq; speciem. Ego non potui hæc recipere, & tamen excusaui hos, qui hactenus errore vnam sumserunt: vociferabantur enim totam à nobis Ecclesiam damnari. Quid tibi videtur? Ordinatio Christi iuxtà ad Laicos & Clericos pertinet: quare cùm Sacramento vti cogamur, mentes formam integri Sacramenti retinere debent. Tu si sic sentis, scribe planè.

De Missa, Votis, Coniugio, nihil disputatum est, tantùm propositæ sunt conditiones, quas tamen nos non accepimus.

Non possum diuinare de exitu. Quanquam enim aduersarijs etiam pace opus sit, tamen quidam videntur non expendere, quantum periculum futurum sit, si res ad arma deducatur.

Nos moderatissimas conditiones proponimus, reddimus obedientiam Episcopis & Iurisdictionem, & communes Ceremonias pollicemur nos esse instauraturos. Hæc quantum habitura sint momenti, ignoro.

Tu orabis Christum, vt seruet nos. 22.

Augusti.

RESPON-

RESPONSIO LVTHERI.

MIrabar hoc si sic abiret, mi Philippe: quòd hos arbitros illi ferre potuerint, vt amicè de causa tentarent tractare, obsecro quid ibi non est insidiarum & doli. Habes nunc Campegium, habes Saltzburgium, habes planè laruatos istos Monachos Spiræ Rhenum transuectos. Quid enim minùs speraui vnquam, & quid adhuc minus opto, quàm vt de doctrinæ concordia tractetur? Quasi verò nos Papam deijcere possimus, aut quasi saluo Papatu nostræ doctrinæ salua esse possit. Ille scilicet fœdus & pactum simulat, vt Papa maneat. Vult permittere & concedere, si faciamus, scilicet, sed Deo gratia, quòd vos nihil istorum recepistis.

Scribis Eccium à te coactum esse fateri, Nos fide iustificari. Vtinam cogisses eum non mentiri. Scilicet Eccius fatetur Iustitiam esse fidei: Sed interim Papatus omnes abominationes defendit. Occidit, persequitur, damnat hanc doctrinam Fidei professos, necdum pœnitet, sed pergit. Idem facit tota pars aduersariorum, & cum ijs (si CHRISTO placet) conditiones concordiæ quærite, & frustra laborate, donec illi occasionem plausibilem inueniant, qua nos obruant.

Quod scribis de vtraq; specie Sacramenti, rectè feci sti. Ita enim tecum sentio, non esse indifferens, sed præceptum, vt vtramq; speciem sumamus, si sumere Sacramentum volumus. Non enim nostri est arbitrij in Ecclesia Dei, & in cultu DEI, vel statuere vel tolerare, quod verbo DEI non potest defendi.

Et me vrit non parum ista sacrilega vox, indifferens scilicet, hac eadem voce fecerim facilè omnes DEI leges & ordinationes indifferentes. Vno enim admisso indifferenti in verbo DEI, qua ratione obstabis, ne omnia sint indifferentia?

Clamant & vociferantur sanè Ecclesiam totam à nobis damnari: Nos dicimus Ecclesiam fuisse inuitam captam & oppressam Tyrannide vnius speciei, atq; adeò excusandam: Quemadmodum vniuersa Synagoga in Babylone excusata fuit, quòd non seruauit legem Moysi, in ritibus Ecclesiasticis & Sacramentis suis in Ierusalem. Neq; enim ideò non fuit populus DEI, quia ritus sibi mandatos non seruauit, vt captiui & violenter prohibiti. Sed Eccius vult se & suos Ecclesiam prædicari. Nos contrà dicimus, non Ecclesiam totam à nobis damnari, sed ab ipsis totum verbum Dei, quod plus quam Ecclesia est, damnari in Sacramento violato.

De obedientia Episcopis reddenda & Iurisdictione & Ceremonijs communibus, vt scribis, Sehet euch dennoch wol für/vnd vergebet nicht mehr denn jr habt/ne cogamur denuò ad difficilius & periculosius bellum pro Euangelio defendendo. Scio vos Euangelium semper excipere in istis pactis. Sed metuo ne nos postea perfidos aut inconstantes, insimulent, si non seruemus ea quæ volue-

voluerint. Ipsi enim nostras concessiones largè, largiùs, largissimè accipient. Suas verò stricte, strictiùs, strictissimè dabunt.

Summa, mihi in totum displicet tractatus de concordia doctrinæ, vt quę planè sit impossibilis, nisi velit Papa, Papatum suum aboleri. Satis erit nos reddidisse rationem fidei & petere pacem: Conuertere eos ad veritatem quare speramus? Nos venimus auditum, an nostra probent, nec ne, liberum illis permittentes, quales sunt, permanere. Et quærimus, an damnent, vel iustificent? Si damnant, quid prodest cum hostibus concordiam velle tẽtare? Cùm verò certum sit damnari ab ipsis nostram doctrinam, eò quòd nec pœniteant, & suam retinere conantur, cur non intelligimus omnia esse fucum & mendacium, quicquid tentant? Neque enim dicere potes, ex spiritu sancto eorum ista studia manare, in quibus nihil pœnitentiæ, nihil fidei, nihil pietatis est. Sed Dominus qui cœpit in vobis, perficiet opus suum, cui vos commendo ex animo. 25. Augusti.

MARTINVS LVTHERVS GEORGIO SPALATINO.

AVdio vos, non libenter sanè, inceptasse mirificum opus concordandi Papæ & Lutheri. Sed Papa nolet, & Lutherus deprecatur. Videte ne operam pulcrè luseritis. Quòd si inuito vtroque rem feceritis, tum ego mox vestrum exemplum secutus, cõciliabo Christum cum Belial. Sed tamen scio, non vestra sponte, verùm casu vel potiùs laruis Spirensium spectrorum in hanc vanã operam vos raptos esse. Christus, qui hactenus virtus vestra fuit, erit nunc quoque sapientia vestra, vt nihil proficiant istæ Italicæ astutiæ contra vos. Cõsilium enim malum erit consultori pessimum. Saluta M. Islebium, D. Brentium, Snepfium, & cæteros nostros. Gratia Dei tecum. ex Eremo 26. Augusti.

IVSTO

IVSTO IONAE.

DE causâ nostra vidi & legi arbitria nostrorum: sed quod Philippo scribo, idem tibi scribo. Non potest dici, quã vehementer sim commotus istis conditionibus, ex altera parte propositis sic scilicet irridentibus & illudentibus dæmonibus nostram crucem: Hæc techna Campegij & Papæ est, vt primùm causa nostra vi & minis tentaretur, qua via si nõ succederet, tum dolis & insidijs peteretur. Vim & minas experti estis, atque illum terribilem aduentum Cæsaris sustinuistis. Nunc dolos & verè laruatos istos Monachos, Spiræ transuectos Rhenum sustinetis: Sed & illorum aduentus has concordias doctrinæ mouet, & verum est mysterium hoc. Quid enim vltra vim & dolum potest pater doli & mendacij, & autor mortis & violentiæ? Sed qui dedit superare vim, dabit & dolum superandi gratiam & virtutem. Viriliter agite, neque credite aduersarijs quicquam, nisi quod euidenti scriptura probauerint. Dominus Iesus sit vobiscum, Amen. 26. Augusti.

EIDEM.

EGo, mi Iona, nostram causam Christo commendaui seriò, & is promisit mihi (nam ego vtcunque credo ei) suam hanc causam esse & fore. Quare cùm iam videam de vi desperantes aduersarios, ad dolum conuersos, nõ valdè metuo, imò plus superbio, certus, quòd, si etiam nos ad nostram ignominiã stertamus, ipse tamẽ vigilat ad gloriam suam. Iactent sanè nos concessisse multa, sed non intelligunt, quã hoc concessisse, sit vnum maximum negasse, & ex illorum parte vnum valdè bonũ amisisse. **Lasset sie her gehen die Speirischen Münchs Laruen.** Tantùm vos, quicquid admiseritis, Euangelium exceptum velitis, sicut ego feci Vuormatiæ. Eccius, vt video, vult etiam fieri Augustanus victor, sicut Lipsicus fuit. Amen. **spricht Christus.** Mitto tibi literas Landgrauij ad me scriptas, quas mihi quæso remitte, vel ipse referes: Nam satis placent. Vide ne eas Melancholia tua negligat. Nam fidem & vigilantiam tuam tento. Vale mi Iona, & læti & salui redite. Ego sanè capitis susurro nondum liberatus sum,

sum, & gutturis arrosio augetur. Sed satis vixi & feci: veniat hora mea, quãdo illi visum fuerit, quem & ego videre gestio, prodigum vitæ & sanguinis pro peccatore Luthero, Vale.

D. MARTINI LVTHERI IVDICIVM DE INSTITVTA CVM PONTIFICIIS AMICA TRACTATIONE, ET conditionibus Concordiæ cum illis sarciendæ.

PRimùm, si aduersarij nostri prorsus nihil nobis permittere aut cedere, sed pertinaciter pergere & nos condemnare decreuerunt, vt hactenus in omnibus articulis fecerunt, neq; vnquam, an recipere velint iam sæpe à nobis oblata, se declararunt: tum ego sanè non video, qua ratione tractatio aliqua cum ipsis suscipi possit.

Nos enim hac conditione, vt omnia ipsorum vera & recta maneant, nostra verò omnia condemnentur: quod hactenus sine vlla tractatione nimis sæpè & multum ab ijs factum est: agere cum ijs nihil possumus.

Secundò, cùm autem C.M. (hoc non curato) scire cupiat, quid concedere Aduersarijs velimus: necesse est in singulis Confessionis nostræ partibus distinctè indicare, quid fieri à nobis aut non fieri queat.

DE ARTICVLIS DOCTRINAE.

DE his Articulis cedere non possumus, quia nec aduersarij nostri errorem in ijs vllum monstrare possunt: sicut ex ipsorum confutatione, & sequentibus tractationibus perspicuè intelligi potuit. Sine dubio etiam apud omnes alias nationes Christiani & veri esse iudicantur. Non solùm enim in scriptura benè fundati sunt, sed etiam ex sanctorum Patrum scriptis præclarè confirmantur. Ita etiam accuratè & moderatè scripti sunt, vt nullus Christianus ijs offendi possit. Si verò C.M. aliquarum partium, vt de sola fide, de satisfactionibus, de meritis, explicationem desiderat: nostra pars semper se ad vberiorem declarationem offert.

DE ARTICVLIS AB VSVVM.

PRimùm de communione sub vtraque specie. De hoc Articulo cedere non possumus, cùm diuina ordinatio sit ab ipso Christo instituta. Nec vlli hominum diuinam ordinationem inuertere aut mutare licet. Gal. 3. Præterea inde ab initio, in vniuersa Christiana Ecclesia, multis seculis in vniformi vsu fuit. Cuius rei argumentum est, quòd in Græca Ecclesia vsque ad hunc diem vsurpatur, & deinceps in orbe terrarum, in aliquibus saltem locis manebit, & manere debebit, ne excidat verbum Dei. Rom. 3. Ipsi quoque Aduersarij nostri, attestante exhibita ab ipsis Notula, rectum esse fatentur.

Quòd autem petunt, vt doceamus, vnam quoque speciem rectè porrigi & accipi posse: id propter causas suprà allegatas, facere non possumus. Aduersarij etiam, neque ex sacra Scriptura, neque ex Patrum dictis, hoc ita fieri licere vel debere demonstrarunt. Porrò quòd petunt, vt apud nos quoque vnam speciem porrigamus eis qui volunt: neque hoc iuxta ipsorum postulata, sine discrimine, quasi vtrumq; rectum sit, facere possumus. In nostra etiam visitatione satis monuimus, quomodo infirmis vnam speciem dare, nec tamen vt rectum probare, liceat.

Quòd autem obijciunt, Anne vniuersam Christianitatẽ, quæ vnam speciem, vt rectam, vsurpauit, condemnare velimus: ad id primò respondemus, magis esse ad verbum, mandatum & ordinationem Dei respiciendum, quàm ad Christianitatis opera, facta aut non facta. Deus enim mentiri & fallere in suo verbo nequit. Christianitas autem, faciendo & omittendo falli & errare potest. Præterea Christianitas non est regula & norma verbi Dei, sed verbum Dei est regula & norma Christianitatis, & Christianitas verbum Dei non efficit, sed verbum Dei Christianitatem efficit. Per Deum enim verbum gignitur, augetur, seruatur, vt Petrus inquit. 1. Petr. 1. Renati non ex semine mortali, sed ex immortali, per verbum viuẽtis Dei, & manentis in æternum. Et si alterum sit relinquendum, vel negandum, certè Christianitas potiùs, quàm Dei verbum negandum

gandum esset: Quandoquidem Christianitas, vt creatura per Dei verbum creata, inferior & minor est verbo Dei, per quod ipsa, vt per creatorem, creata est.

Deinde non condemnatur à nobis Christiana Ecclesia. Vt enim populus Israël olim quædam præcepta Dei & ceremonias non seruans, cùm in Babylone captiuus aut alibi detentus vel impeditus esset, coram Deo excusatus erat, propterea quòd ineuitabilis necessitas & coactio eum non sinebant, imò & ipse Moyses inquit Deut. 12. Ne in terra Canaan faciant, sicut in deserto fecissent. Et circumcisionem ferè per quadraginta annos in deserto intermiserunt. Ios. 5.

Ita Deus & illos Christianos, qui hactenus vna tantùm specie vsi sunt, excusatos habebit, cùm illud ex necessitate & coactione ipsis faciendum fuerit, tali nimirum abusu, præter voluntatem suam, per Ecclesiasticos Tyrannos ipsis obtruso, vt rectius scire aut facere non potuerint. Et sic non penes Christianitatem culpa est, sed penes Tyrannos & falsos doctores, qui tali insolentia & abusu Christianitatem captiuam oppresserunt, nec vna sciente vel consentiente Christianitate hoc instituerunt, & cum vi introduxerunt.

Tertiò, Non condemnatur Christiana Ecclesia, etiamsi næuos vel abusus aliquos, vel, vt Paulus Ephes. 5. inquit, rugas aut maculas in sese habeat: Longè alia res est, peccatum aut errorem habere, & alia res est esse condemnatum. Christiana Ecclesia sine peccato aut erroribus esse non potest, propterea verò damnata non est. Paulus, vnus ex membris summis & sanctissimis, fatetur Rom. 7. se esse captiuum seruum peccati, & tamen non vult condemnatus esse, cùm inquit, nihil condemnabile esse in ijs, qui in Christo Iesu sint.

Ita & ipse Christus suos discipulos in precatione dominica orare docuit, Remitte nobis debita nostra. Et Matth. 6. dicit: Si non remiseritis hominibus errata sua, nec pater vester remittet errata vestra.

Ex quibus verbis perspicuè sequitur, Apostolos tales næuos habere, p quos cõdemnarentur, nisi remissionẽ illorũ impetrarẽt. Et

quid opus esset, Apostolos ac vniuersam Ecclesiam, petere remissionem peccatorum, nisi talia peccata haberent, quæ remissione indigerent, & non remissa condemnarent? Nullus certè in terris sanctus est, qui vel momentum oculi, tam sanctè viuere possit, vt orationem dominicam orare non opus sit. Aliâs enim precatio dominica respectu istius sancti, vel minimum per tale oculi momentum falsa esset.

Verum est, Ecclesia Christiana est sancta & errare non potest, sicut inquit Articulus: Credo sanctam Catholicam Ecclesiam. Sed id verum est, quantum ad Spiritum attinet: Iuxta hunc enim in Christo & non in sese prorsus sancta est. Quatenus autem in carne adhuc versatur, errata habet, falliq́ue & seduci potest, sed propter spiritum remittuntur ipsi peccata. Habet etiam remissionem peccatorum, propterea quòd in Christum credit, suaq́; peccata etiam incognita confitetur. Psalm. 19. Delicta quis intelligit? Etiam ipse Paulus Rom. 7. docet, quòd nostrum, id est, Christianorum corpus propter peccatum sit mortuum: Ingenuè fatetur, quòd omnes Christiani corpore peccatores & mortui sint, & tamen spiritu in Christo viuant.

Ita tota Christianitas initio Hierosolymis errabat, cùm simpliciter statueret gentes esse circumcidendas, & legem Moysis eis seruandam præciperet, nisi vellent condemnari. Quod tamen ex diametro cum principali articulo fidei nostræ pugnat, cui Christianitas innititur, scilicet, quòd propter solum Christum & ipsius gratiam sine lege & circumcisione saluari nos oporteat: Sicut hunc Articulum Paulus eo tempore magno cum labore & contentione vix obtinuit.

Quid igitur mirum, si postea, cùm tantis Spiritus sancti donis non abundaret Ecclesia, sæpius errauit, & lapsa est, & tamen per remissionem peccatorum sancta mansit?

Sed tales næui & errores Ecclesiæ, cùm manifestantur, approbandi non sunt, neq; pro fidei articulis defendendi. Hoc enim esset Spiritui sancto, qui eos errores reuelat, resistere: Nec amplius Christianum aut remissibile peccatum, sed obstinata & Diabolica occæcatio, esset.

DE

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

NVllo modò concedere possumus, vt coniugium, quod ab ipso Deo creatum & mandatum est, vlli homini prohibeatur. Et doctrina, quæ coniugium prohibet, doctrina Dæmoniorum nominatur. 1. Timoth. 4.

DE MISSA PRIVATA.

HAEc vt instituatur aut toleretur, probare non possumus, propterea quòd euidens est, tales Missas, sicut hactenus celebratæ sunt, manifestos abusus & idololatriam esse. Sic enim statuunt, quòd Missa iustificet vtrunque, & hunc qui celebrat, & eum pro quo celebratur, vt opus operatum & applicatum: Quod tamen cum principali articulo fidei in Christum, ex diametro pugnat. Nec ipsi negare possunt, ex hoc fundamento tales Missas in toto mundo institutas & venditas esse. Nec hodierno die quidquam aliud quàm ventris saginam & Mammonem Missis suis quærunt. Quæ omnia facilè omissa essent, nisi Missa in opus operatum conuersa fuisset.

DE CANONE.

HIc neque minorem neque maiorem Canonem ferre possumus: Vterque enim Canon, expressis verbis ex Missa tale opus facit, quod nos iustificet, & pro alijs etiam offeratur, sicut paulò antè dictum est. Quod cũ fidei doctrina palam pugnat, & in Christi passionem blasphemum est: perinde ac si Christus per sanguinem suum nos non sufficienter redemisset, sed per opera & Missas iam primùm illud nobis quærendum & emendum esset.

Quòd autem Canonem glossando mitigare, & verba hæc, Sacrificium, Victima, pro sacrificio recordationis interpretari volunt, hac glossa nihil iuuari possunt: Si enim Missa, opus operatum

& applicatum, vt ipsi dictitant, esse debebit, tunc Glossa inanis & falsa est. Si autem Glossa vera est, Missa opus operatum esse non potest. Et ita vel Canon Glossam, vel Glossa Canonem euertit. Glossa enim & Canon simul non consistunt, quia Canon non apertè orat, vt sacrificium illud (quod ipsi Recordatiuum nominant) DEVM placatum & propitium reddat nobis & omnibus pro quibus offertur.

Præterea constat & certum est Canonem non esse Sacram Scripturam, sed quilibet fateri cogitur, eum esse nouum quiddam, longo tempore pòst proditum, & incerti quoque authoris. Insuper non vbique concordant Canones. S. enim Ambrosij Canon, quem Archiepiscopatus Mediolanensis vsurpat, Romano Canoni planè dissimilis est. Græci etiam longè alios Canones, quàm nos, & inter se quoque discrepantes habent.

Quia igitur Scripturæ sanctæ authoritate Canon non confirmatur, & Canones diuersis in locis dissimiles sunt: facilè intelligi potest, eos hominum, & non DEI, ordinationes esse.

Cur igitur Canonem adeo pertinaciter, velut vnicum & æternum Dei verbum esset, propugnaremus, cùm homines, qui extra & præter Scripturam agunt, errare & falli possint? Qui volet, legat Canonem: tum inueniet aliquot sanctos, qui longo tempore post Apostolos vixerunt, in eo recensèri. Et quotquot in eo nominantur, ideo enumerantur, vt per ipsorum merita & intercessionem DEVS nobis propitius esse velit. Quem honorem Canon Christo, quòd is noster mediator & intercessor esse debeat, nullibi tribuit, cui tamen principaliter competit. Sed Christus se à Sacrificulo offerri & insuper sanctos, vt nostros intercessores & Mediatores, suo loco ferre cogitur. Et Sacerdos pro Christo valdè splendidè orare audet, vt Deus filio suo Christo, per tale sacrificium velit propitius esse: quæ tamen intolerabilis abominatio est.

DE

DE MONASTERIIS NONDVM DESERTIS.

LIbenter assentiemur, vt personæ, quæ in ijs sunt, maneant, &, sicut olim, alantur & defendantur. Verùm vt Missæ & alij eorum impij cultus foueantur & defendantur, id cõtra articulos suprà dictos pugnat. Si enim regulas ipsorum & visitationem Parochiarum defensum iri promitteretur, tunc Missarum & Canonis confirmatio indesequeretur, & prohibendi essent, qui egredi vellent, & concedendum, vt prædicaretur aduersus eos, qui exijssent. Et si quispiam consilium & auxilium egrediendi à Magistratu peteret, illi viæ essent præclusæ.

DE MONASTERIIS DESERTIS.

SIC. Maiestas imperabit, vt personę egressę restituantur, & in seruandis Regulis defendantur, &c. concedemus vt redeant & in cœnobijs alantur. Vt autem ipsarum Regulæ & Missæ (sicut paulò antè etiam diximus) defendantur: probari non potest, cùm idem indesecuturum esset, quod de cœnobijs non desertis dictum est.

Si Cæs. Maiestas simpliciter restitui personas iuberet, aut ipsa eas restituere & defendere vellet: tolerare nos ea oporteret, probare autem non possemus. Cæs. Maiestas est Dominus superior, & facere ista suæ conscientiæ periculo potest: Sed nostra conscientia in talibus negotijs simili periculo onerari non debet.

DE IVRISDICTIONE.

FRustra de Iurisdictione agitur. Si enim nos non ferant, & nihil nobis concedant, sed simpliciter & sine fine cõdemnare velint, tunc nullam aliam Iurisdictionem, quàm carnificis, ab ipsis expectare possumus. Verum tamen est, si nostram doctrinam pati & non ampliùs persequi vellent, tunc prorsus inuiolatam ipsis suam Iurisdictionem, dignitatem aut quomodocunq; nominent, relinqueremus. Episcopi enim vel Cardinales esse non cupimus, sed tantùm boni Christiani, qui pauperes esse debent. Matth. 5. Luc. 4.

DE CAVSIS MATRIMONIALIBVS.

APage cum his causis ad Episcopos, officiales, carnifices, & quicunque eas recipere volunt: quamuis suspicor eos nullam partem, reliquis non admissis, receptu ros esse.

DE ESV CARNIVM ET FESTIS.

QVod ad hoc caput attinet, pati non possumus, vt conscientiæ grauentur, sicut & S. Paulus id vetat: & tamen suspicor eos non aliter, nisi cum conscientiæ grauamine, recepturos esse. Si verò placet indicari Cæs. Maiestati, vt ipsa in his rebus ordinationem faciat, quæ tamen conscientias non obstringat, id ferre possumus, præsertim cùm nec ipsi secundum Canonum dispositionem ieiunia seruent.

Interea

Interea verò, dum hæc Lutheri Iudicia Augustam perferuntur, Colloquium inter pauciores delectos denuò finitum, & rursus causa tota ad Imperatoris deliberationes reiecta est. Quæ verò initia & occasiones angustioris illius colloquij fuerint, & indicationem aliquam eorum quæ acta sunt, sequens nostræ partis responsio continet, quæ die 28. Augusti exhibita est.

ANGVSTIORIS DELECTVS PROTESTANTIVM RESPONSIO,

EXHIBITA DIE DOMINICA POST Bartholomæi, Anno 1530.

QVemadmodum proximè à vobis Dominis concessum est actionem inter nos habitam Illustrissimis ac clementissimis Dominis nostris, Saxoni, Brandenburgico, alijsq; in hac causa coniunctis exposuimus. De qua sententiam suam vicissim vobis in hunc modum indicari mandârunt:

Meminisse nimirum ipsos, quàm multoties sese pacis & concordiæ causa in omnibus ijs, quæ fieri salua pietate conscientiaq; possent, ad piam transactionem & concordiam in hisce Comitijs obtulissent. Cumq; iam pridem eius rei gratia virorum Principum, aliorumq; Iuris diuini ac Canonici peritorũ, delectus 14. personarum, vtriusq; partis consensu, habitus sit, relatum ipsis à Principibus alijsq; suarum partium esse, quæ ab vtraq; parte de septem illis articulis & cohærentibus punctis, media & viæ ineundæ conciliationis proposita, & quid ad eas ipsas à delectis nostræ partis responsi datum fuerit: quidq; ijdem, pacis & concordiæ gratia, vsq; ad accuratiorem in Concilio tractationem, sese apud coniunctos in hac causa ordines promouere velle promiserint. Idq; in hanc anteà sæpius repetitam sententiam: Se nimirum, vnà cum reliquis vnà delectis causam hanc totam accuratissimè ad extremum vsq; momẽtum expendisse, ac, si statuere secum potuissent, præter conditiones ab ipsis propositas, vlteriùs ab hac parte concedi & obtineri apud suos in hac causa coniunctos posse, id se statim vnà cum exhibitis conditionibus indicaturos fuisse.

Et quidem hanc ipsam ob causam se Principes atq; delectos à cæteris ordinibus sub finem habiti colloquij monuisse atq; rogasse, vt proposita à se media & responsiones, Electoribus, Principibus & Ordinibus Imperij renunciarent, & hæc media in eam sententiam, quæ in responsionibus continetur, recipi, & generale legitimumq; Concilium promoueri vrgerent.

Cui quidem petitioni, reliquorum ordinum Principes atq; delecti, post multas deliberationes collocutionesq; vtrinq; habitas, ita se faciles benevolosq;

lośq; præbuerunt, vt sese negotium ad illum modum, qua fieri posset diligentia, cum sui quoq; consilij additione, proposituros, & responsum etiam inuicem allaturos reciperent.

Nihilominus tamen, antequam delecti Principes vtriusq; partis, vnà cũ reliquis sibi adiunctis, rursus conuenissent: Ordines (id quod nostri non secus quàm ex amico & beneuolo animo profectum acceperunt) consiliarios aliquot in vigilia Bartholomæi ad clementiss. nostrũ Saxoniæ Electorẽ, cũ huiusmodi mãdatis ablegarunt: Ordines videlicet de ijs, quæ acta à delectu essent, certiores esse redditos: accupere Electores, Principes & reliquos status Imperij amicã tractationẽ continuare, idq; cõtractiori delectu, & paucioribus, quã anteà, adhibitis: ideoq; amicè rogare Electorẽ Saxoniæ, vt tãtisper cõmorari in Comitijs dignetur. sicut, hæc ita se habere, qui rebus vtrinq; interfuêre, meminerunt.

Etsi autem (cùm Elector Saxoniæ hæc postulata se cum socijs cõmunicaturum, & sententijs collatis Electori Moguntino responsurũ esse promisisset) eadẽ vigilia Bartholomæi vespere ánguſtior ille, de quo diximus, delectus à pleriq; suorũ recusaretur, eò quòd in Recessu prioris delectus adquiescendũ, & ordinum responsum expectandũ iudicarent: tamẽ post varias rationes in medium allatas, ne per Electorẽ Saxoniæ, ipsiq; in hac causa cõiunctos Principes ac ciuitates stetisse videretur, quò minùs cõcordia coiret, angustior etiã ille delectus permissus fuit, sic tamen, ne quicquam priori recessui præiudicaret.

Quia verò à vobis, in huiusmodi contractiorem delectũ cooptatis nulla alia media, præsertim in præcipuis & maximi momenti articulis proposita sunt, quàm quæ iam antè in priori delectu agitata fuerant: nostrorum sanè iudicio, contractiore illo delectu minimè fuisset opus, præsertim cùm satis intellectum esset, illa media iam pridem accuratissimè ponderata fuisse, nec tamen inueniri potuisse, quid de illis præter ea, quæ in priori delectu indicata fuerant, vlteriùs concedi posset.

Et id quidẽ eam ob causam Principes nostri vobis significari iusserunt, ne quis insimulare ipsos audeat, quasi culpa nõ confectæ cõcordiæ aliqua in ipsis aut socijs ipsorum resideat. Quòd si media & rationes dirimendarum cõtrouersiarum magis appositæ ostendi à vobis possint, eas ipsas quoq; vt in præsentia cognoscemus, & inuicem responsum ad eas subijceremus, Principes nostri, eorumq; socij demandarunt. Vel, vt nuper ex nobis accepistis, de inducijs, quibus pax & concordia, ad generalis & liberi Concilij celebrationem vsq; conseruari queat, sententias vobiscum conferemus.

Quòd si nullum huius rei mandatum, ab Electoribus, Principibus, ac reliquis ordinibus habetis, & nunc etiã relata ad ipsos hac nostra sententia nullũ aliud responsum (quod tamẽ clementiss. Principes nostri nõ sperant) apud ordines obtineri posse, existimaueritis, quàm hoc ipsum: Nullũ videlicet Cõciliũ apud C.M. petiab illis & obtineri posse, nisi hac cõditione, vt omnia, quæ mutata à nobis aut innouata sint, in pristinum statum antea restituantur:

Significamus vobis mandato Dominorum nostrorum, Non ignotũ esse Ordini-

Ordinibus, quidnam & doctrinæ, quam continet exhibita Confessio, & mutationibus abusuum quorundam in Ecclesia occasionem præbuerit. De quarum fonte & origine si disserendum sit: posset illa pluribus publicè editis libris & alijs rebus comprobari. Et tamen, quibus id officij commissum erat, nullam eius rei curam, vt debebant, habuerunt. Id quod etiam Hadriani Pontificis postulata in Comitijs Noribergensibus per Legatum proposita, haud obscurè demonstrant.

Insuper etiam Electores, Principes, alijq; ordines, in Comitijs antehac habitis necessarium iudicârunt, vt propter dissidia in religione ac ritib. exorta, generale ac legitimum Concilium cogeretur, idq; sine ea, quæ nunc additur, conditione. De quo C. M. Dominum clementiss. nostrũ aliquoties cõpellarunt, quod & tãdem Spiræ ante annũ per literas clementissimè promissum, & decretũ conditum est, quónã tẽpore Synodus illa indici & inchoari deberet.

Nostri itaq; Principes, eorum in hac causa coniuncti, amicè officioseq; sibi pollicentur, ordines, qui huius negocij tractationem susceperunt, generale illud ac liberum & Christianum Concilium subiectissimè ac diligentissimè apud C. M. promoturos esse, sicuti illud antea sine omni exceptione ac conditione, vtile iudicatum, comprobatum, & apud C. M. impetratum nouerunt. Idq; eò magis quòd in primis Comitijs Spirensibus publico decreto sancitum sit, qua ratione singuli Magistratus se in hoc Religionis negotio, vsque ad generale illud Concilium, gerere debeant.

Præterea Principes nostri & ipsis coniuncti, propter mutationes quasdam, Confessioni harum partium minimè conformes, & alia quædam cũ hoc negotio directè vel consecutiuè cohærentia, ante annum Spiræ ad C. M. & generale illud Concilium legitimè prouocarunt. Itaq; hæc attentata de facto appellationi ipsorum, ac iuri etiam contraria apparere.

Adhæc nouum quiddam & antea prorsus inauditum esset, cùm res grauissimæ & maximæ Concilium summè efflagitarint, nunc tantisper illud recusari, donec causæ illius cogendi sublatæ, & omnia in integrum restituta fuissent. Quod si priscis illis Ecclesiæ temporibus fieri potuisset, rarò admodum huiusmodi grauissima negotia ad Synodos delata fuissent.

Quamobrem Elector Saxoniæ & Principes, ac eorum socij clementer & officiosè rogant, vt apud ordines diligẽter instetis, si fortè his conditionibus, in priore delectu à nostris propositis, stare ipsis non libeat, in decreto tamen priori de Concilio acquiescant, neq; contra promissionem Concilij, aut interpositam appellationem, mutationes vllas suis actionibus introducant: Id quod nostri vnicè sibi de ipsis pollicentur, & inuicẽ etiam amicè demisseq; demererivelle confirmant.

Quòd si sæpe dicti Ordines, de amico & pacifico Recessu ad Concilij tempus vsq; vel per vos, vel alios conferre volent: nostri sanè Principes cum suis in hac causa coniunctis, nihil in se patientur desiderari, vt pax ac concordia cõseruari, & Imperij negotia magis necessaria expediri queant.

Pollicentur etiam ijdẽ nostri clementissimi Domini, & ipsorum socij, se,

DEO iuuante, intra metas exhibitæ Confessionis suæ sine vlla mutatione nouã ita se gesturos, vt & DEO Omnipotenti, & Cæsareæ Maiestati omnium consiliorum & actionum suarum rationem subiectissimè reddere possint.

PRæcipuè autem, in hoc angustiore Delectu, de altera tantùm parte Sacramenti, petentibus porrigenda, & non condemnandis, qui alteram partem porrigunt vel accipiunt: de Missis priuatis, Eucharistiæ seu gratiarum actionis causa restituendis: de Canone Missæ legendo, & verbis quibusdam incommodioribus piè & dextrè interpretandis, actum est: vt ex epistolis Philippi, & censuris Lutheri, quas paulò pòst subiungemus, perspicuum erit.

Cùm verò Missam priuatam, non tanquam sacrificium propiciatorium, applicandum pro viuis & defunctis, sed tantùm gratiarum actionis causa pro sacrificio Christi propiciatorio, ac vt Sacerdos seipsum communicare possit; iterum restitui debere, Pontificij vrgerent: nostri, deliberationis suę capita quædam, his verbis consignarunt.

DE MISSA PRIVATA, AN EVCHARISTIAE CAVSA RESTITVI POSSIT.

TAmetsi cœna Dominica cum Gratiarum actione accipienda sit, tamen non est propriè ad gratiarum actionem, sed ad confirmandam conscientiam, & ad conseruandum corpus & animam credentis in vitam æternam, à Christo instituta.

RATIO.

DOna, siue humana siue diuina, hanc habent rationem, vt exhibeantur ad vtilitatem & fructum eius qui accipit. Illiberalis enim & auarus donator est, qui in distribuendis donis, sua solùm commoda, non accipientis, postulat.

Iam

Iam Cœnæ Dominicæ Sacramentum est donum à Christo distributum: Siquidem ait August. Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, hoc est, vt clariùs dicam: Sacramentum est inuisibilis doni visibile signum. Gratiam enim pro dono clementer exhibito vsurparunt aliquando veteres.

Est igitur propriè institutum, non vt nos Christo aliquid exhibeamus accipiendo Cœnam Dominicam, Sed vt nobis aliquid exhibeatur & donetur.

II.

Item, Panis, qui in Cœna Dominica distribuitur, est corpus Christi, & vinum, sanguis eius.

Vt autem corpus in cruce nõ est oblatum, nec sanguis eius effusus tantùm ad gratiarum actionem, sed propriè ad satisfactionem & remissionem peccatorum: Ita non distribuuntur in Cœna tantùm vt sint Gratiarum actionis symbola, sed satisfactionis & remissionis peccatorum certæ notæ καὶ ἀπολείξεις.

III.

Item, Promissiones non in hoc dantur propriè, vt gratiæ Deo agantur, sed vt rebus promissis fruamur: Vt, Quando Deus Abrahamo promisit posteritatis multiplicationem, non hoc propriè egit, vt Abrahamum ad gratiarum actionem excitaret (quamuis & hoc accessit) sed vt in Abrahamo fidem efficeret, & per fidem iustificaret. Et Dauidi regnum promisit non in hoc propriè, vt gratiæ agerentur, Sed vt Dauid regno potiretur: ex quo deinde in Dauid gratiarum actio exorta est, tanquam fructus acceptorum bonorum, non tanquam causa promissionis.

Idem cũ primo argumento de ratione donorum.

In Cœna Dominica promissiones corporis & sanguinis, seu, vt certiùs dicam, præsentes exhibitiones dantur.

Est igitur Cœna instituta ad accipiendũ aliquid à Deo, quamuis grati animi sit accipiendo bonum reddere gratiam.

IIII.

Item Christus dicit, Hoc facite in mei commemorationem: Et Paulus, Quotiescunq; comederitis panem hunc & de poculo biberitis, mortem Domini annunciate.

Iam

Iam Dominicę mortis anunciatio non est propriè instituta ad gratiarum actionem, Sed ad excitandam fidem, & erigendam conscientiæ imbecillitatem. Sicut nec verbi Dominici prædicatio huc tantùm spectat, vt gratias DEO agamus, Sed vt instituamur in iustitia, & consolationem accipiamus.

Consequitur ergo Cœnam Dominicam ad eundem finem institutam esse, ad quem mortis Dominicæ annunciatio spectat.

V.

Item, Quemadmodum pane vulgari vescimur, vt corpus alamus: (Hic enim est principalis finis esus corporalis, è quo postea oritur gratiarum actio, non tanquam finis, sed tanquam finem consequens.)

VI.

Et vt baptizamur, non ad gratiarum actionem, Sed ad ablutionem sordium animæ, & vt per lauacrum regenerationis salutem consequamur, licet baptismi donum sequatur in credente Gratiarum actio:

Ita vescimur pane Cœnæ Dominicæ ad pascendam, vt sic dicam, conscientiam, quæ pasta exurgit in gratiarum actionem, non tanquam finem, sed finis euentum.

VII.

Item, Nemo Papistarum, quantum ego sciam, dicit laicos, quos vocant, communicando, sacrum DEO facere; Sed potiùs fatentur illi laicos sacrum accipere. Qua igitur imprudentia audent Sacrificuli plus sibi arrogare & vsurpare de Cœna Dominica, quam Laici, quando vtrisque similiter Christus instituit, nec vni ordini plus quàm alteri?

Excitatio fidei & confirmatio conscientiæ } est { Finis } Institutionis Cœnæ Dominicæ.
Gratiarum actio } est { Euentus seu consequens finem } Institutionis Cœnæ Dominicæ.

Philipp. Melanth.

ΠΕΡΙ

ΠΕΡΙ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΣ.

I.

COena est exhitio corporis: Ergo non est oblatio, quia nobis aliquid exhibetur. Oblatione enim nos exhibemus.

II.

Est testamentum, in quo nobis promittitur.

III.

Si est sacrificium, fides non iustificat.

IIII.

Vtrùm oblatio sit in manducatione vel leuando.

Item debet esse σύναξις, quia Paulus dicit, Conuenientibus vobis, alij alios expectent.

Item. Non est discrimen inter Laicos communicantes & Sacerdotes. Igitur non sunt ordinandi Sacerdotes ad singularē communionem.

Sacerdotium est status singulariter institutus ad communionem, cùm nullum sit discrimen. Ergo scandalum est, sacerdotem singulariter celebrare, cùm is sit peculiaris cultus.

Item est confusio ministerij. Iste seipsum communicat, vt si seipsum baptizet. Nam pastor cōmunicat se, tanquam membrum Ecclesiæ, & gerit duplicem personam, priuatam & publicam.

Lutherus etiam de hac disputatione à Philippo monitus, Sententiam suam aliquot responsis declarauit.

D. MARTINVS LVTHERVS PHILIPPO MELANTH.

MAldeadfligor, quòd hoc tempore vobiscum adesse in ista pulcerrima & sanctissima confessione Christi non possum. Staupitzius noster dicebat, Wen Gott blenden wil/dem thut er zuvor die augen zu / Zu scharpff wirdt gern schärtig.

Ego

Ego sanè nihil moror istum prætextum, quòd Eucharistiæ seu gratitudinis causa liceat instituì Missam. Fregit Ezechias serpentem æneum, nihil moratus, quòd in memoriam & laudem operis Domini seruatus fuisset. Magis spectauit pius Rex certum abusum, & occasionem malam, quàm dubium & incertum fructum laudis: Et nostri, cùm hactenus, pessimis exemplis, Missis suis sint abusi, neque adhuc pœniteant, frustra postulant eis permitti retinendas: Quia fucus eorum est manifestus ac impœnitens, proinde & euidens mendaciũ: quamuis, vt priùs scripsi, nihil recti quærant, sed abominationis Tyrannidem affectant integram. Restituant primò fidei doctrinam & operum: pòst de ceremonijs videremus. Reddant primùm Ecclesiã & ministros cum legitimis suis officijs: & traditiones sua sponte sedabunt, poterit εὐχαριστία aliter & absq; periculo & scandalo haberi in Ecclesia.

GEORGIO SPALATINO.

GRatiam & pacem in Christo. Nihil minùs sentio, mi Spalatine, quàm priuatas Missas retineri debere, quocunque etiam nomine. Si boni sunt, qui gratiarum actionis causa dicent retinendas esse, tentantur cogitationibus carnalibus. Gratiarum actioni locus abundè est in missa publica, deinde, si quis volet, in omni opere, tempore, loco, vt non sit priuata Missa opus. Est enim periculum & scandalum, etiamsi optimo corde seruaretur; sicut fuit Ephod Gedeonis. Itemque Christus instituit Missam publicam, & omnia verba sunt pluralis numeri, ad Ecclesiam prolata & directa. Non satis est dicere, Bonam habeo intentionem: Oportet dicere, habeo verbũ Dei: quia gratiarum actio & cultus Dei nouus, sine verbo non est erigendus, vt sæpe docuimus. Oportet enim esse certos de opere erga Deum exercendo. Eadem ratione dixeris: volo Monachatũ. Quamuis de Monachatu permitterem: Sed quantos putas futuros Monachos & quamdiu? Non est potentiæ humanæ, Deum sic diligere, vt Monachatu, aut Missa priuata solam quęrat gratiarum actionem. Hoc summæ gratiæ vix fuerit. Deinde Missa & Monachatus iam damnati sunt, propter abusum. Ideò non est eis venia danda, vt denuo reuiuiscant: Semel malus semper præsumitur malus. Ein Dich

niergem

ntergent besser/denn am Galgen. Nec vllus pius ex animo potest priuatam Missam probare, quantocunq; nomine celebretur. Ex Eremo, Anno 1530.

Meminerunt etiam harum angustioris Delectus actionum sequentes literæ, & Lutheri ad Electorem Saxoniæ, & Collegas responsiones: quas ordine atteximus.

PHILIPPVS MELANTHON D. MARTINO LVTHERO.

MItto tibi Quæstiones quasdam, de quibus rixamur cum aduersarijs. Huiusmodi argumenta captant, non quæ doctrinam pietatis contineant, sed quæ plurimum valeant ad concitandã inuidiam: & nostra moderatio in talib. locis auget insolentium hominũ ferociam. Non potest dici, quos agãt triumphos hîc. Si meo nomine, nõ Principis, versarer in his negocijs, nullo modo ferrem hanc superbiam. Nunc me omnia dissimulare cogunt Principum pericula, Reipublicæ discrimina, voluntates nostrorum mirabiliter aut imbecilles, aut parum in loco fortes. Nihil tamen, vt spero, faciemus contra Euangelium. Pontanus profectò declarat, se esse virum fortem & bonum. Bucerus scribit tibi περὶ δείπνου κυριακοῦ, & vult accedere ad nostram sententiam. Sentit adesse corpus Christi in pane. Hæc summa est: Scripsi ei propositiones, sed certo consilio misit suas propositiones. Plura non potui scribere, Moxresponde. Vale. postridie Bartholomæi, 25. Augusti.

MARTINVS LVTHERVS PHILIPPO MELANTH.

VTinam vos breui elapsos videam, si dimissos expectare non licet; satis superque feciſtis. Iam hoc reliquum est tempus faciendi DOMINO, & ipse faciet. Tantùm vir esto, & spera in eo. Ego simul & indignor & consolor, quòd Eccius & aduersarij hoc futili cauillo causam fa-

tigant, scilicet, si vtraque species Sacramenti necessariò à nobis asseratur, damnari à nobis totam Ecclesiā, ipsumq; Cæsarem. Miseri hoc tantùm habent vltimū, vt Cæsari præsenti cantillent. Obsecro sinamus cum fiducia illos abuti Cæsare, huiusmodi nugis, quibus seriò illum prouocant, qui iam in cœlo tetendit suum arcum, & super eum parauit vasa mortis. Tu vide, vt memineris, te esse vnum illorum, quem vocant Loth in Sodomis, quorum animas cruciant isti nefandis operibus die & nocte. Verùm sequitur: Nouit Deus pios eripere ex tentationibus.

Christum confessi estis, pacem obtuliſtis, Cæsari obediuistis, iniurias toleraſtis, blasphemijs saturati estis, nec malum pro malo reddidistis. Summa, opus sanctum DEI, vt sanctos decet, dignè tractastis. Lætamini etiam aliquando in DOMINO, & exultate iusti. Satis diu tristati estis in mundo. Respicite & leuate capita vestra. Ego canonizo vos, vt fidelia membra Christi: & quid amplius quæritis gloriæ? An parum est Christo præstitisse fidele ministerium, & dignum illo membrum gessisse? Absit à vobis, vt tam exigua vobis gratia Christi esse videatur.

Cupio vos reduces expectare, & sudorem vestrum post hoc balneum abstergere.

Ego opto ac oro, vt forti & bono animo sitis, nec specie & facie ista rerum præsentium turbemini, qui scitis, quàm plenè sint hæc omnia in eius manu, qui vno momento cœlum obducere & serenare non tantùm potest, sed etiam solet, atque adeò delectatur etiam: in cuius sinum ego vos commendo peccator peccatores, sed tamen cōfessores, & non defensores suorum peccatorum. Aetas mihi esse videtur, quòd tuis proximis literis finitum colloquiū scripsisti: adeo suspendij istius, (quo expecto Cæsaris vltimum vel plaudite vel plorate) mora distrahor. Ego prophetizo mihi varia, tandem huc deferor cogitabundus, esse aliquot, qui vices suas interponunt, si fortè pacem obtinere possint. Has cogitationes sequitur oratio mea, & gemitus cordis: quod cor nisi exaudiatur, mirum nisi caput Episcoporum magno fato, eoq; non bono regitur. Ego incipio languere desiderio vestri reditus. Vtinam redeatis maledicti à Papa & Cæsare etiam Deo ipsorum, qui dicit: Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua. Sophistarum & Papistarum insidias & nequitias vindicabit Dominus. Bucero nihil respondeo. Nosti, ὅτι ἐγὼ μισῶ τὰς κυβείας καὶ τὰς παρουργίας αὐτῶν, οὐκ ἀρέσκουσί μοι οὗτοι. Priuſ.

Priusquam verò hæ Lutheri literæ Augustam allatæ sunt: Philippus statim post priores datas, ea, quæ cum aduersarijs interea incidissent, significauit.

PHILIPPVS MELANTHON D. MARTINO LVTHERO.

TVum iudicium de postulatis aduersariorum nondum accepimus, cùm quidem maximè interfit, nos id habere. Adhuc tota res posita est in his negocijs: Volunt vt fateamur, neque sumentes, neque porrigentes alteram speciem Sacramenti, peccare. Nos excusauimus sumentes; de porrigentibus hęret res. Synodus Basilienſis hac conditione concessit Bohemis integrum Sacramentũ, si faterentur, rectè posse vnam sumi, ac dari. Hanc confessionem & à nobis cupiunt extorquere. Eccius inquit, se ideò laborare, quia non possit vulgus retineri in officio, nisi & nos liberemus vulgi conscientias de Sacramento. Tuam igitur sententiam audire cupimus.

Causam applicationis missarum suspendunt ad Synodum: qua in re significant, se non imponere nobis hoc onus, vt impiã de Missa opinionem recipiamus, & tamen Canonem recipere nos iubent, sed cum commoda & pia interpretatione. Video nobis insidias strui, & quid mihi in priuata cõfessione faciendum esset, facilè iudicare possem. Sed hæc res est communis omnium; ideo aliorum sententias non reprehendendas esse censeo.

Valde reprehendimur à nostris, quòd Iurisdictionẽ Episcopis reddimus. Nam vulgus assuefactum libertati & semel excusso iugo Episcoporum, ægrè patitur sibi rursus imponi illa vetera onera, & maximè oderunt illam dominationem ciuitates Imperij. De doctrina religionis nihil laborant, tantùm de regno & libertate sunt solliciti. Mitto tibi exemplum nouissimè postulatorum, vt facilius respondere possis. Vale. Postridie Augustini, 26. Augusti.

Ad has Quæstiones, de altera specie, de Missis priuatis, de Canone, &c. in proximis Philippi literis expositas, respondet D. Lutherus sequenti epistola.

IVDICIVM LVTHERI DE MEDIIS CONCORDIAE, POSTREMO A PONTIFICIIS propositis.

IOHANNI DVCI SAXONIAE ELECTORI MARTINVS LVTHERVS.

Gratiam & pacem in Christo.

ILlustrissime Princeps Elector, Domine clementissime, Celsitudinis V. literas vnà cum duobus exemplaribus Formularum concordiæ, ab vtriusq; partis Delectis exhibitarum accepi. Cumque de his C. V. iudicium meum flagitet, subiectissimè illud his meis literis indicabo. Et primùm (sicut nostra quoque pars iudicauit) quædam alterius partis propositæ conditiones & media, prorsus intolerabilia sunt, ita vt talia in medium proferri valdè mirer.

De nostrę autem partis Articulis, hęc mea sententia est. Quòd Aduersarij à nobis petunt, vt doceamus, vnam quoque speciem Sacramenti rectè exhiberi, nec præceptũ, sed indifferens & adiaphorũ esse, vtraq; vel vna specie vti: Nouit V. C. ex principalibus nostris Articulis vnũ esse, quòd nihil in Ecclesia sit faciendũ aut docendum, nisi in verbo DEI certissima habeat fundamenta, ne, sicut Paulus inquit, in incertum curramus, & pugnantes aërem feriamus. Nam hoc opus, hic labor est, etiam cùm certum verbum Dei sequimur, vt in recta via firmi maneamus. Constat autem vnam speciem Sacramenti, puram traditionem humanam esse, & verbo DEI prorsus non confirmari, sed contrarium, vtramque videlicet speciem, perspicuis & claris DEI verbis confirmatam esse. Ideo neque probare, neque docere possumus, vnam speciem rectam esse. Christus enim Matthæi 15. inquit: Frustra me colunt mandatis hominum.

Præterea & hoc probari nequit, quòd Christi verbum & mandatum indifferens reddere volunt, cùm adeo seuerè & seriò præceperit, Hoc facite in mei commemorationem.

Nec ipsi sanè indifferens esse credunt, Nam multos, quòd vtra-

vtraque specie vsi essent, combusserunt, eiecerunt, persecuti sunt, & hanc doctrinam, vt magnam hæresin, damnarunt. Quare non tantùm Dei & nostra, sed etiam ipsorum causa, concedere nobis non licet, vt indifferens esse doceatur. Ita enim ipsos cogeremur velut homicidas & nefarios nebulones traducere, quòd rem indifferentem tanquam hæresin cõdemnassent & persecuti essent. Quia igitur ipsi indifferens esse non credunt, multò minùs nos ita docere possumus, nisi ipsi reuocent, & omnes eos, quos propterea persecuti sunt, restituant. Et pulcrum est, quod conqueruntur, se non posse cohibere populum, nisi nos doceamus, ipsos quoq; rectè docere. Hanc sapientem rationem libenter audio: perinde quasi Deus suum verbum ideo docere debeat, vt ipsi populum cohibere, & Tyranni manere possint.

De priuatis Missis idem respondendum est, Nam & hæ ab hominibus tantùm excogitatæ, & sine vllo Dei verbo exortæ sunt: vt iam de horrendis illorum abusibus taceam.

Quòd autem dictitant se non coacturos, vt nos eam institua mus, sed petere tantùm vt eam non prohibeamus: Nos ipsis nihil prohibemus. Vt autem approbemus, id facere non possumus: Vbi enim vnica tantùm traditio humana admittitur, ibi cæteræ quoque sunt admittendæ. Quare hæc via proxima est, vt, si priuatis Missis locum damus, mox vniuersum Euangelium amittamus, & meras hominum opera recipiamus. Non enim causa est, cur vna, & non omnes hominum traditiones recipi debeant. Et qui omnes prohibuit & condemnauit, is quoque vnam prohibuit & condemnauit.

Quod prætendunt, Principis officium non eò extendi, vt hoc prohibeat, nos sanè scimus Principis & Concionatoris officium non esse idem: sed quæritur iam, an Princeps, vt Christianus, in hoc consentire velit: neque quæstio est, an hîc, vt Princeps, agat. Aliud est, an Princeps prædicare debeat, an in prædicationem consentire velit. Non Princeps, sed sacra Scriptura Missam priuatam prohibere debet. An igitur Princeps aliquis Scripturæ assentiri vel non assentiri velit, id penes ipsum est. Nemo in terris eum, vt id faciat, cogit.

DE CANONE, An ferendus sit cum mediocri glossa. Certè si hæc causa ex bona interpretatione penderet, iampridem Turcicam fidem glossare, & omnes infideles ad Christianam fidem

adducere voluissem. Satis constat, quomodo Missas vendiderint, vt Sacrificium & opus. Id iam volunt glossare. Sed in summa, Hominum inuenta sunt in diuinis rebus intolerabilia, periculosa præterea & scandalosa. Et quia rem ipsam defendere non desinunt, neq; nobiscum de Missa statuunt, quòd non sit Sacrificium: quid opus est, scandalosum verbum retinere, cùm nec necessarium sit & præterea periculosum? Iam verò periculū sine necessitate subeundum non erat. Illud enim prohibitum est, & dicitur Tentatio DEI. S. Augustinus inquit, Teneat sententiam & corrigat linguam. Et loquitur de voce Fatum. Qui fatum, inquit, de decreto DEI intelligit, is rectè intelligit: Nec tamen verbum illud vult ferre, & dicit, corrigat linguam. An nos igitur dubia & obscura verba insuper excogitare & instituere volumus, cùm tamen euidentia & clara difficulter retinere possimus?

Præterea excusari nulla ratione potest, vt vox Sacrificium in Canone relinquatur. Nam Canon adeo clarè Missam, verum sacrificium esse pronunciat, vt nemo hominum aliter interpretari aut intelligere possit, quàm quòd Missa sit sacrificium.

Inter alia enim petitur in Canone, vt DEVS per manum Angeli sui, hanc hostiam Sacramenti sursum ante diuinum ipsius altare perferri sinat. Quod certè de commemoratione passionis Christi exponi nequit: Illa enim per prædicationem fieri debebat. Præterea Canon orat, vt DEVS sacrificium illud sibi placere sinat & acceptum habere velit, cùm tamen dilecti sui Filij corpus & sanguis sit: perinde ac si homo pro Christo apud DEVM intercedere debeat. Quod blasphemum & fœdum est. Nec Canon vllo modo ferri potest.

Postremò omnia quæ in potestate nostra sunt, patiemur & cedemus. Quod autem in potestate nostra non est, rogamus ne id à nobis flagitent. Quod verò DEI verbum non est, id vt recipiamus, in potestate nostra non est. Et quod sine verbo DEI institutum est, vt sit cultus DEI: id quoque vt recipiamus, in potestate nostra non est. Quare ieiunia & festa, quæ proponuntur, aliter recipere non possumus, quàm si à Politico Magistratu, vt Politica ordinatio, constituantur. Omnia enim mundana sunt, quæ ceremoniarum nomine ornantur, vt vestes, ritus, ieiunia, festa, &c. Quæ omnia DEVS rationi subiecit, ac vt liberè de ijs disponat, præcepit Gen. 2. Terrena enim sunt & mundana, per hoc verbum, Dominamini terræ, rationi sub-

ni subiecta. Cùm igitur ciuilis Magistratus, summum rationis humanæ officium sit: de his rebus terrenis constituere & præcipere liberè potest.

Hæc subiectissimè ad has quæstiones festinans respondere volui. C. V. gratiæ diuinæ commendo. Amen. Die Veneris post Bartholomæi, 29. Augusti. Anno 1530.

PHILIPPO MELANTHONI MARTINVS LVTHERVS.

GRatiam & pacem, mi Philippe. Respondi ad istas quæstiones nudiustertius: & quid est quòd audent postulare tam manifestè absurda & impia, cùm nec ipsi antea ita docuerint, & ideo nūc hoc fingant, ne præterita sacrilegia eorum videamus? Sed hoc prætextu eadē suscitant & stabiliunt. Vos nil, mea sententia, rectius feceritis, quàm si liberemini ab istis crassis insidijs, dicendo, velle vos DEO, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ Cæsaris sunt, reddere. Si igitur ostendere potuerint, ea esse Dei & Cæsaris, admittite. Si non ostenderint, dicite: Extra Deum & Cæsarem, non esse cui obediatis, nisi solum Diabolum, cui obedire ne ipsi quidem iubebūt: Quid opus est sic causam distrahi ac dispergi in quæstiones? Soluant illi quod proponunt, id est, ostendant esse Deum vel Cæsarem. Quare ista insulsa calliditate patimini eos in vos ludere, an hoc vel illud velitis? Dicant ipsi, an sit verbum Dei, & statim obtinebunt: quia vos velitis verbo Dei obedire. Sed hæc meliùs vos cogitatis. Nam ego in tam crassis insidijs fortè nimis securus sum, sciens vos nihil posse ibi committere, nisi fortè peccatum in nostros, vt perfidi & inconstantes arguamur: sed hæc postea causæ constantia & veritate facilè corriguntur. Quanquam nolim hoc contingere, tamen sic loquor, si quædam contingerent, non esse desperandum. Nam si vim euaserimus, pace obtenta, dolos, mendacia ac lapsus nostros facilè emendabimus, quando regnat super nos misericordia eius. Viriliter agite & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in DOMINO: Speratis verò, qui causam eius agitis, quod sine spe quî possit fieri? Saluta omnes vestros, & tu cum eis vale. Ex Eremo, die Augustini, Anno 1530.

D. MARTINVS LVTHERVS GEORGIO SPALATINO.

SCripsi antea de articulis istis, mi Spalatine, & vt dixi, Diabolus si non potest leo esse, vult esse Draco. Iam in insidijs versari causam nostram ipsi videtis. Quare non est, vt de his multa scribam: quis enim intellectas insidias non facilè caueat? Ipsi quærunt vt dominentur fidei, & conscientijs, & arte ista vos auocare volunt à verbo, quod satis video. Verùm nihil metuo, quia, si insidijs pergent, impingent ipsi in nostras insidias. Nam vbi hoc vnum tenueritis, vos nihil contra Euangelium concessuros esse, aut concessisse, quid tum sunt illorum insidiæ? Næ ego tunc pulchrè eos tractauero, declarans Rhetorica mea, quòd sint ausi contra Euangelium à vobis postulare quædam, isti tanti fidei & Euangelij propugnatores. Et esto, aliquid manifestè (quod non facietis, CHRISTO fauente) contra Euangelium concesseritis, & ita in saccum aliquem aquilam istam concluserint: Veniet, ne dubita, veniet Lutherus, hanc aquilam liberaturus magnificè: ita viuit CHRISTVS, hoc verum erit. Quare nolite timere, victores iam violentiæ, ab istis bullis insidiarum: Vtut res ceciderit, fortes estote & viriliter agite. **Es hat nicht not/ wenn sie mit den blinden griffen vmbgehen.** Porro in isto articulo, in quo petitur, vtà Legato & Papa postulemus nobis concedi, quæ nobis permittere velint, obsecro te, vt Amsdorffiè respondeas in aliquem angulum, **Daß vns der Bapst vnd Legat im sra wolle lecken.** Vale, mi Spalatine, & parce leuitati huic, quam mihi extorquet indignatio pessimorum hominum.

POst publicas istas, de pace & concordia inter Euangelicos & Pontificios status restituenda, tractationes, per Delectos Principes & Theologos, permissu Cæs. M. & Senatus Imperij susceptas priuati quidam magnæ autoritatis homines, C.M. & Principum Consiliarij de communi pace & tranquillitate sollicitè laborantes, & vtri-

& vtriq; parti bene cupientes: Georgius Truxes à VValburg: Cancellarius Episcopi Leodiensis: Consiliarius quidam Episcopi Augustani, Christophori Stadionis, & alij, seorsim media concordiæ proposuerunt, ad quæ nostri etiam singulari cum modestiæ & voluntatis cupidissimæ pacis & concordiæ significatione responderunt.

Circumferuntur etiam literæ & conditiones pacis ad Cardinalem Campegium, ad Oratorem Venetum Nicolaum Teupulum, ad Episcopum Augustanum, & alios, partim scriptæ, partim typis excusæ: Perinde ac si à Theologis quibusdam Protestantium, Philippo inprimis, eo tempore emanassent. Cùm autem dubia & incerta scripta sint; quorum aliqua à se profecta esse, Philippus ipse constanter postea negauit: bono & benè deliberato consilio, & alijs etiam iustis & grauissimis de causis, omittenda esse in hoc libro duxi.

Vnicam tantùm Senatus Noribergensis censuram, de pacificatione & Articulis concordiæ suprà commemoratis, grauiter & neruosè scriptam, adiungemus.

IVDICIVM ET CENSVRA SENATVS ET THEOLOGORVM NORIBERGENSIVM, DE MEDIIS CONCORDIÆ inter Ordines Euangelicos & Pontificios Augustæ propositis.

SEnatus Noribergensis, scriptum de Medijs concordiæ, Christianorum statuum nomine, Delectis à parte Pontificia Augustæ nuper oblatum, quantum in hac temporis angustia fieri potuit, diligenter legit & expendit; idque Theologis suis deliberandum exhibuit: & triplices articulos in eo contineri animaduertit.

Primi sunt, de quibus inter Delectos conuenit, & qui nõ admodum controuersi hactenus fuerunt. Hos suo loco iam relinquemus.

Secundò sunt Articuli, qui hactenus controuersi fuerunt, & ad consensum nondum reducti sunt. In his bonum, piũ & æquum est, illa constanter retineri, quæ in publicis concionibus nostri docuerunt, & in exhibita Confessione velut recta & diuina professi sunt.

Tertiò sunt articuli, qui partim in dubium, partim in cõtrouersiam vocantur.

Quantum igitur ad hos cõtrouersos, vel, vt nuperrimè oblata designatio eos nominat, adhuc dubios articulos attinet, videtur Senatui eiusq; Theologis, & sine dubio alijs etiam pijs & rectè iudicantibus, multa in illo scripto concessa, approbata, & Pontificijs tradita esse, quæ vel conscientiam lædant, nec sacræ Scripturæ testimonio defendi possint, vel ijs, qui hactenus Christum eiusq; Euangelium confessi sunt, magno detrimento & scandalo sint futura.

Ac vt articulorum illorum & grauaminum partem summatim indicemus: Primùm pijs Magistratibus non parum incommodi adferet, sese prorsus obstringere & assẽtiri, vt omnes monachos & monachas, eorumque monasteria, in pristino statu, & veteribus suis ceremonijs, sicut hactenus eas vsurparunt, quietè & tranquillè degere sinant. Inde enim multis in locis secuturum esset, vt conuentus illi monastici, cætera sua patrocinia, conciones, Missas impias, fraternitates, ritus funebres, & eius generis permulta liberè rursus instituerent, simplicium animos ad se allicerent & seducerent, & dissimilitudine illa ceremoniarum tantam confusionem inducerent, ex qua apud vulgus, præsertim in magnis communitatibus, nihil certius, quàm maxima seditio expectanda esset, vt reliqua inde oritura incommoda silentio prætermittantur.

Secundò, bonum non est, nec exiguo errori & dissensioni occasionem præbebit, quòd Pontificijs, ipsorum vsitata doctrina, in loco de pœnitentia, quasi tres illius partes sint, conceditur & confirmatur. Dubium enim non est, confessionem à Pontificijs, de auriculari illa, ipsis vsitata, confessione, & satisfactionem de meritis nostrorum operum pro peccatis satisfacientium intelligi. Iam cogitet vnusquisq;, si illis confessio & satisfactio, tanquam necessariæ

partes

partes pœnitẽtiæ, cõcedantur, quantũ hoc ipso obtinuerint: & an verbo Domini & Scriptura salua, hoc illis cõcedi possit. Ac licet noua aliqua glossa, interpretatione, seu expositione, ab ea, quam Pontificij retinent, diuersa, negotiũ ornaretur: à rudi tamẽ vulgo nunquã susciperetur, cũ res plus satis clara & perspicua sit omnibus.

Tertiò, Si Sacramentum nemini, nisi præcedente oris cõfessione exhibendum esset, multis scrupulis & erroribus occasio præberetur, & periculosum esset cõmunionem adeo simpliciter & precisè ad confessionẽ alligari, & homines ad hanc adstringi. Hoc quid aliud esset, quã cõscientias iterũ ad auricularem cõfessionem cogere, ad quã tamẽ nemo hominum vi & necessitate cogi debet, & hoc modo Pontificiam conscientiarum carnificinam restituere, & homines eò compellere, vt eo ipso die communionis, & ita ad placitum Pastorum, certo tempore confiteri cogantur.

Quartò, Articulus de ieiunio, vsu carnis licito aut prohibito, partim ridiculè, partim incommodè positus est. Hac enim ratione, homines rursus ad obseruantiã ieiunij quadragesimalis & aliorum dierum coactam, non liberã, astringerentur: & libertas Christiana sub specie cõcordiæ & pacis conseruandæ, tolleretur: cùm tamen libertatis Christianæ non minorẽ, quàm alterius cuiusuis articuli fidei, vt Paulus præcipit, rationem habere debeamus: præsertim vbi libertatis illius intermissio, tanquam necessaria constitutio seruanda, proponitur, sicut Papistæ nulla alia ratione eam indicant & expetunt.

Quintò, Certissimum est, nullum ex Scripturis testimonium proferri posse, quod confirmet, aut ex quo colligi possit, Sanctos mortuos, vel angelos in cœlis, Deum pro nobis orare. Neq; alius est mediator, deprecator, aut summus sacerdos, coram Deo (sicut omnes Scripturæ indicant) quàm vnicus CHRISTVS. Quid ergo prodest, quem fructum affert, Pontificijs articulum istum, quem Scripturæ autoritate hactenus obtinere tentarunt, cuius tamen nequidem mentionem Scriptura facit, concedere & confirmare? Qui abusus etiam paulatim ex hoc articulo sequuturi essent, quilibet prudens facilè intelligit.

Sextò, Iurisdictio Eccl. Episcopis hoc scripto multò amplior permissa atq; cõcessa est, quàm vnquam hactenus optare ausi sunt, imò amplior, quàm vnquã eã habuerunt. Ac si vnicus hic articulus valere & consistere deberet, nulla subtilior & compendiosior via

breui

breui temporis spacio Euangelium funditus delendi posset excogitari. Nam si ordinarijs liberum, vt antè, in Sacerdotes imperium concederetur, si Ordinarij ratione potestatis Episcopalis, sacerdotem delinquentem punire nemine impediente possent, si Ecclesiæ Pastores & concionatores ordinarijs præsentari deberent: sicut hic articulus prolixè & generaliter, nulla constituta autoritatis illius Episcopalis determinatione, proponit: quid aliud inde sequeretur, aut quid esset aliud expectandum, quàm vt Antistites illi, nullum veræ & sinceræ religioni deditum Pastorem, ipsis præsentatũ, vnquam admitterent, aut si quem admitterent, quotidie, iam hoc, iam illud à se confictum crimen in eum conferrent, cuius prætextu eum citarent, in via interficerent, vel aliâs tali tractarent modo, ne vlli tutus esset relictus locus. Quis autem Pastorũ, cum certo vitæ suæ periculo conduci se pateretur, &, si à Magistratu defendi contra Episcopum non posset, concionari, & nil nisi mortem & exitium expectare vellet? Qua ratione Magistratus etiam coram Deo & in propria conscientia & erga subditos se tueri & excusare possent?

Quòd si Concionatores eo modo afflicti, elisi & electi essent, quamdiu Euangelium & religio Christiana stabilis permanere posset? Qua ratione Pontificij, Christianis ordinibus subtiliores insidias struere possent, quàm si omnes articulos, de quibus nondum conuenit, ad futurum Concilium differrent: & vnicum hunc de Iurisdictione Episcoporum articulum reciperent? Eo enim modo hanc nacti essent viam, & compendium hoc adepti, quo Euangelium, eiusque præcones atque Pastores facilè opprimerent. Quod sanè coram Cæsarea Maiestate, coram Imperio & coniunctis statibus nulla iusta, probabili aut commoda ratione defendi posset.

Ac summatim dicendo, huius generis grauamina, difficultates & incommoda secutura ex pluribus articulis, & pluribus locis, in scripto suprà nominato & oblato, excerpi possent: Qui si reciperentur, multas saucias & anxias redderent conscientias, magna pars abusuum Pontificiorum confirmaretur: Euangelium contumelia afficeretur, status Euangelici pro Apostatis, qui doctrinam suam reuocassent, passim traducerentur, sacræ Scripturæ multis in rebus contraria agerentur, denique vnum incommodum ex alio sequeretur.

Etsi

Etsi autem pacis & tranquillitatis politicæ causa multa concedenda, ferenda, & admittenda sunt: tamen per eam, tranquillitas & pax conscientiæ & cordis non turbanda est. Non enim bona, sed pernicioſa pax est, quæ cum animarum & conscientiarum damno, & cum ignominia nominis diuini quæritur & conseruatur. Neq; enim, vt Paulus inquit, facienda sunt mala, vt eueniant bona.

Ac etiamsi omnia ad formidabilem tumultum & bellum spectarent: non tamen propterea aliquid contra Deum, eiusque verbum & nostram conscientiam agere: Sed rectè & piè procedere, & curam pacis aut belli futuri Deo committere debemus. Alioquin Euangelium, pacis corporalis & euitandæ crucis causa abijcere & parui pendere videremur.

Quòd si articuli isti ita reciperentur, & Lutherus, aliorumq; Principum Concionatores (quod futurum esse apparet) publicis concionibus, lectionibus & scriptis sese illis opponerent: sicut pius verbi minister, ratione conscientiæ, non semper hoc ipsum intermittere posset: cogitare singuli possunt, quantum concordiæ & pacis (quam his concessionibus se obtinere, & tueri posse quidam imaginãtur) inde sequuturum sit. Multis sanè admirationem non exiguam parit, quòd præcipui ex Euangelicis statibus erga seueras & graues C. M. & Imperij ordinum sollicitationes, tantam pietatem, constantiam & magnanimitatem declararunt: Nunc verò in amica tractatione, cùm nihil periculi est, nulla vrgente necessitate, labascunt, & tam multa aduersarijs concedunt.

Quamuis autem scriptum illud tam ambiguè compositum sit, vt multi articuli, iam in hanc, iam in illam sententiam etiam à nostris pertrahi queant: tamen apud aduersarios & maximam hominum partem, in illo sensu non acciperentur: præsertim cùm Euangelici status ipsi, nullam simplicem & veram sententiam, Euangelio congruentem, inde elicere possint.

Præterea non laudabile est in tanti momenti causis, quæ gloriam Dei, diuinas ordinationes atque institutiones, & salutem omnium hominum concernunt, adeo ambiguè & obscurè agi: Sed in eo potissimùm elaborandum erat, ne ambiguitas, nouis disputa-

tion-

tationibus & dissensionibus occasionem præbeat. Siue igitur vnum aut plura, ex propositis medijs, recepta aut reiecta fuerint: tamen omnium prudentum iudicio, hæ concessiones, Euangelicis statibus, apud amicos & inimicos non parum ignominiæ, suspicionum & scandalorum parient, & speciosam Pontificijs occasionem omnes suos inde abusus confirmandi, & magnificè de victoria sua triumphandi præbebunt: sicut iam Cochlæus in hanc vrbem palàm scripsit, & de multis ac magnis nostrorum concessionibus est gloriatus.

Qua ratione autem huic tristi vulneri remedium adhiberi, & quid deinceps agi debeat, cùm scriptum illud ad multorum manus peruenerit, & exhibitum sit, valde dubium est. Veruntamen pro causæ conditione, hæc via procedendi rectissima visa est: vt Senatus nostri legati, clementissimis nostris Principibus, Electori Saxoniæ & Marchioni Georgio indicent, se scripti exhibiti, per veredarios, suis dominis & amicis copiam fecisse: quibus responsum sit: non Senatum solummodo, verùm etiam Theologos suos, quibus cum scriptum illud communicassent, eorumque sententiam exquisiuissent, in nonnullis illius articulis & medijs propositis multa desiderare. Quòd si articuli illi, antequam Delectis aduersariorum oblati sunt, ad Senatum missi fuissent, se ipsorum Celsitudinibus, ea, quæ desiderarent, & quibus grauarentur, reuerenter significaturos fuisse. Præterea Senatus, ea, quæ vtrinque à Delectis disputata, exhibita & comprobata sunt, neutri parti præiudicium vllum adferre, nec quenquam obligare iudicat, ita vt sine vtriusq; partis præcedente expresso consensu, ea, pro firmis, certis & transactis haberi nequeant. Nam absque hoc si esset, Euangelicis statibus hanc transactionem multipliciter incommodam, grauem, vituperabilem, & apud aduersarios etiam scandalosam fore, Senatus censet.

Cùm autem hæc grauissima & difficilima, & talis causa sit: ex qua non solùm Euangelicorum statuum, sed multorum etiam hominum aliorum felicitas & salus pendeat: ideoque necesse sit eam maxima diligentia considerari & expendi, ne quid suscipiatur, approbetur aut admittatur, quo conscientiæ & animi piorum offendi, veteres abusus confirmari, & dissensiones ac rixæ augeri potiùs, quàm Christiana pax & concordia restitui possit: Reuerenter ab Illustriss. Electore, & Principibus Senatus petit, vt totum hoc negotium,

gotium, & quæ inter Delectos hactenus vtrinque acta sunt, ad D. Martinum Lutherum, per quem omnipotens Deus hisce temporibus, Euangelij doctrinam primùm instaurauit, clementer mittere, & causam totam, peritissimi illius Theologi, cuius etiam maximè interest, iudicio & censuræ expendendam subijcere dignentur: vtà parte statuum Euangelicorum, rectiore & tutiore via incedatur, nec quidquam comprobetur, vel admittatur, quod verbo Dei aduersetur. Quod ipsorum Celsitudines, pro sua pietate alioquin sponte sine dubio facturæ essent.

Nam si clàm & inscio Luthero, in hac causa, aliquid concluderetur & reciperetur, quod Scripturæ sacræ fundamento non niteretur, vel alioquin dubium & ambiguum esset, verendum sanè esset, Lutherum non silentio illa præteriturum, sed publicis concionibus & scriptis impugnaturum esse. Hinc quantæ distractiones, cõtrouersiæ & turbæ essent orituræ, Legatos, Electori & Principibus cogitandum relinquere.

Cùm autem Senatus Noribergensis, eorumque amici, nec non reliqui status Euangelici, ad Illustriss. Electorem & Principes, tanquam ad primos & summos status præcipuè respexerint: certò sibi persuadet Senatus, ipsorum Celsitudines, hanc suam petitionem non inclementer, vtpote ex pio & necessario retinendæ bonę cõscientiæ studio profectam, accepturas esse: Et in postremo actu huius causæ, non minùs, quàm in principio, & hucusq;, pietatem & constantiam suam declaraturos esse, vt Aduersarij nostri, omnes Euangelicos adhuc concordes & constantes manere intelligant. Idq; omni studio Senatus promereri conabitur.

Etsi autem durum videbitur, propositas conditiones concordiæ, iam aduersæ parti exhibitas, & quæ pro ratis haberi possint, retractare, tamen magnitudo huius causæ, & conscientiarum onera magis consideranda, neque cum verbo Dei ludendum est.

Ideoque Senatui & cæteris in hac causa coniunctis minimè consulendum est, vt tales conditiones in præsentia accipiant. Verùm si aduersa pars, propter exhibitam articulorum designationẽ consensum vrgeret, & illud ipsum sibi, Euangelicorum statuũ nomine, concessum & approbatum iudicare vellet: Pontificiorum propositum hac ratione eludendum erit, quòd illa Delectorum ab

vtraque

vtraque parte tractatio amica, sine vllius partis præiudicio vel obligatione suscepta sit, neque in potestate Delectorum positum esse, (sicut aduersarij ipsi semper protestati essent) absque Cæs. M. & omnium Imperij ordinum vtriusque partis, tanquam principalium consensu, talia acceptare: Nec conditiones illas & media, alia intentione proposita esse, quàm, si de reliquis articulis omnibus, adhuc controuersis, antea conuenerit, & integer ac plenus consensus præcesserit, qui exhibitæ Christianorum statuum confessioni conformis, & ab aduersarijs concessus & approbatus fuerit. Absq; hoc, nouissimè oblatum scriptum, sine vllius præiudicio & obligatione propositum, & nulla ratione pro comprobato recipiendum esse.

Præcipuè autem in illis tractationibus de pace, Augustæ institutis, Noricos multa desideraſſe, non solùm ex censura iam recitata, verùm ex sequentibus etiam Philippi ad Lutherum & Camerarium Epistolis apparet. Quas sanè hoc loco nequaquam insererem, nisi in Tomis Epistolarum Philippi, Lipsiæ à Camerario, & Vuitebergæ & alibi editis, aliquæ illarum, publicè iam, à multis annis extarent.

PHILIPPVS MELANTHON IOACHIMO CAMERARIO.

NOn possum in aula impetrare, vt certus hinc ad Lutherum tabellarius mittatur. Ideò iam alterum ad te fasciculum mitto, neque tamen ille respondet. Id etiam fato aliquo accidit opinor, vt effugiant è manibus ἀφορμαὶ τῆς εἰρήνης.

Mihi non perinde cupidi videntur pacis nonnulli, vt oportuit viros bonos & amantes religionis. Quidam legati mirificè mihi succensent, quòd videor restituere Episcoporum regnum. Sacranus neutiquam amanter de ea re expostulauit mecum, noua quadam & inusitata vsus verborum acerbitate. Sic est, vt scribit Thucydides,

cydides, τὰ ἐν μέσῳ ἀμφοτέρωθεν κτείνοντι. Vtinam id mihi accidisset iam olim, ne nunc videre hæc vitia partium cogerer. Non enim libet supereſſe Reipublicæ. Nihil hîc adhuc decretum eſt, ſed res extracta eſt ἐμοῦ πραγματεύοντος. Nunc, vt video, ſinenda res eſt, vt κατὰ ῥοῦν feratur. Vale feliciter. 3. Calend. Sept.

EIDEM.

QVòd de meis actionibus atq; conſilijs tantoperè ſollicitus es, facis officium & viri optimi, & hominis amiciſsimi. Ego autem ſpero fore, vt mores me tibi mei, quos habes ſatis notos, purgent. Quicquid egimus, egimus communicato conſilio cum his, qui ſimul adhibiti ſunt ad hæc negotia. Sicubi priuatim colloeutus ſum cum priuatis, id ad alios nihil pertinet. Et ab eo tempore, ex quo abes, tantum otij non fuit nobis, vt priuatim cum vlla poſſem vlla de re commentari: Nulli autem tunc eranthac de re ſermones: nunc nati ſunt, poſtquã patefactum eſt, quid nos concedamus Epiſcopis. Hoc malè habet ſcilicet quoſdam immoderatiores, reddi Iuriſdictionem, reſtitui πολιτείαν Eccleſiaſticã, hocinterpretantur reſtitutionem dominationis Pontificiæ. Neq; ignoro, cur tantum abhorreant ab hoc conſilio. Ægrè patiuntur ciuitates, reduci in vrbes illam Epiſcoporum dominationem. Et ſapiunt: ſed quo ore eripiemus eis, ſi nobis permiſerint doctrinam? Quid? quòd omnia, quæ largiti ſumus, habent eiuſmodi exceptiones, vt hoc metuam, ne Epiſcopi exiſtiment offerri ῥήματα ἀντὶ ἀλφίτων. Sed quid potuimus aliud? Quanquam, vt ego, quod ſentio, dicam: Vtinam, vtinam poſsim, non quidem dominationem confirmare, ſed adminiſtrationem reſtituere Epiſcoporum. Video enim, qualem ſimus habituri Eccleſiam, diſſoluta πολιτείᾳ Eccleſiaſtica. Video poſtea multò intolerabiliorem futuram Tyrannidem, quàm antea vnquam fuit. Adhæc, nihil adhuc conceſsimus aduerſarijs, præter ea, quæ Lutherus cenſuit eſſe reddenda, re benè & diligenter deliberata ante conuentum. Neq; ego non additurus eram aliquid quaſi auctariũ, publicæ pacis cauſa. Cuius fortaſsè aliqui nunc rationem non habent, qui, ſi quis exorietur motus, vtinam non abijcerent non modò has noſtrorum diſputationes, ſed vniuerſam religionem. Heri dictæ ſunt ſententiæ à noſtris de reſtituenda poteſtate Eccleſiaſtica. Et cõ uenit inter Saxonem, Marchionem, & Luneburgenſem. Heſsi contantur, & diſsimulant ſententiam veſtri legati. Quidam animis intuẽtur τὸν ἀπελθόντα. Huius conſilijs applaudent, ſi videbuntur ipſis profutura. Planè nihil fieri ab illis noſtris accuſatoribus candidè ſuſpicor. Itaq; non valdè doleo meas actiones ab illis reprehendi. Ego nullius in hoc negotio gratiam aucupatus ſum, pacis cupidum me & fuiſſe & eſſe non obſcurè confiteor. Neq; adhuc intelligo,

quid habeant consilij isti, qui malunt omnia funditus perire, quàm in rebus non maximi momenti alicubi aduersarijs morem gerere. Quem ego locum, quem articulum necessarium deserui? Imò effeci etiam, vt fateri cogeretur Eccius, Iustitiam contingere per fidem. Sed facio finem huius Apologiæ. Breui coràm hac de re copiosiùs confabulabimur, modò Christus fortunet exitum negotij. Nunc enim deliberat Cæsar, quid de nobis statuere velit, posquam non omnia conuenerunt. Pridie Cal. Septemb.

PHILIPPVS MELANTHON D. MARTINO LVTHERO.

ANte triduum finitum est Colloquium nostrum. Noluimus enim conditiones de altera Sacramenti parte, de Canone, de Missa priuata accipere, item de Cœlibatu. Nunc res iterum ad Imperatorem relata est, vt, quid futurum sit, diuinare non possim. Tantùm oremus Deum, vt mentem Imperatoris flectat ad pacem retinēdam, qua nunc maximè opus est non tantùm nobis, sed vniuersæ Germaniæ.

Non credis, quanto in odio sim Noricis, & nescio quibus alijs, propter restitutam Episcopis iurisdictionem: Ita de suo regno non de Euangelio dimicant socij nostri.

Amicus quidam scripsit me, si quanta voluissem maxima pecunia à Romano Pontifice conductus essem, non potuisse meliorem rationē suscipere restituendæ dominationis Pontificiæ, quàm hanc esse iudicent homines, quam instituimus.

Ego nullum adhuc articulum deserui, aut abieci, qui ad doctrinam pertineat: tantùm stomachabātur de politicis rebus, quas non est nostrum eripere Episcopis. Breui, vt spero, sciemus, quid decernet Imperator. Vale feliciter, Die Egidij. 1. Septemb.

Epistolam amici illius, de Philippi lenitate & cessionibus, vt ipse existimabat, intempestiuis, ad Ioachimum Camerarium scriptam, ipse Ioachimus inclusam suis literis ad Iohannem Islebium Augustam miserat.

IOHAN.

IOHANNI AGRICOLAE ISLEBIO IOACHIMVS CAMERARIVS.

QVm perspexerim amorem erga me tuum, simque mihi conscius, quanti te faciam, & quantum de te mihi polliceat, de re maxima ad te scribere volui, partim vt que relas tibi nostras exponerem, partim vt tua responsione ad aliquam certitudinem rerum vestrarum perueni rem. Vt autem de ijs, quæ me excarnificant, meliùs cognoscere, inclusi literis meis exemplum Epistolæ, mihi, vt vides, inscriptæ: Ex qua intelliges, qui rumores de vestris consultationibus venerint, & quid de vobis non vulgus, sed illius doctores loquantur, maximeque quæ opinio sit hominum de Philippo nostro, quem ego, cùm æquè ac meipsum diligam, doleo nunc manifestis, nunc tacitis conuitijs conscindi, si immeritò, valde: si meritò, quod Deus prohibeat, plurimum, & suprà quàm dici potest. Te igitur, mi Agricola, per quicquid possum & debeo, obtestor, vt nobis de vestris rebus omnem veritatem perscribas. Nemo potest melius hoc omnium, qui istic sunt, facere quàm tu, qua te noui diligentia, studio, fide, in annotandis omnibus. Nemo autem, vt mihi persuadeo, promtiùs volet, propter eius, quæ inter nos est, amicitiæ magnitudinem. Omnium me maximè penè vexat, quod Philippus de Missa dicitur suasisse. Etsi quod scelestè dictum sit in illo non inuenio, sed simplicitatem requiro. Conijciemur, crede mihi, in maximas turbas, quas etiam debet præuidere homo studiosissimus pacis. Sed remitto hæc ad exemplum: vbi hoc vnum addidero, si tu mihi in respondendo beneuolentiam sedulitatemque nauaueris, existimaturum me tantum beneficij in me collatum esse abste, quantum hoc tempore potuerit. Incredibile est quantum me quorundam iniquis. sermones verberent. Vale III. CL. VIIbris.

IOACHIMO CAMERARIO VINCENTIVS OBSOPOEVS.

SPero quòd boni cõsules meam sollicitudinem & interrogationem, & illam alleuabis, hanc dissolues responsione tua. Mirifuerunt sermones his diebus, & adhuc sunt hominum nõ vulgarium, sed qui populo præsunt, de rebus Augustensib. & tractatione religionis: omnesque accusant propugnatores Euãgelij, & inprimis Philippum, quẽ scio te amare, & illi carum esse. Aiunt omnino, si conductus, quanta ipse voluisset pecunia, à Papa esset, nunquam illius dominationem meliùs potuisse asserere. Vocant quidam Achitophelica consilia: alij, qui modestiores sunt, Erasmica; vt ego puto, propria illius. Nemo enim aliter sentit, quàm illum, contra omniũ voluntatẽ, reclamantibus etiam apertè quibusdã fortioribus, tamẽ obtinere quod voluerit, & conditiones perferre. Addunt, proponi omnia subdolè: pauca esse vbi non manifesta peccata insint: Nõ fuisse causam vllam, cur in has angustias declinaretur. Recitantur capita cõditionum, exasperantur verbis. Ego opto ardentissimis votis, vt ita de religione merito Philippo fiat iniuria, quam si fieri illi sciam, maximopere indignor. Cupio igitur abs te cognoscere, si quid habeas compertum de illis rebus. De Missis priuatis audiui omnium maxima cum perturbatione animi mei. Ait reponendas. Vbi? nempe vnde amotæ sunt: addit interpretatiunculam de applicatione: rectè sanè, doctrina nõ violatur, sed qualis ille vsus erit? & quid erit? Si Ecclesiasticus, non disputemus de exitu: sin cõtrarius est institutioni Christi, cur toleretur? Hæc non explico, & alia paucula quædam, quæ mihi videntur callidiora, quàm veritatis oratio patiatur, & tenuiora, quàm quæ debuerint in tali tractatione proponi. Audio etiam segregare eum Principes à religionis protectione: quod satis mirari nequeo, quo audeat ore facere, si modò facit. Ergo illi ferent, quod dixerunt impiè fieri, & ferendo probabunt. Hocipse erit illis autor? Adiuua me, si potes, optime amice, ferentem intolerabile pondus solicitudinum de publica salute. Puto illinc te habere aliquid, de quo ne graueris mecum communicare, siue per literas, siue coràm malueris. Vale.

IOACHIMO

IOACHIMO CAMERARIO NORIBERGAE PHILIPPVS MELANTHON.

DE nobis hîc nondum decretum est, neq; accipiunt aduersarij cõditiones, quas proposuimus. Tantò plus vident, quàm quidam, qui se nobis amicos esse dictitarent, qui ea concessione veciferabantur solidam τυραννίδα Episcoporum restitutam esse. Intelligunt enim, quid habeat illa concessio incommodi, quanquam ego optimo animo semper putaui ista concedenda esse. Quo iure enim licebit nobis dissoluere πολιτείαν Ecclesiasticam, si Episcopi nobis concedant illa, quæ æquum est eos concedere? Et vt liceat, certè non expedit. Semper ita sensit ipse Lutherus, quem nulla de causa quidam, vt video, amant, nisi quia beneficio eius sentiunt se Episcopos excussisse, & adeptos libertatem minimè vtilem ad posteritatem. Qualis enim cedò futurus est status ad posteros in Ecclesijs, si omnes veteres mores sint aboliti, si nulli certi sint præsides? Rescribe, vtrùm has literas, item priores longiusculas acceperis. Vale feliciter, Prid. Non. Septemb.

EIDEM.

PAcem videremur consecuturi, si paulò essent æquiores ac tractabiliores isti, qui meam ἐπιείκειαν reprehendunt. Nunc præter nostros nemo sustinet audire vllam moderatam vocẽ. Quod me rogas ne quid iratus dicam aduersus tuos quosdam amicos, ego, mi Ioachime, verè hoc prædicare possum, me tua causa hactenus dedisse operam, ne qua vox durior erumperet mihi aduersus istos, quos significas.

Ebnero filius scripsit, multò pleniùs exponens causas meorum consiliorum. Nam ego composui Epistolam, & fingo illum recitare sermones non meos tantùm, sed nostri Nestoris.

Si quis istuc scribit me maledicere tuis amicis, magna iniuria me afficit, prorsus vt à me vestrorum voluntates abalienet, quorum gratiam, etsi non contemno, tamen non faciam tanti, vt præferam his rationibus, quæ me in illam induxerunt sententiam, quam in his dixi negotijs. Sed de his coràm. Luthero mittes has literas. Die 10. Septembris.

HIERONYMO EBNERO CON
SVLI NORIBERG. ERASMVS EBNERVS FILIVS.

Scis institutum esse Colloquium de dirimendis controuersijs Religionis. Mitto igitur tibi vtriusq; partis scripta, ex quibus historiam eius Colloquij magna ex parte cognosces. Videbis etiam, quantum aduersarijs nostri putauerint tribuendum esse. Et his consilijs scio Philippum vsum esse, non tam metu periculi ac publici motus, quàm quòd perpetuò ita sensit, prodesse ad posteritatem, ne dissoluatur prorsus Ecclesiastica politia: Et habet huius opinionis suæ, non solùm rationes magnas, sed & grauissimos autores. Scio diligenter hanc rem à Duce Saxoniæ deliberatam esse ante Conuentum: Quare quicquid adhuc aduersarijs hîc concessit, arbitror eum de Lutheri & aliorum prudentum sententia concessisse. Certè has conditiones hic non prescripsit solus. Quare miror tam iniquos de eo sermones spargi apud vos, quòd parum constanter defenderit has partes, & quòd gratiam apud aduersarios inire cupiat. Meo iudicio præclarè nobiscum ageretur, si pacem redimere his conditionibus possemus. Infinitum bellum erit, & huic toti Imperio exitiale, si res ad arma deducetur. Quare ignosci debet his, qui videntur esse cupidiores pacis: & tamen Philippus etiam alijs rationibus mouetur, quare restitutam Episcoporum autoritatem velit: Etiamsi omnia tranquilla erunt, tamen mira dissipatio erit Ecclesiarum ad posteritatem, nisi iterum iam coniungantur & habeant certos Episcopos, qui cogantur diligentiùs curare Ecclesias, quàm olim curauerunt. Hæc atq; alia multa in hanc sententiam audiui nostros sæpe disputare, quæ duxi tibi perscribenda esse, vt de his istic meliùs deliberari posset, si has conditiones Episcopi acceperint. quanquam nostri affirmant, Episcopos nullo modo accepturos esse.

Cùm autem de his conditionibus pacis & cessionibus nostrorum varij & tetri sermones passim spargerentur, & ad Lutherum etiam inflatiùs fortasse, & atrociùs iusto quædam delata essent, Lutherus tandem sequenti Epistola sententiam suam de fucosis illis compositionibus Augustæ institutis grauissimè explicat, & omnem illam de pace, cum veritatis damno institutam actionem abrumpi iubet.

D. MAR.

D. MARTINVS LVTHERVS IVSTO IONAE.

EX proximis literis vestris intellexi vos non concessisse in postulata ab aduersarijs: idq; lætus intellexi, expectans vos quotidie reduces, siue maledictos, siue benedictos. Sed ecce interim tonitrua & fulgura ad me feruntur à quibusdã nostrorum magnis & multis, vos omnia prodidisse, & propter pacem plura cõcessuros esse. Ego contrà, scio, inquam, à nostris mihi scriptum esse, conditiones propositas ab aduersarijs omnes repudiatas, & causam denuò ad Cæsarem reuolutam. Hoc scio, sic credo. At cùm illi tam constanter & pertinaciter vrgerent, clamantes Lutherum etiam à vobis allegari, omnia talia concedentem, & impendere plus periculi à nobis, quàm ab aduersarijs, & negotium maius sit vos inter vos compescendi, quàm contra hostes agendi, impulerunt me in hæc verba: **Ist dem also/ so hett der Teuffel ein hüpsch trennen vnter vns selbst angericht.** Nam ego conditiones, quas verbo leniſsimo intitulastis, **vnvergreifflich vnbeschlieſsliche Artickel**/ non ferã, etiamsi angelus de cœlo vrserit, & iusserit. Quid enim aliud agunt aduersarij, quàm vt ne pilo quidem nobis cedant? Nos verò non solùm cedamus Canonẽ, Missam, alteram speciem, Cœlibatum, & Iurisdictionem hactenus consuetã, sed etiam confiteamur eos rectè sensisse, audisse, fecisse omnia, & falsò hactenus à nobis accusatos esse, hoc est, nostro testimonio illos iustificare, & nos ipsos damnare voluerunt, quod nõ est simpliciter reuocare, sed nos ipsos bis ter maledicere, & illos benedicere. Sed quid ego de his longiùs tecũ, quasi nõ videatis has turpisſimas turpitudines, & impudentiã illorũ tam monstrosam, vt nullo seculo sit obliuioni tradenda?

Et quid erat opus tot conditiones ponere, si hæc vellemus? demus solum Canonem, demus solam Missam priuatam, vtrumuis horum satis erit ad negandã totam doctrinam nostram,& illorum stabiliendam.

Deinde si Iurisdictio pristina detur Episcopis, adhuc omnia perfectiùs concessa sunt, scilicet Episcopi, Euangelij manentes hostes, fierent prædicatores Euangelij. Sed cogunt ista scribi à me, vt dixi, importunæ,& improbæ literæ nostrorum, tantùm vt sint mihi in testimonium, scripsisse me vobis. Nostis enim quid antè significaui, quatenus Iurisdictionem Episcopis cedendam iudicauerim: & satis monui, ne plus cederetis quàm haberetis. Et ipsi Principi latiùs & seorsum tum respondi. Verùm surdis fabulam cano.

Quare, mi Iona, fac vt resciscam, an interim aliquid plus acciderit, quod nollem. Nam hactenus acta à proximis literis non video quid officiant, cùm causa sit integra ad Cæsarem reiecta. Ac videte ne id committatis, vt inter Nos ipsos schisma oriatur. Sit sanè pax quicquid valet in oculis nostris. Sed autor pacis,& arbiter bellorũ est maior pace, & magis colendus. Neq; nostrum est diuinare bella, Nostrum est simpliciter credere & confiteri. Non scribo hæc, quòd opiner vos quicquam commissuros esse: sed violentia penè plus quàm Tragica literarum, quibus me nostri flagellant, cogit etiam tutissima timere. Deinceps & ego aduersarijs ne pilo quidem cedam, videns quàm nos ludificentur,& illudant superbissimi & pessimi hominum nostra infirmitate inflammati & securi. Et noui sanè ingenium Eccij, cùm arte sua sit factum, vt agentes secum à statu causæ, & à proposito soleat adducere, donec inijciat in laqueum contra causam. Sed satis. Ego penè rumpor ira,& indignatione.

Oro

Oro autem vt abrupta actione desinatis cum illis agere, vt cedatis. Habent confessionem, habent Euangelium: si volunt, admittant, si nolunt, sinant, **wirdt ein Krieg darauß / so werde er drauß / wir haben gnug gebeten vnd gethan.** Dominus parauit eos ad victimam, vt reddat eis secundum opera eorum. Liberabit verò nos populum suum etiam de incendio Babylonis. Ignosce quæso, mi Iona, quòd in sinum tuum euomui hanc animi molestiam. Quod autem tibi scribo, omnibus scribo. Dominus Iesus reducat vos saluos & fortes, qui postea etiam faciat lætos & fortes, Amen. 20. Septembris.

Hac Lutheri Epistola, Theologorum deliberationes de concordia in his comitijs concludam, & deinceps, eas actiones, quæ inter Cæsaream Maiestatem, & Electorem Saxoniæ, ac socios Principes, vsque ad finem huius conuentus susceptæ sunt, breuiter recitabo.

Postquam enim, Tractatio de pace, inter vtriusque partis Delectos, exeunte mense Augusto, absque fructu abiuit: Carolus Imp. septima die Septembris vocatis in palatium suum Electori Saxoniæ & coniunctis Principibus, per Fridericum Palatinum exponit: Quàm clementer post exhibitam confessionem eos, vt ad communem Christiani orbis consensum & Ecclesię Catholicæ societatem redirent, admonuerit: & intercedentibus Principibus, amicam tractationem de concordia instituisse passus sit. Nunc autem præter omnem expectationem experiri, frustra de pace actum esse, & pertinaciter eos in proposito perseuerare, & Concilium ac pacem flagitare. Curaturū itaque se, vt Concilium cogatur, quam primum de loco conuenerit, & pacem daturum esse: Sed hac conditione, vt omnia in integrum restituant, & eandem, quam ipse & cæteri Principes, religionem sequantur.

Cùm autem illi responderēt, se ab Ecclesiæ Christianæ societate nunquam desciuisse, & pro Concilio promisso gratias agerent: idque iuxta Spirensis conuentus decretum in Germania pium &

liberum celebrari peterent: ac tandem nõ se posse abolitos Romanæ Ecclesiæ abusus bona conscientia recipere concluderent: rursum Cæsar per Georgium Trucsesium exponit: Acta inter vtriusq; partis delectos diligenter à sese lecta esse: ex quibus intelligat permultum eos à communi Ecclesia Christiana dissidere. Mirari etiam se, quòd proximi conuentus Spirensis decretum allegarent, cùm contra illud protestati sint, & ab eo appellauerint: Quæ tamen appellatio irrita & nulla sit. Petere autem, vt disertè & ingenuè se declarent, an de propositis articulis vlteriorem actionem ferre possint: Tum seipsum in propria persona de salutaribus medijs constituendæ vsque ad Concilium pacis & concordiæ laboraturum esse. Et quia iam serò sit, spacium cogitandi se ipsis vsque in crastinum largiri. Hanc actionem postridie Philippus Luthero his literis significat.

Heri vesperi Principes fuerunt in Palatio Cæsaris vsque ad medium noctem, & acceperunt responsum, Cæsarem velle curare congregari Concilium, sed more antiquo Romanæ Ecclesiæ, & fortasse extra Germaniam propter negocia Cæsaris. Interim restitui debere omnia Papistis. Sed hoc adhuc non est planè decretum. Si quid adhuc velint cõcedere nostri, in illis articulis, de quibus controuertitur, velle Cæsarem adhuc per octo dies præsidere. De hoc hodie agent nostri Principes Cæsari gratias, & dicent se in nullo posse cedere.

RESPONSVM ELECTORIS SAXONIAE ET CONIVNCTORVM PRINCIPVM ET STATVVM, QVIBVS SE INTEREA quatuor Vrbes, Campodunum, VVinshemia, Heilbronna & VVeissenburgium adiunxerunt.

MInuctissime Imperator, Cæsar Auguste, Domine Clementissime. Cùm Cæs. M. V. hesterno vesperi post acceptam à nobis subiectissimam responsionem nostram clementer significari curauerit, se nobis spacium deliberandi, vsque ad hodierni diei horam primam, clementissimè cõcessuram esse, qua denuo comparêre, & sententiam nostram subiectissimè exponere deberemus: Nos quidem subiectissimè ad parendum hac in parte promti & parati fuimus. Cùm autem à

tem à C. M. V. tempus in sequentis diei horam octauam matutinam prorogatũ sit: Nos maturandi negocij gratia, & propter alias causas, quas mei, Electoris Saxoniæ, Consiliarij submissè indicabunt, ea quæ necessariò respondenda nobis iudicauimus, ad ea quæ à V. C. M. postremò nobis proposita sunt, hoc scripto exponenda esse duximus.

Ac primùm, quòd V. C. M. nomine inter cætera dictum est, C. M. V. de omnibus Articulis, & Actis Delectorum, satis edoctam esse: nec tamen ita constitutam & fundatam nostram causam animaduerti, vt nos exposuerimus, sed potiùs à Catholico consensu Ecclesiæ Christi nos discessisse, &c. Nos quidem scimus & in actionibus Delectorum reipsa hoc apparuisse, & in libera, Christiana & generali Synodo per DEI gratiam abundè demonstratum iri, nostram doctrinam & Articulos non conciliatos, quos nostra pars defendit, in verbo, mandato & ordinatione DEI fundamenta habere inuicta, & quòd à verbo & ordinatione Dei nec discesserimus, nec vllas leges nouas cum illo pugnantes receperimus. Certè ex corde doleremus, si discessionis à verbo DEI, vel separationis ab Ecclesia etiam ad vnicum horæ punctum conuinci possemus. Quare non alienior à nobis erit C. V. M. quòd in Delectorum actionibus, nostri, ab expresso verbo DEI, ad proposita media conciliandi controuersos Articulos amplectenda & recipienda induci non potuerunt.

Quòd autem secundo loco C. V. M. nobis proponi curauit, & se mirari ostendit, quòd ad decreta proximi conuentus Spirensis nos referre velimus, cùm aduersus ea simus protestati, & ab eis appellauerimus: Quam tamen protestationem & appellationem C. V. M. pro nulla & irrita haberet, ideoque nos ea iuuari non posse, cùm nos, vt pote pars minor, maiorẽ sequi debuerimus: Ad hoc caput demissè respondemus, quòd sanè contra decretum proximi conuentus Spirensis simus protestati, & quòd ad V. C. M. & ad generale Concilium appellauerimus, compulsi causis incuitabilibus & necessarijs, quæ in protestatione & proposita appellatione prolixè recensentur. Eatenus autem in actiones & decreta habiti conuentus non consensimus, quatenus cum doctrina & ritibus, qui apud nos iuxta DEI verbum vsurpantur, non congruunt. Si absque eo sit, non dissentimus. Notum quoq; est, id quod sine iactantia dicimus, Spirenses illas actiones nõ esse in vniuersum à nobis reiectas.

Nam

Nam & C. M. V. Domino nostro Clementiss. subita auxilia aduersus Turcam iuratum & perpetuum hostem nominis Christiani misimus, & ad Regiminis Imperij & Cameræ conseruationem non minùs quàm alij Electores, Principes & status contulimus. Scimus etiam C. V. M. Clementissimam approbationem Concilij, cuius heri fecimus mentionem, per V. C. M. instructionẽ, à V. C. M. Locum tenente singulari carissimo & clementiss. nostro Domino V. C. M. fratre Rege Hungariæ & Bohemiæ vnà cum V. C. M. constitutis Oratoribus & Commissarijs, statim initio Conuentus Spirensis, facta esse, antequam aliquid ageretur, à quo nobis appellandum esset. Scimus etiam Clementissimam V. C. M. approbationem præcipuè se retulisse ad decreta facta in prioribus Comitijs, in quibus semper generale, liberum & Christianum Concilium, in Germania habendum, constitutum fuit. Atq; ita priora decreta, vnà cum clementissima approbatione V. C. M. nostrã causam adiuuant, etiamsi proximo decreto Spirensi nobis frui non liceat. Videlicet decretum Noribergæ factum anno 24. hîc Augustæ 25. Spiræ 26. Speramus etiam certò, V. C. M. causas necessariæ nostræ protestationis & appellationis pro sua pietate & amore iusticiæ, clementer consideraturam, præsertim cùm ea appellatio simul ad Cæs. V. M. & ad generalem synodum facta sit: Clementer itaque C. V. M. appellationi nostræ concedet, donec in Concilio generali iustificetur. Quod nos, flagitante ita necessitate, in concilio legitimè facturos esse polliceмur. Præterea non necesse esse iudicamus, vt hac disputatione C. V. M. oneremus, an nos vt pars minor debuerimus maiorem in conuentu Spirensi sequi. Hæc enim vna grauissima causa est, quæ nos adversurpandam appellationem, quam in proximo concilio nos iustificaturos esse rursum pollicemur, coëgit. Bona etiam & subiectissima in spe sumus, cùm Recessus proximorũ conuentuum Imperij absque illis conditionibus & moderationibus, quas heri C. V. M. nobis indicari curauit, generale, liberũ & Christianum Concilium decernant, futurum vt C. M. V. decretum illud generale, liberum & Christianum Concilium, iuxta Recessus Imperij, sine vllis cõditionibus, clementer promoueat. Idq; vt faciat à V. C. M. Domino nostro clementiss. vera animi subiectione petimus.

Quòd autem C. V. M. postremò à nobis postulauit, vt apertè & ingenuè nos declararemus, an de controuersis Articulis in responsionibus antea à nobis datis planè acquiescere & nihil mutare,

an verò

an verò vlteriores actiones ferre possimus? Tum enim C. V. M. in propria persona de vijs & medijs concordiæ & pacis vsque ad concilium conseruandæ cogitaturã esse: Nos quidem pro hac clementissima V. C. M. declaratione gratias agimus. Sine dubio autem V. C. M. ex tota actione & vtriusque Collegij Electorum sententijs intellexit, Electos à nostra parte Principes & alios, omnia quæ ad extremum à sua parte concedi concordiæ causa posse videantur, ex posuisse. Præterea ex V. C. M. oratione intelleximus, V. C. M. admirari, quòd electi à parte aduersaria, nostris adeò multum & indulgenter concesserint. Facilè igitur præuidemus, omnes actiones, quæ vlteriùs de propositis articulis fient, C. V. M. nihil nisi molestiam allaturos esse, & his alia Imperij negocia impeditum iri.

Vt autem cõmunis pacis causa de inducijs vsq; ad Concilium tractationes suscipiantur, ad id subiectissimè nos antea obtulimus: Et C. V. M. subiectissimè pollicemur nos cum Electoribus, Principibus & omnibus ordinibus de inducijs porro tractationes suscipere, & conuenire velle, & interea sic acturos esse, vt DEO & V. C. M. in futuro concilio actionum nostrarũ rationem reddere possimus. Submisse autem speramus futurum, vt V. C. M. generale, liberum & Christianum Concilium in Germania institui iuxta Recessus Imperij suprà allegatos clementissimè curet. V. C. M. vt Domino & Imp. nostro clementiss. nos commendamus, offerentes debitam & promtam obedientiam & officia ad inseruiendum & corpore & bonis parati. Datum die 8. Septembris, Anno 1530.

Hac Responsione, die 9. Septemb. ab Electore & cæteris Principibus Protestantibus data, qua se ad Tractationem de pace politica vsque ad Concilium seruanda, prolixè obtulerant: cùm Cæsar deliberandi spacium sumsisset: Georgius Truchses à VValburg, Imperatoris Caroli Consiliarius, & N. Vehus, conditiones pacis, octo articulis comprehensas, priuato nomine Georgio Marchioni Brandenburgensi primùm, & inde Electori Saxoniæ exhibuerunt.

DELI-

DELIBERATIO DE MEDIIS CONCORDIAE, ET PACIS, INTER VTRAMQVE PARTEM, VSque ad Concilium seruandæ.

I.

ARticuli, de quibus in Tractatione concordiæ priùs instituta cõuenit, pariter vnà consignentur, quotquot illorum transacti, vel quidquid de illis conciliatum est.

II.

Articuli, de quibus omnino, vel aliqua ex parte, non conuenit, etiam simul consignentur, & ad Concilij decisionem referantur. Et hæc consignatio Articulorum fiat per 14. aut 6. illos, antea ad Tractationem amicam delectos.

III.

Monasterijs nondum mutatis & abolitis, suæ Regulæ & Ceremoniæ & facultates ac bona, vsque ad futurum Concilium relinquantur: Vacua autem monasteria & quæ abolita sunt, ac beneficiorum reditus deinceps per honestos viros à Cæs. M. delectos, ijs in locis, vbi sunt monasteria, habitantes, qui Cæsareæ M. tanquam Romano Imperatori & Principibus ac statibus Protestantibus velut conseruatoribus & patronis iuramento obligati sint, colligi, & per ipsos velut sequestros, à Cæs. M. constitutos, vsque ad Concilium deponi & adseruari deberent. Qui etiam in futuro Concilio rationes suæ administrationis reddere tenerentur: Hac tamen conditione adiecta, ne quid Electoribus, Principibus, & in hac causa coniunctis, de sua superioritate, præfectura, iure patronatus, & alijs iuribus & consuetudinibus, quas ipsi vel maiores eorum in ijs locis olim habuerunt & adhuc habent, decedat & diminuatur. Præterea vt pauperes monachi & moniales ex cœnobijs pulsi de illis reditibus, vsq; ad Concilium ita alantur, ne præsidia vitæ necessaria ijs desint.

Quòd si prælatus aliquis pulsus, cum sui conuentus fratribus, mallent

mallent in cœnobijs suis viuere: tum vitandi sumtus superflui causa, redire in ea vsq; ad Concilium permittantur, ita tamen, ne bonorum temporalium administrationem teneant, sed hæc penes se questros maneat, qui victum necessarium ipsis præbeant, & de conditione & iuribus monasterij, si opus sit, moneri se & doceri à Monachis curent.

IIII.

Quod ad Missas publicas & priuatas attinet: debent illæ cum vsitatis vestibus, concionibus, lectionibus & alijs ceremonijs vnà cum vtroq; Canone seruari. Quod verò in his disputabile fuerit, id ad Concilij cognitionem & decisionem remittatur.

V.

Quod ad communionem sub vtraq; specie & sacerdotes coniugatos spectat: Elector & Principes, illisq; in hac causa coniuncti vsq; ad Concilium, ita sese gerant, sicut coram Deo primùm, & coram C. Maiestate in futuro Concilio se defendere posse confident. Quòd si in Concilio compertum fuerit, eos in his articulis iniustè & impiè egisse: tum reuerenter se, Cæsareæ Maiestatis decreto & mandatis, vt Principes obedientes decet, subijcient.

VI.

Concordiæ & pacis causa, nihil à supradictis Electore Saxoniæ & cæteris Principibus & alijs in hac causa coniunctis, præterea in religione Christiana ante Concilium innouetur.

VII.

Vt prænominati Elector ac Principes & illis cohærentes, neminem alium, quàm proprios subditos & coniunctos, nec quenquam, cuius patrocinium ad eos non pertineat, ad causam suam pertrahere conentur.

Postremò, vt in alijs omnibus huius conuentus negotijs, vnà cum alijs statibus erga C. M. se obedienter gerant.

Nominatim etiam, Illustrissimi Principes & status, cum quibus ita transactum erit, exprimentur.

De his conditionibus pacis, Theologi Electoris Saxoniæ, & coniunctorum statuum, die 17. Septembris, sequẽtem Deliberationem instituerunt.

Primùm.

I.

PRimùm. Non possumus omnino negare, periculosum esse, Articulos, quorum mentio fit, nominatim exprimere, & simul consignare. Veremur enim ne cæteros articulos, qui in Confessione non nominatim indicati, & tamen controuersi sunt, vnà aduersarij consignent, & pro confessis, & reuocatis habeant.

II.

Res plena offensionis & scandali futura esse videtur, consignatis articulis, de quibus conuenit, speciem de nobis præbere, quòd pacem & amicitiam cum aduersarijs fecerimus, eosq; pro fratribus habeamus. Et quamuis de aliquibus articulis adhuc dissensio sit: tamen leuiter nos eam curare, & in errores eorum consentire, eosque confirmare dicemur.

His causis mouentur fortasse aliqui, vt nullam articulorum consignationem faciendam esse putent.

Nostra verò sententia est institutam tractationem de pace politica, propter hanc causam non abrumpi debere; hac tamen circumspectione adhibita.

Primò, Ne periculum allegatum inde existere possit: plures articuli controuersi, nec tamen in confessione expressè positi, videlicet de primatu Papæ, de purgatorio, de indulgentijs &c. nominatim adiungendi, & hæc communis clausula addenda erit, quam posuimus in responsione nostra, cùm interrogati essemus, An plures articulos exhibere vellemus.

Secundò, Quod ad scandalum attinet, cogitamus, cùm hæc tractatio inter Principes suscipiatur, & nihil aliud, quàm politicam pacem spectet, non scandalum daturum esse, sed rectè & benè suscipi posse: Non enim pro fratribus, tali tractatione, agnoscuntur, sed manifestè exprimitur, de quibus articulis non consentiamus. Item, in concionibus licebit alteram partem reprehendere & taxare. Sed soli Principes inter se agunt, vt externam & politicam pacem inter se conseruent, perinde ac si Christiani & Iudæi externam pacem inter se facerent, quod certè bona conscientia coram Deo fieri potest.

Sed hîc necesse est Articulos non conciliatos nominatim recenseri, quorũ satis multi futuri sunt, de Iustificatione, de meritis de tra-

de traditionibus humanis, de confessione, de satisfactionibus, de votis, de potestate Episcoporum, de vtraque specie, de Missa, de Coniugio, de inuocatione Sanctorum, de vnitate Ecclesiæ, &c. & hanc clausulam adiungere, quòd nostra pars hos articulos, vt in cõfessione ponuntur, veros & Christianos esse sentiat. Ita omnes cernent, nos in aduersariorum errores non consentire. Estque talis enumeratio Articulorum vtrorumq; (de quibus conuenit, & non conuenit) nihil aliud quàm ingenua & clara confessio, ad quam edendam amicis & inimicis flagitantibus obligati sumus.

Quòd si aduersarij ex nobis scire vellent, in quibus articulis eos rectè sentire, in quibus errare, iudicaremus: nostri officij esset ingenuè indicare, sicut Marpurgi etiam articulos consignauimus, & tamen nullam fraternitatem iniuimus, etiamsi valdè illa expeteretur.

Si verò Aduersarij articulos nondum conciliatos recensèri nollent, vel clausulam conscientijs nostris oneroſam, nihil de illis interea pro concione disputandum esse, vel similem, adijcerent, &c. tum nullo modo hæc tractatio suscipienda est, de qua tamen aduersarios ipsos, metuentes ne inscitia eorum latiùs emânet, non valde laboraturos esse existimamus.

Etsi autem de hoc articulo varia deliberauimus, &, si succederet, actionem valde intricatam & perplexam fore prospicimus: tamen collatis suffragijs omnes hanc sententiam communiter amplectimur, posse prædictis rationibus actionem de pace politica constituenda rectè suscipi. Hac deliberatione præmissa, oblatæ à Trucesio pacis conditiones, à quibusdam nostrum mitigatæ, & articuli, de quibus non conuenit nobis cum aduersarijs, adiuncti sunt.

PRIORES ARTICVLI ALI QVANTVM MITIGATI.

I.

PRimùm, vt articuli Fidei iuxta Symbolum Apoſtolorum & Nicenum, & cæteri, de quibus conuenit, per delectos vtriuſq; partis conſcribantur, & receſſui inſerantur.

II.

Vt articuli, de quibus omnino vel aliqua ex parte non conuenit, ſimiliter conſignentur, & receſſui intexantur, addita generali clauſula, quòd hi articuli non conciliati, cum cæteris articulis, & ritibus, non in ſpecie expreſſis, quos aliqui bona conſcientia ſeruari non poſſe exiſtimarent, ad cognitionem vniuerſalis, & liberi Concilij referantur, ac vt interea Magiſtratus ſinguli apud ſuos efficiant, ne quid turbans pacem publicam aut ſeditioſum in his doceatur.

III.

Vt Monaſterijs & Collegijs, quæ nondum mutata vel abolita ſunt, ſuæ Regulæ & Ceremoniæ pro ipſorum conſcientia ſeruandæ, præterea facultates, & reditus omnes, vſq; ad Concilium liberè relinquantur: Vacua monaſteria, & reditus collegiorum, quæ abolita ſunt, ſequeſtri à Cæſ. M. electi bona fide adminiſtrent vſque ad Concilium, cui etiam rationes reddentur, ſaluo tamen iure Magiſtratuum, patronatus, præfecturæ, feudorum & aliarum conſuetudinum, quod ſinguli Electores, Principes & ſtatus ante hanc mutationem in ijs habuerunt. Præterea vt Parochijs, quæ Monaſterijs, aut Collegijs incorporatæ ſunt, & ſcholis literarum nihil decedat: Alantur etiam pulſæ eius ordinis perſonæ vſq; ad Concilium.

IIII.

Quod ad Miſſas attinet, debent illæ cum vſitatis veſtibus, cantionibus, lectionib. & alijs Chriſtianis ceremonijs, omnibuſq; ſuis ſubſtantialibus celebrari. Quæ verò in Miſſis diſputabilia ſunt, & tã quam conſcientijs oneroſa allegantur, itidem ad Concilij cognitionem reſeruentur.

Quod

V.

Quod ad communionem sub vtraque specie, & coniugium sacerdotum spectat, ita se gerant Principes, & ipsis in hac causa coniuncti, sicut coram Deo primùm, & coram Cęs. M. in sæpe dicto Concilio defendere se posse existimabunt. Quòd si in Concilio cõpertum fuerit, alterutram partem in his rebus aliquid deliquisse: tum Cæs. M. sententiæ & mandato reuerenter se subijciet.

VI.

Vt conseruandę vnitatis Christianę & pacis causa per Electorem Saxoniæ, & coniunctos status, nullæ præterea nouæ mutationes in Religione Christiana vsq; ad Concilium instituantur.

VII.

Vt Elector Saxoniæ & coniuncti Principes in hac causa, nullius quàm propriorum subditorum & cõiunctorum patrocinium suscipiant.

VIII.

Vt in cæteris huius conuentus negotijs, similiter cum cæteris Imperij ordinibus, Cæsareæ Maiestati obedientiam legitimam præstent.

ARTICVLI, DE QVIBVS NON CONVENIT NOBIS CVM ADVERSARIIS.

I.

De Iustificatione, quòd coram Deo iustificemur fide in CHRISTVM, non propter opera nostra, seu merita præcedentia vel sequentia, sed per gratiam.

II.

Quòd, etsi bona opera sunt necessariò facienda, tamen non sunt meritoria gratiæ ac iustitiæ, sed fides apprehendit gratiam.

III.

Quòd in confeſsione non ſit neceſſaria enumeratio peccatorum.

IIII.

Quòd, etiamſi contritio eſt neceſſaria, tamen propter eam non remittuntur peccata, ſed per fidem, qua credimus abſolutioni aut Euangelio: ideò neceſſe eſt ad contritionem accedere fidem, quæ conſoletur in contritione, & credat remitti peccata.

V.

Quòd ſatisfactiones canonicæ non ſint neceſſariæ ad remiſsionem pœnæ.

VI.

Quòd ad veram vnitatem Eccleſiæ non ſit neceſſaria ſimilitudo traditionum humanarum, ſed conſenſus de Euangelio & vſu Sacramentorum.

VII.

Quòd cultus inſtituti ab hominibus, ſine mandato & verbo Dei, ad promerendam gratiam, aduerſentur Euangelio, & obſcurent gloriam meriti Chriſti.

VIII.

Quòd vota & religiones monaſticæ, inſtitutæ vt ſint cultus ad promerendam gratiam vtiles, aduerſentur Euangelio.

IX.

Quòd, etſi traditiones Eccleſiaſticæ, quæ ſine peccato ſeruari poſſunt, & factæ ſunt propter bonum ordinem in Eccleſia, ſeruandæ ſint propter caritatem, ad vitanda ſcandala, tamen non ita ſentiendum ſit, quòd ſint cultus ad ſalutem neceſſarij. Nec habent ius Epiſcopi onerandi cõſcientias tali cultu: ideo, qui omittũt traditiones illas extra ſcandalũ, nõ peccant.

Quòd,

X.

Quòd, cùm inuocatio Sanctorum nullum habeat testimonium ex Scripturis, res sit incerta & periculosa, & maximè obscurans gloriam Christi, quem Scriptura proponit nobis, vt Mediatorem & propitiatorem.

XI.

Quòd prohibentes dari vtramq; speciem, faciant contra institutionem Sacramenti, sine autoritate Scripturæ.

XII.

Quòd prohibentes coniugium Sacerdotibus faciant contra mandatum Dei, quo præcipitur, vt ad vitandam fornicationem vnusquisque habeat vxorem suam.

XIII.

Quòd Missa non sit opus, quod applicatum alijs mereatur eis gratiam ex opere operato: sed quòd Cœna Domini sit Sacramentum, sicut tota Ecclesia confitetur, per quod sumenti offertur gratia, quam non assequitur sumens per opus operatum, sed per fidem, si credat ibi offerri sibi gratiam & remissionem peccatorum.

Cùm autem hæc quoque pacificandi ratio, per Trucæsium suscepta, deduci ad exitum optatum, vtriusque partis consensu, non potuisset: Imperator, re cum Principibus deliberata, Decretum in hac religionis causa condere & promulgare instituit. Ad quod concipiendum, Albertus Archiepiscopus Moguntinus, Ioachimus Elector Brandeburgensis, Georgius Dux Saxoniæ, Henricus Dux Brunsuicensis, & Episcopi Saltzburgensis, Argentinensis & Spirensis delecti sunt.

Interea Philippus APOLOGIAM Confessionis adornare cœpit, in qua, præcipuis aduersariorum cauillationibus & argumentis, quæ ex confutatione Pontificia, inter prælegendum, dies Augusti excepta erant, eruditè & grauiter respondit: cuius Apologiæ ipse, in literis, quas illis ipsis diebus ad Camerarium, & ad Concionatorem Cæsaris dederat, his verbis meminit:

NOndum pronunciatum est de nostra causa. Agnoscis vsitatum exordium. Sed non possum simpliciùs vniuersum statum rerum nostrarum describere. Heri, item hodie, erat abiturus noster Princeps. Retinuit eum Cæsar, pollicitus se intra triduum pronunciaturum esse. Quod benè vertat. Hæc mora quid significet, nescio, tantùm hoc scio, Cæsarem cupere rem ad otium deducere mediocribus conditionibus. Atq; vtinam nostri non deessent sibijpsis: ἡμέτεροι σύμμαχοι, & αὐτοὶ οὐ πάντως ἄνοσοι ἐν αὐτοῖς λοιμοῦσιν εἶναι. Sed quando fiet, vt nihil desideremus? Multi non cogitant, si res ad arma deducta sit, tantam Ecclesiæ dissipationem futuram esse, tantam Imperij mutationem, vt nunquam vllo tempore iterum constitui Respublicæ queant. Contineo me iam domi propter maleuolorum sermones, *& scripsi his diebus Apologiam Confessionis nostræ, quæ, si opus erit, exhibebitur. Opponetur enim confutationi aduersariorum, quam prælegi audiuisti. Scripsi accuratè & vehementer.* Tui ciues huc miserunt eodem argumento compositum scriptum, de quo breui, vt spero, coràm. Misi tibi nuper fasciculum literarum ad Lutherum scriptarum, & huic colligata erat Epistola ad te scripta, quam significas te accepisse fine illo fasciculo. Suspicor resignasse aliquos. Itaque per eos nihil mittam amplius. Valeant & fruantur suis consilijs. Nunquam habebunt me subscriptorem. Nolo enim rem ad illos βακχάνους trahere, id quod illi apertè faciunt, qui mea consilia improbant. Hunc fasciculum per occasionem Luthero mittes. Vale feliciter.

XI. Calend. Octob.

REVEREN-

REVERENDO PATRI, AEGIDIO, CAESAREO CONCIONATORI.

NOn potui satis copiosè respondere R. P. V. *Sumus enim occupati in adornanda Apologia exhibenda Imperatori, quæ futura est aliquantò asperior, quàm confessio, si nihil æqui impetrare possumus.*

Quòd significat R. P. V. mihi, qualia de me iudicia fiant à quibusdam vestris, & obiurgat me sic satis seuerè, quasi mea superbia ac pertinacia Principes vestri reddantur intractabiliores: de conuitijs breuiter respondebo. Mei mores noti sunt multis bonis viris, & ex scriptis recèns editis, quæ ipse meo consilio edidi, æstimari possunt. Ego certè, in ijs negotijs & controuersijs religionis, ita versari cupio, vt Deum non offendam: Quare illa conuitia propter Deum dissimulanda mihi esse censeo. De mea pertinacia sic respondeo: Si mea causa hæc tempestas coorta est, nihil deprecor, quin Cæs. M. me statim velut Ionam in mare eijciat, statim abripiat me ad cruciatum & supplicium. Deus mihi testis est, me nullam aliam ob causam adeò fuisse cupidum pacis, vt propter hanc, quòd videbam, si non fieret pax, futurum, vt nostri coniungerentur cum Zuinglianis. Id ne fieret, nos hactenus summa fide atq; diligentia prohibuimus. Quòd si coniungerentur, maxima confusio dogmatum ac Religionum videtur secutura. Hoc si expenderent aduersarij, profectò non ita obstinatè darent operam, vt bellum moueatur aduersus nos: quod si fuerit motum, non tantùm corporalia mala infinita accident, vastatio Germaniæ, cædes, stupra, sacrilegia, rapinæ, sed multò deteriora accident spiritualia, confusio ac perturbatio maior religionum. De ipso negotio, quomodo facilimè existimauerim sedari posse has dissensiones, iam antè ostendi: paucis scilicet & exiguis rebus dissimulatis, sæpe iam exposui, pacem constitui posse. Ita nos ingenia nostra conferre possemus ad hæreses refutandas. Sin autem aduersarij non desinent nobis irritare Cæsarem, etiam si armis & vi nos oppresserint, tamen scripta non oppriment. De Principibus profectò non est vera querela, quòd Ecclesiastica bona temere diripiant. Hoc sæpe iam significarunt in ipso consessu Principum.

Valete.

Etsi autem postea Philippus Apologiam multò accuratiùs & splendidiùs elaborauit, & plerosq; articulos Religionis controuersos, ac inprimis doctrinam de Iustitia fidei & bonis operibus, & de Pœnitentia, quæ in vsu & praxi piorum præcipua est, diligenter & copiosè explicauit: tamen cùm primam quoq; hanc delineationem Apologiæ accuratè scriptam esse autor in Epistola ad Camerarium iam recitata testetur: id quoq; primum exemplum dignum esse, quod conseruetur, existimo. Ideo, qua occasione, & quo die, in his Comitijs Cæsari oblatum, quamuis non receptum, sit: deinceps exponam.

Cùm enim Elector Saxoniæ, & coniuncti Principes die 9. Septembris, Imperatori flagitanti, vt in religionis causa se cum cæteris Principibus Imperij coniungerent, & operam suam in vlteriore tractatione concordiæ suscipienda deferenti, reuerenter gratias egissent, & se in nulla re amplius cedere aduersarijs posse, sed ad politicam pacem cum cæteris ordinibus constituendam promtissimos fore dixissent: Imperator, re cum Principibus deliberata, Decretum in Religionis causa tandem fecit, quod die 22. Septembris, in Senatu Principum, Electori Saxoniæ & coniunctis Principibus, & ciuitatum legatis recitari iussit.

SACRAE

SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS DECRETVM, IN CAVSA RELIGIONIS, ELECTORI SAXONIAE ET CONIVNCTIS PRINCIPIBVS & ſtatibus, datum, die Iouis Mauritij, Anno 1530.

POſtquam Cæſarea Maieſtas communem conuentum omnium ordinum Imperij, ad diem 8. Aprilis, in hac vrbe Auguſta indixit, vt de totius Imperij & orbis Chriſtiani, & Germanicæ nationis negotijs, & inprimis etiam de diſſenſionibus in ſancta fide & religione Chriſtiana piè componendis agi & decerni poſſit: idque vt commodiùs & ſalutariùs ſuſcipiatur, clementiſſimè mandauit, vt diſſidia deponantur, odia remittantur, præteriti errores Chriſto Seruatori noſtro condonentur, & in hac religionis cauſa, partium opiniones & ſententiæ, inter ſeſe, in caritate, lenitate & manſuetudine mutua audiantur coràm, intelligantur & ponderentur, vt illis, quę vtrinque in Scripturis ſecus tractata aut intellecta ſunt, ſepoſitis & correctis, res illæ ad vnam ſimplicem veritatem & Chriſtianam concordiam componantur & reducantur, vt de cætero à nobis vna, ſincera & vera religio colatur, & ſeruetur, vt, quemadmodum ſub vno Chriſto ſumus & militamus, ita in vna etiam Eccleſia Chriſtiana in vnitate & concordia viuere poſſimus: & tandem his rationibus ſalutaris concordia, pax & ſalus S. Imperij in his & alijs ſimilibus negotijs decerni, erigi & conſeruari queat, ſicut Cæſ. M. literæ, quibus hunc conuentum indixit, id fuſiùs explicant. In quo conuentu, poſtquam Cæſ. M. Electores, Principes & reliqui S. Imperij ſtatus perſonaliter, & per legatos ſuos cum mandatis, apud C. ipſius M. comparuerunt: Cæſ. Maieſt. cum iam dictis Electoribus, Principibus, Prælatis, Comitibus & Ordinibus S. Rom. Imperij, eorundemque legatis Articulos in literis Cæſ. Maieſt. expreſſos, & inprimis Articulum ad diſſidia & controuerſias in ſancta religione noſtra pertinentem, tractandum ſuſcepit, & ſingulorum,

qui iuxta tenorem Cæſ. Maieſt. literarum Indictionis, aliquid de his fidei noſtræ controuerſijs, proponere voluerunt, ac nominatim, Electoris Saxoniæ, Marchionis Georgij Brandeburgici, Erneſti & Franciſci fratrum, Principum Luneburgenſium, Philippi Landgrauij Haſſiæ, & Vuolffgangi Principis Anhaldini, nec non exciuitatibus, Norinberga, Reutlinga, Campoduno, Hailbronna, Vuinſhemio & Vuciſſenburga legatorum, opinionem de religione & confeſſionem, in præſentia reliquorum Electorum, Principum & Ordinum S. Imperij clementer audiuit, maturoque & prudenti conſilio expendit, & ſanctorum Euangeliorum ac ſcriptorum firmiſſimis & indubitatis teſtimonijs fundamentaliter refutauit.

Ac multis per Cæſ. Maieſt. & dictos Electores & Principes & communes ſtatus, in propria perſona; deinde etiam per delectas ex Electoribus & Principibus, & cæteris, primùm quatuordecim, deinde ſex perſonas, actionibus & tractatibus ſuſceptis, tandem eò res deducta eſt, vt illi Cæſ. Maieſt. reliquiſque Electoribus, Principibus & ordinibus S. Rom. Imperij, in quibuſdam articulis, ſe piè conformarint.

Quod verò ad alios aliquot articulos attinet, de quibus nondum cum Cæſ. Maieſt. alijſque ordinibus hoc tempore ſentiunt: C. M. publicæ ſalutis & tranquillitatis Imperij & Germaniæ prouinciæ laudatiſſimæ cauſa, vt pax & concordia conſeruari poſſit, & Cæſ. ipſius Maieſt. clementia innoteſcat, ex ſingulari gratia dicto Electori Saxoniæ, quinque Principibus & ſex ciuitatibus, concedit deliberandi ſpacium, ad 15. vſque diem Aprilis, vt interea conferant inter ſe atque ſtatuant, num in reliquis etiam articulis cum Chriſtiana Eccleſia, Romano Pontifice, Cæſ. M. & cæteris Electoribus, Principibus & omnibus S. Rom. Imperij ſtatibus, & cum cæteris capitibus & membris Chriſtiani orbis, ante Concilij deciſionem ſe coniungere & aggregare velint, nec ne? Cæſaream quoque M. S. deliberaturam eſſe, quid ſibi hac in parte faciendum ſit. Itaq; Elector Saxoniæ, quinque Principes, & ſex ciuitates, intra diem 15. Aprilis animum ſuum ſub ſigillis proprijs Cæſ. M. perſcribent & aperient. Quod ipſum C. M. quoq; factura eſt.

Præterea Elector Saxoniæ, quinque Principes & ſex ciuitates curent, ne intermedio tempore, vſque ad 15. Aprilis, noui

quid.

quidquam in causa religionis, in suis ditionibus edatur aut vendatur.

Estque hæc Cæs. Maiest. voluntas & mandatum seueriſſimum, vt durante hoc deliberandi tempore, omnes Electores, Principes & ordines S. Imperij pacem & concordiam colant, ac vt Elector Saxoniæ, quinque Principes & sex ciuitates, neminem subditorum Cæs. Maiest. sacrique Imperij aut reliquorum Electorum, Principum & ordinum (vt hactenus factum est) ad se, & sectam suam pertrahant vel cogant; Suarum verò ditionum homines, cuiuscunque tandem sint conditionis, si qui veterem religionem & ritus sequi velint, in suis Ecclesijs, templis, cultibus & ceremonijs, nulla ratione impediant, aut vim inferant, aut præterea aliquid innouent: Monachis etiam & monialibus, in celebrandis Missis, & confessione facienda vel audienda, & Sacramento porrigendo vel accipiendo, nullum exhibeant negotium.

Insuper dictus Elector Saxoniæ, quinque Principes & sex ciuitates, contra eos, qui sanctum & venerabile sacramentum corporis & sanguinis CHRISTI abolent, & contra Anabaptistas, cum C. Maiest. Electoribus, Principibus & statibus se coniungent, nec vllo modo separabunt, sed consilio & auxilio aduersus illos iuuabunt: Sicut omnes prædicti Electores, Principes & ordines, in his omnibus, quæ iam recitata sunt, quantum cuiusque interest, se reuerenter parituros esse Cæs. M. S. promiserunt.

Et quia in Ecclesia Christiana, multis iam annis, nullum vniuersale Concilium habitum est: & tamen in orbe Christiano apud omnes magistratus & subditos, tam in ciuili, quàm Ecclesiastico statu, longo iam tempore, multi abusus & grauamina irrepere potuerunt: Cæs. ipsius Maiestas ad instituendam Christianam reformationem cum Electoribus, Principibus & ordinibus hîc Augustæ congregatis, decreuit, apud Pontificem, alioſque Reges & Principes Christianos vrgere & perficere, vt intra sex menses ab exitu horum Comitiorum, vniuersale & Christianum Concilium indicatur, & intra anni spacium ad summum inchoẽtur: optimam spem fouens, fore vt hac ratione vniuerso orbi Christiano tam in spiritualibus quàm temporalibus negotijs constans pax & concordia instituatur.

Hoc

Hoc decretum cùm publicè recitatum fuiſſet, Elector Saxoniæ & coniuncti ordines, re deliberata, per Cancellarium Pontanum reſpondent: Agnoſcere ſe grata mente clemẽtiſsimam Imperatoris voluntatem, qui de diſſenſionibus Eccleſiaſticis amicè & placidè componendis, deliberationes inſtituerit, & ſuæ doctrinæ confeſsionem clementer audierit. Quòd autem in decreto perſcriptum ſit, Confeſsionẽ ipſorũ fundamentaliter confutatã eſſe: id ſe nullo modo agnoſcere nec fateri: Imò ita ſentire, ſic eam in ſacra Scriptura fundatam eſſe, vt nihil planè in ea impiũ demonſtrari poſsit. Idq; euidentiùs ſe oſtenſuros fuiſſe, ſi confutationis illius exemplum impetrare potuiſſent.

Vt autem C.M. intelligat, ſe maximis & grauiſsimis cauſis, quò minùs confutationẽ approbent, impediri: & confeſsionem à ſe exhibitam, friuolis illis aduerſariorũ obiectionibus nequaquã labefactatam & euerſam, ſed firmã & immotam adhuc permanere: Confeſsionis ſuæ APOLOGIAM, in qua obiectiones illæ & argumenta aduerſariorum inter prælegendum excepta perſpicuè refutentur, ſe Cæſareæ Maieſtati exhibere.

Quibus dictis, Pontanus Friderico Palatino Apologiã Cæſari reddendam tradit. Verùm C.M. oblatum ſcriptũ non accepit.

Vt autem initio expoſitionis actorũ huius conuentus, non ſolùm confeſsionem ipſam Cæſari exhibitam, ſed prototypon etiam illius, ſeu exemplar primum, à Luthero delineatum, recenſuimus: ita nunc primam illam deſignationẽ Apologiæ, in Comitijs Auguſtanis, inter grauiſsimas occupationes, curas & negotia, feſtinanter à PHILIPPO confectæ, & Cæſ. Maieſtati oblatæ quidem, ſed non receptæ, inſeremus:

non

non quòd anteferri adumbrationem velim vberiori illi & diligentiùs accuratiuſq; poſtea elaboratæ editioni anni 1531. quæ hactenus in omnium manibus fuit, & quam pro vera & indubitata Confeſsionis Auguſtanæ Apologia meritò haberi ſentio: ac vt ſæpè multumq; à ſtudioſis, vnà cum Archiepiſcopi Colonienſis, HERMANNI Apologia, anno 1544. excuſa legatur, toto pectore opto.

Intexuiſſem etiam hoc ipſo in loco prolixiorem illam Apologiam Confeſſionis integram, ſicut anno 1531. Vuitebergæ, addita Philippi præfatione, primùm excuſa eſt, niſi in omnium piorum & eruditorum manibus antè eam verſari, ideoque prolixitate illius molem & precium huius libri non augendum eſſe exiſtimaſſem. Adiungere tamen & conglutinare eam his ipſis Actis omnes, qui volent, poterunt.

PRIMA DELINEATIO APOLOGIAE CONFESSIONIS AVGVSTANAE IN COMITIIS ANNI 1530. CAESARI CAROLO DIE 22. SEPTEMBRIS OBLATA, SED NON RECEPTA.

PRIMA DELINEATIO APOLOGIAE.

IN ipso statim vestibulo deprehendet C. M. defuisse non solùm iudicium, sed etiam candorem istis, qui scripserunt confutationem Confessionis nostræ. Cauillantur enim definitionem peccati originis præter necessitatem, cùm dicunt timorem Dei & fiduciam erga Deum significare actus. Quare negant peccatum originis aptè definitum esse, quòd sit carentia actuum istorum, cùm ne quidem integra natura in paruis tales actus habitura fuerit. Verùm Germanica Confessio declarat, nos non de actibus, sed de donis loqui, quæ contigissent integræ naturæ. Sic enim ibi recitatur definitio: **Weiter wirt gelehret/daß nach dem fall Ade/alle Menschen/so natürlich geboren werden/in Sünden entpfangen vnd geboren werden/das ist/daß sie alle von Mutter Leib an/voll böser lüst vnd neigung sind/vnd keine ware Gottsforcht/keinen waren glauben an Gott von natur haben können.** Hæc verba testantur, nos non de actibus, sed de potentia loqui, quòd videlicet homines secundum naturam propagati, non possint efficere viribus naturalibus, verum timorem Dei, & veram fiduciam erga Deum. Neque hoc nouum est, quòd timor & fiducia significent non actus tantùm, sed etiam dona. Et nos sic loqui voluimus, vt vulgarem definitionem, quæ subobscura est, interpretaremur. Sic enim aliâs definiunt, Peccatum Originis esse carentiam iustitiæ originalis. Nos partes numeramus, deesse timorem Dei, deesse fiduciam erga Deum. Nam iustitia originalis hæc dona in nascentibus erat allatura, timorem Dei & fiduciam erga Deum. Et has partes ideo etiam commemorauimus, quia, cùm alij de peccato originali loquuntur, tantùm recensent crassissimas cupiditates contra secũdam tabulam, non recensent illa vitia naturæ peiora, quomodo hæreat in natura contemtus Dei, diffidentia erga Deum, & similes pestes spirituales. Hæc in scholis non attingunt: Interim pueriliter disputant, vtrùm fomes sit qualitas corporis, vtrùm contagione pomi contracta sit, an afflatu serpentis.

Quòd verò addunt etiam articulum Lutheri damnatum esse, quòd post Baptismum remaneat peccatum originis, non necessaria cauillatio est: Sciunt enim rectè docuisse Lutherum, quòd reatus

tus solutus sit per Baptismum, etiamsi materiale, vt vocant, peccati maneat. Hoc Lutherus vocat peccatum. Sic enim loquuntur & Scripturæ & Augustinus. Alij fomitem vocant, & somniant iuxta Philosophicas opiniones, naturam hominis, etsi infirma sit, tamen suis viribus posse timorem Dei, fiduciam erga Deum & similes motus efficere. Et quia, omisso Euangelio, Aristotelem in Ecclesiam inuexerunt, qui scribit affectus res medias esse, de fomite similiter iudicarunt, rem mediam esse. Ita Scholastici retinuerunt nomen peccati originalis, rem non satis explicauerunt. Ideò opus fuit Luthero exponere, quid sit peccatum originis, & quomodo reatus tollatur, & incipiat mortificari peccatum per Spiritum sanctum: & tamen non statim prorsus eximatur. Itē, Lex peccati, quæ in membris corporis est, remissa est regeneratione spirituali, & manet in carne mortali: Remissa, quia reatus solutus est Sacramento, quo renascuntur fideles. Ex his facilè perspiciet Cæs. Maiest. nos de peccato originis prorsus idem sentire ac docere, quod Catholica Ecclesia sentit.

DE IIII. ET VI. ARTICVLO.

IN quarto & sexto articulo adduntur prolixæ disputationes de merito: Neque tamen satis explicatur, quatenus opera hominum sint meritoria. Quod qui non explicant, istis laudibus operum prorsus obscurant doctrinam de iustitia fidei, quę maximè necessaria est pijs, & quam maximè oportet in Ecclesia regnare & prædicari.

Quàm verecundè autem loquuntur nunc de merito? olim cùm de remissione peccatorum, & de iustificatione loquebantur, nulla fidei mentio fiebat: tantùm proponebantur opera, addebant opera sine Spiritu sancto mereri gratiam de congruo, postea cum gratia mereri vitam æternam de condigno. Ita tota doctrina Christiana nihil erat, nisi quædam Philosophia humana de moribus ciuilibus. Nam hoc quoque apertè scripserunt, bonum opus sine gratia factum, & bonum opus cum gratia factum esse eiusdem speciei: cùm gratia tantùm adderet respectum meriti.

Tantum tribuebant viribus humanæ naturæ, vt nihil puta-

rent

rent opus esse Spiritu sancto. Imò quidam dubitabant, an efficeret aliquid gratia in iustificatis. Docebant item, hominem posse viribus naturalibus præcepta Dei efficere, quoad substantiam actus, tametsi respectus meriti deesset.

Has blasphemias nulli Pontifices tunc reprehenderunt, imò magna cum autoritate patiebantur in scholis doceri. Sed vbi de indulgentijs dubitatum est, & de tyrannica monarchia Papæ, hæ primùm sunt visæ intolerabiles hæreses, & dignæ, in quas horribilia exempla statuerentur.

Verùm Theologi, si qui saniores fuerunt, multa tamen in illa scholastica doctrina paulatim correxerunt.

Agnoscunt plus ex Philosophia, quàm oportuit, translatum esse in doctrinam Christianam: Vident vires humanas immodicè laudatas: Fatentur, præcepta Dei non de ciuilibus officijs tantùm, quæ ratio vtcunque præstare potest, sed de spiritualibus affectibus præcipere, de fide, de spe, de inuocatione Dei, de dilectione proximi, de mortificatione carnis, &c.

Non recusant iam addere fidem, cùm de iustificatione, ac remissione peccatorum loquuntur, quòd videlicet propter fidem non imputentur peccata his, qui credunt ea remitti propter Christum.

Assuunt tamen aliquid de merito operum, & fatentur id exiguum esse. Dicunt, opera facta in gratia promereri vitam æternam, sed minùs principaliter. Ex illo aceruo malarum opinionum, hanc particulam adhuc retinent.

Porrò, etiamsi opera aliqua ex parte essent meritoria, tamen articulus noster rectè & catholicè positus est, quòd bona opera mãdata à Deo necessariò quidẽ facienda sint, sed ita tamen, ne confidamus operibus nostris mereri gratiam & iustitiã, sed meritis & gratuita promissione Christi. Hoc continet articulus noster. Neq; dubium est, quin hoc omnes Catholici fateantur & prædicent. Sic enim inquit Propheta in Psalmo, Non intrabis in iudicium cũ seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Item, Si iniquitates obseruaueris, DOMINE, quis sustinebit? Et Augustinus ait, Non meritis nostris Deus nos ad æternam vitã, sed pro sua miseratione perducit. Ita noster articulus iubet bona opera facere propter voluntatẽ & mandatũ Dei, & tamen fiduciã operũ damnat. Hanc semp oẽs Catholici ac pij damnauerũt. Ac mira aduersariorũ

cœcitas est, tam arroganter gloriari de meritis, cùm ipsi quoque fateantur, omnia nostra bona opera immunda esse, cùm fateantur, semper in natura hærere peccatum, sicut inquit Scriptura, Quis potest dicere, mundum est cor meum? pudeat nos in tanta immundie carnis iactare merita, cùm etiam sancti querantur se diffidere DEO, se irasci iudicio DEI, se multis malis affectibus vexari.

Aduersarij eludunt sententiam Christi conficta interpretatione, de qua qualia sint hominum futura iudicia, si quando proferetur in publicum, prudentes viri facilè existimare possunt. Cùm feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus, sic interpretantur, inutiles Deo, sed non nobis.

Quàm multa hîc dici possent de hac frigida expositione, nisi Cæsareæ Maiestatis, Domini nostri Clementiss. rationem haberemus, cuius titulum cùm aduersarij addituri essent isti scripto, debebant esse diligentiores.

Longè aliter enarrat hunc locum Ambrosius, qui inquit, Sequitur vt nemo in operibus glorietur, quia iure debemus Deo obsequium. Et paulò pòst, Agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura. Sed nos breuiter ostendemus, quòd hæc vox Christi damnet merita & meritorũ fiduciã. Hoc ipsum agit Christus, vt reuocet nos ab hac impia fiducia meritorũ nostrorum. Argumentatur autẽ ex similitudine, quòd nõ possimus Deum constituere debitorẽ. Sicut seruus faciens officium non constituit Dominum debitorem, ita nec vos, inquit, Deum potestis debitorem constituere, cùm sitis serui. Cùm autem Deus non sit debitor, sequitur, quòd gloriarinõ possimus, opera esse meritoria. Quomodo enim merentur, si Deus nihil debet illis?

Accedit insuper, quòd vocat nos seruos inutiles. Hoc intelligenti naturam sermonis significat insufficientes. Quis enim satis timet Deum? satis credit Deo? satis diligit Deum? satis patienter tolerat aduersa? satis diligit proximum? satisfacit vocationi suæ? Ita inutiles vocat formaliter, loquendum enim est cum Sophistis Dialecticè. Sic Paulus docet opera immunda esse, Non quod volo facio bonum, sed quod non volo malum. Item, Caro concupiscit aduersus spiritum. Hæret enim in natura peccatum, concupiscentia, contemtus Dei, diffidentia erga Deum.

Hæc

Hæc vitia remorantur etiam sanctos, & contaminant bona opera. Hæc est simplex & propria sententia verborum Christi.

Sequitur igitur conclusio tollens fiduciam meritorum, cùm neque debitor sit Deus, neque opera nostra sint sufficientia, quomodo gloriabimur de meritis? Num gloriabitur seruus, si agrum negligenter coluerit?

Postremò, ne ipsa quidem aduersariorum interpretatio lædit nos. Nam si opera Deo non sunt vtilia, sequitur Deum nihil illis debere. Quòd si nihil debet illis, quomodo tribuemus illis gloriam meriti?

Sed omittamus has speciosas argutias, cùm nemo non intelligat, Christum hac ipsa voce fiduciam meritorum voluisse castigare. Et tamen aduersarij audent eludere testimonium, inuenta sophistica interpretatione. Sed non est opus hîc longiore disputatione: Constat enim, quòd vbique Scriptura vetat gloriari in nobis, vetat confidere nostris operibus, aut viribus. Ideò rectè diximus, quòd bona opera mandata à Deo necessariò sint facienda, Neq; tamen confidendum istis operibus, sed gratia Christi.

Sed Scriptura, inquiunt, vtitur vocabulo mercedis, igitur opera sunt meritoria. Quid afferunt aduersarij, nisi pueriles & friuolas argutias, & videri volunt Dialecticè disputare, cùm phrasin Scripturæ non intelligant? Porrò ne cui molesti simus in his tenuibus argutijs prolixè refellendis, (Sunt enim propter exilitatem ita obscuræ, vt vix in scholis intelligi queant) breuiter respondebimus, Mercedem dici non propter dignitatem operum, sed propter promissionem Dei. Promissio autem, vt docet Paulus, fide accipitur, non propter opera nostra, sed propter meritum Christi. Sicut igitur promissio requirit fidem iuxta Paulum, ita merces fidem requirit, quia est res promissa: Interim causa mouens promittentem, non est dignitas operum nostrorum, sed meritum Christi.

Hæc facilè intelligerentur, si doctrinam Pauli, de promissionibus, de gratia, de iustificatione, de fide non oppressissent in Ecclesia Philosophicæ disputationes. Itaque nos in Confessione his duabus sententijs in hac re contenti fuimus, quòd necessariò facienda sint bona opera, propter mandatum Dei. Et quòd non debeamus confidere nostris operibus, sed gratuita promissione Christi: Nam vt iustitia Legis mereatur præmia legis, certè gratiam &

iustitiam coram Deo non meremur nostris operibus: Nam qui hãc gloriam tribuunt operibus nostris, detrahunt de gloria Christi, sic. ut testatur Paulus, Si iustitia est ex Lege, frustra Christus mortuus est.

Et in hanc sententiam dicimus nos sola fide iustificari, quia fides apprehendit gratiam & misericordiam Dei, sentiens, nobis Deum esse propitium propter Christum. Hæc fides imputatur pro iustitia coram Deo. Et quia accipit Spiritum sanctum, hic renouat corda, & impellit ad bene operandum, sicut in Propheta scriptum est: Dabo legem meam in cordibus eorum. Ita bona opera fructus sunt fidei.

Interim tamen fides agnoscit, quòd propter Christum, non propter nostra opera, habemus Deum propitium: Ideò fides iustificat, non opera, Quia fides respicit Christum, propter quem delecti sumus.

Nec haberent homines firmam & certam consolationem aduersus peccata, si propter opera nostra consequeremur gratiam, quia semper deprehendimus in nobis aliquid vitij.

Fides autem affert firmam consolationem conscientijs, sentiens nos propter Christum certò recipi in gratiam, etiamsi opera sint indigna.

Aduersarij cauillantur vocem SOLA, atque etiam volunt videri faceti. Nouum nomen excogitauerunt, vocant nos solarios, quia doceamus sola fide hominem iustificari. Vociferantur hanc vocem non extare in Scripturis. Conqueruntur excludi Sacramenta. Nos verò sentimus hominem iustificari fide, non propter præcedentia aut sequentia opera. Hæc fides per verbum & Sacramenta excitatur. Itaque non excluduntur Sacramenta, sed meritum operum. Idem facit Paulus, cùm ait, Donum Dei est, non ex operibus. Hæc negatiua clarè excludit opera. Item sæpe dicit GRATIS nos iustificari fide: Nónne & Gratis exclusiua particula est? Nec aliud est cùm dicitur, sola fide iustificamur, quàm cùm dicitur, gratis iustificamur fide. Nónne & donum excludit opera? Videt Cæs. Maiest. iterum nobis moueri litem de vocabulo, & aduersarios calumniosè interpretari & exagitare hanc vocem sola, cùm omnes Catholici semper confessi sint, remissionem peccatorum gratuitam esse. Neque hoc aduersarij negant. Sed delectat eos puerile studium sophistices, Si tantopere offendit eos vocabulum Sola, cur

la, cur non eradunt è veterum libris? Non enim nostri primùm sic locuti sunt. In Confessione verba Ambrosij citauimus: Hoc constitutum est à Deo, vt, qui credit in Christum, saluus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum. Sic & Hilarius loquitur, Matth. 8. Mouet scribas remissum ab homine peccatum (Hominem enim tantùm in Iesu Christo contuebantur) & remissum, quod Lex laxare non poterat, Fides enim sola iustificat. Num in horum libris etiam, qui tot iam seculis leguntur, delebunt isti Aristarchi vocabulum SOLA? Sed nihil pudet aduersarios. Tota hæc causa de iustificatione diligenter & copiosè tractata est ab Augustino contra Pelagianos, & Ambrosio in aliquot libris, quorum sententiam cùm sequi nos non ignorent, tamen captant vocabulum, quod in speciem exagitent.

In SEPTIMO articulo conantur nos prægrauare mentione Iohannis Huss: Cùm nos apertè paulò pòst fateamur, in Ecclesia, in hac vita, multos malos & hypocritas adiunctos esse. Hos vocant etiam aduersarij mortua membra Ecclesiæ. Quare cùm definimus Ecclesiam, rectè complectimur viua membra. Et ne quis dicat, nos Platonicam ciuitatem somniare, addimus externas notas, quibus Ecclesia agnosci debet, videlicet consensum de Euangelio & vsum Sacramentorum consentientem Euangelio. Illa congregatio est Ecclesia, in qua extant hæc signa. Sed in his qui habent hæc signa, quidam sancti sunt, qui rectè vtuntur his signis, alij sunt hypocritæ & mali, qui his signis abutuntur. Quid potuit simplicius dici? aut quis vnquam priùs aliter locutus est? Sed aduersarij non sunt veriti, etiam manifestas calumnias Cæsareæ Maiestati obtrudere. Nónne Paulus Ephes. 5. inquit: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt ipsam sanctificaret, mundans lauacro aquæ per verbum, &c. Hîc vocat Ecclesiam congregationem non quorumlibet, sed illorum qui mundantur, & addit signa externa, baptismum & verbum.

Quòd addunt, ad veram vnitatem Ecclesiæ necessarias esse vniuersales traditiones humanas, constanter negamus. Nam obseruationes humanæ non sunt cultus ad iustitiam necessarij. Itaque similitudo traditionum non est necessaria. Vt aliæ gentes alijs dierum spacijs vtuntur, ita alijs ritibus humanis in Ecclesia

vti possunt. Hoc clarè docet Scriptura in multis locis, Rom.14. Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto, Gal.3. Omnes filij Dei estis per fidem in Christum Iesum: Quicunque enim baptizati estis, Christum induistis. Neq; Iudæus est, neque Græcus, neque seruus est, neq; liber, neq; masculus est, neq; fœmina. Sed de hac re infrà etiam dicetur.

In DECIMO. Neque nos fingimus mortuum corpus Christi sumi in Sacramento, aut corpus exsangue, aut sanguinem sine corpore sumi, sed sentimus, integrum & viuum Christum adesse in qualibet parte Sacramenti.

In VNDECIMO. Etsi confessionem & absolutionem probamus, sicut constat, tamen non alligabimus cuiusquam conscientiam ad obseruandum c. Omnis vtriusque sexus: Quia continet mãdatum impossibile, vt omnia peccata confiteamur. Porrò non solùm facta omnia meminisse impossibile est, sed etiam impossibile, nosse omnia peccata. Prauum enim est cor hominis & inscrutabile. Natura humana plena est malis cupiditatibus, impietate, contemtu Dei. Hæc peccata hærent ita in natura, vt non possint cerni aut intelligi, nisi Spiritus sanctus ostẽdat ea in cordibus nostris. Necesse est autem docere conscientias, quòd etiam non enumerata peccata remittantur credentibus.

Et cùm de absolutione & fide docendus esset populus, vna cura omnium scribentium & docentium in templis fuit, assuefacere homines ad colligendum catalogum peccatorum: Interim de fide altissimum silentium erat.

Itaque hanc sarcinam capituli Omnis vtriusque, non imponemus pijs conscientijs, quæ per se multum habet incommodi, & addiderunt glossæ infinitos & periculosissimos laqueos.

In DVODECIMO, quòd dicunt, debere certa opera imponi confitentibus, ad satisfaciendum, non potest probari ex Scripturis.

Et quòd fingunt, mutari pœnam mortis æternæ in pœnam temporalem, imponendam potestate clauium, nunquam probari poterit. Et hæc opinio lędit gloriam meriti & satisfactionis Christi. Quia Christus est victima pro peccato, sicut Scriptura inquit: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.

Quanta autem impietas est fingere, quòd culpa propter meritum Christi tollatur, pœna verò propter nostra opera, cùm Christus

ſtus ſit victor mortis & peccati, vt Hebræ. II. ſcriptum eſt: vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam ob noxij erant ſeruituti.

Item, cùm Euangelium annunciet gratuitam remiſſionem peccatorum, falſum eſt, partim remitti peccatū propter mortem Chriſti, partim propter noſtras ſatisfactiones.

Quanquam autem Deus exerceat ſanctos varijs afflictionibus, tamen hæ poteſtate clauium neque imponi neque tolli poſſunt.

Dauid poſt adulterium punitus eſt. Hæc pœna non erat pro peccato neceſſaria. Sed ita viſum eſt Deo & humiliare ipſum, & alijs exemplum oſtendere. Sicut ipſe inquit: Bonum mihi, quòd humiliaſti me, vt diſcerem iuſtificationes tuas.

Quòd autem in Synodis facti ſunt Canones pœnitentiales, hi nihil pertinebant ad remiſſionem peccatorum: Sed erant quædam publicæ diſciplinæ, exempli cauſa inſtitutæ, vel vt probarentur etiam iſti, qui redibant ad Eccleſiam. Ritus erat humanus, ad remiſſionem culpæ, aut pœnæ non neceſſarius.

Sed non eſt hîc opus prolixa diſputatione. Omnes boni viri vbique teſtantur, doctrinam noſtrorum de pœnitentia multas pias conſcientias à deſperatione liberaſſe, & oſtendiſſe veram & firmam conſolationem iuxta Euangelium. Nemo ex ſcholaſticis vnquam expoſuit, quomodo remittantur peccata. Tota hæc res iacuit ignota.

In DECIMOTERTIO articulo exigunt, vt confiteamur eſſe ſeptem ſacramenta. De hoc numero in noſtra Confeſſione nihil diximus. Nemo enim vnquam in Eccleſia ſenſit, quòd neceſſe ſit ſeptem ſacramenta numerare, ſi Sacramenta vocamus ceremonias, quas Chriſtus obſeruari præcepit, & quibus addidit promiſſionem gratiæ. Conſtat tales ceremonias duas eſſe, Baptiſmum & Cœnam Domini: Interim poſſe & Abſolutionē vocari Sacramentum libenter aſſentimur. Habet enim mandatum Chriſti & promiſſionem. Nec repugnamus ſi hæc appellatio tribuatur ordini, ſi tamen ordo intelligatur miniſterium: habet enim mandatum Dei. Item ſi tribuatur matrimonio, Nam hoc quoque habet mandatum Dei. Sed hoc non pertinet tantùm ad Nouum Teſtamentum. Confirmatio & extrema vnctio ritus ſunt Eccleſiaſtici, ſed non habent expreſſum

pressum mandatum Christi. Quare idem iudicandum est de his ri. tibus, quod de alijs traditionibus humanis, ne pro rebus necessa. rijs ad salutem habeantur.

Ac mirum est, cur Orationem non recensuerint inter sacra. menta, cùm recenseat Dionysius, ac verissimè Sacramentum dici possit, cùm habeat mandatum Dei, & egregias promissiones. Hic titulus Sacramenti, orationem quasi in loco insigniori posuisset, & ad orationem ac fidem inuitasset homines.

Cæterùm & hîc desideramus candorem in aduersarijs. De numero Sacramentorum non aliam ob causam nobiscum rixan. tur, nisi vt magis irritent odia imperitorum aduersus nos. Neque enim ignorant, in hoc numero nihil esse periculi, & tamen moueri animos imperitorum, cùm audiunt quædam Sacramenta quasi moueri ordine. Interim dissimulant, quales errores ipsi priùs do. cuerint, non solùm de numero Sacramentorum, qui nihil habet periculi, sed de vsu, quem penitus peruerterunt Sophistæ: Docue. runt enim Sacramenta gratiam conferre ex opere operato.

Et hoc multò absurdiùs etiam dixerunt quòd ad susceptio. nem gratiæ per Sacramentum, non requiratur aliquis bonus mo. tus. Quis non videt hanc manifestam esse blasphemiam?

Itaq; hoc dogma totam doctrinam iustitiæ fidei & vera exer. citia spiritualia fidei oppressit, & fiduciam operum erexit, quæ ta. men in morte ac iudicio Dei ruere solet. Ac defuit postea consola. tio conscientijs, cùm ignoraretur doctrina de gratuita remissione peccatorum, & iustitia. Nunc verò plerique etiam aduersarijagno scunt beneficium doctrinæ, quam nostri de vsu Sacramentorum tradiderunt, videlicet, quòd Sacramenta non afferant gratiam, ex opere operato, sed quòd sint instituta ad excitandam fidem, & pro sint, cùm accedit fides, qua eriguntur conscientiæ pauidæ, & cre. dunt, se Deo curæ esse, recipi in gratiam & exaudiri à Deo propter Christum. Idem enim effectus est verbi & sacramenti, quemadmo dum & Augustinus significat, cùm scribit Sacramentum esse ver. bum visibile, hoc est, signum incurrens in oculos, vt moueat cor ad credendum.

De DECIMOQVARTO postulant, vt Ordinatio fiat ab E. piscopis. Hîc breuiter respondebimus, quòd maximè cupiamus Ec clesiasticam Politiam conseruare, eamq; ad tranquillitatem Eccle siæ prodesse iudicamus. Itaq; non reciperemus ministros sine au. toritate

toritate Episcoporum, si paulò clementiores essent Episcopi, & veram doctrinam non persequerentur. Neminem ordinant, neminē admittunt ad ministerium, nisi impositis durissimis conditionibus, ne doceat doctrinam Euangelij, ne ducat vxorem. Sunt & alię nihilo leuiores.

Quia verò has conditiones bona conscientia accipere nostri Sacerdotes non possunt, ideò non requirunt autoritatem Episcoporum. Oportet enim Deo magis obedire quàm hominibus. Si hanc tyrannidem remitterent Episcopi, summa voluntate redderetur apud nos Episcopis ius suum, vt gradus in Ecclesijs sapienter constituti conseruarentur.

Ac viderint Episcopi, quomodo Deo rationem reddituri sint, quòd iniusta onera imponunt sacerdotibus, quòd pertinacia sua efficiunt, vt Ecclesiastica obedientia dissoluatur. Hæc tyrannis neutiquam decet Pastores, quibus inquit Paulus potestatem datam esse, ad ædificationem, non ad destructionem.

In DECIMOQVINTO hoc reprehenditur, quòd diximus, Traditiones humanas non esse cultus ad salutem necessarios. Sed is Articulus in Confessione nostra multis testimonijs confirmatus est. Et quia infrà plura de hac re dicturi sumus, satis est nunc vnum testimonium ponere, quod Christus nobis proponit: Frustra colunt me mandatis hominum.

Cùm in hanc sententiam vbique damnet Scriptura hanc opinionem, quòd promereamur gratiam per cultus à nobis excogitatos sine verbo Dei, quanta impudentia est hos cultus pro necessarijs exigere?

De Inuocatione Sanctorum, concedimus angelos & sanctos in cœlis apud Deum orare pro Ecclesia: Sicut & Scriptura dicit, quòd gaudium sit angelis super peccatore pœnitentiam agente. Sed hoc nihil facit ad Inuocationem. Inuocatio incerta & periculosa est, Nulla enim habet testimonia Scripturæ. Ideò eam non recipimus. Nec patimur æquari Sanctorum honorem cum honore Christi. Vnus Christus talis est intercessor, ac mediator, vt sit propiciator: Alij Sancti non sunt propiciatores. Mandatum & promissionem de Christo habemus, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Itaque in nomine Christi debemus inuocare, illum Pontificem & placatorem Patri ostendere. Hic honor nullo modo debet transferri ad alios sanctos.

SECVN-

SECVNDA PARS.

HAEc doctrina, quam confessi sumus, non tantùm habet emendationem quorundam abusuum in externis rebus, sed habet alia maiora bona, propter quæ illam amplexi sumus, & cupimus eam propter gloriam Dei puram retinere. Tota Ecclesia fuit antea oppressa doctrina operum, Et gloria meritorum Christi & iustitia fidei iacebat ignota. In concionibus nonnulli nihil docebant, nisi quasdam obseruationes humanas, certa ieiunia, certas ferias, ceremonias, indulgentias, certos ordines, certos cultus sanctorum & similia. Si qui videbantur prudentiores, docebant opera ciuilia. De fide in Christum, de iustitia fidei nihil audiebatur. At hic præcipuus locus est doctrinæ Christianæ, doctrina de iustitia fidei.

Est & inter præcipuos locos, doctrina pœnitentiæ. Quàm miserè hæc contaminata est non solùm ab his, qui vendiderunt indulgentias, sed ab alijs hypocritis, qui obliti fidei, docuerunt propter nostra merita remitti peccata, qui conscientias adegerunt ad desperationem per enumerationem peccatorum, per impias satisfactiones.

Cùm igitur hi loci de Pœnitentia & de iustitia fidei in hac doctrina, quam nostri docent, repurgati sint, & gloria Christi illustrata sit, agnoscimus maxima dona nobis à Deo proposita esse. Videmus conscientijs certam & firmam consolationem propositam esse. Videmus, in quibus rebus positus sit verus Dei cultus. Videmus quæ opera, quæ vitæ genera Deo placeant.

Harum rerum cognitio commendauit nobis primùm hanc doctrinam nostrorum. Et ex ea multum ipsi aduersarij iam decerpunt, quanquam malam gratiam reddant his, à quibus admoniti sunt.

Postea consecuta est quædam in ritibus externis mutatio, quæ quoniam habet causas in illis præcipuis articulis, quos suprà recensuimus, non voluimus repugnare verbo Dei. Et tamen ita moderati sumus eam mutationem, vt Catholicos ritus magna ex parte retinuerimus. Adhæc nuper etiam hîc obtulimus nos ad vniuersales ceremonias obseruandas, propter caritatem, quæ sine peccato recipi possent. Verùm hæc moderatio, quam speramus nobis

apud

apud Deum profuturam esse, nihil proficit apud aduersarios, qui contendunt à nobis, vt contra conscientiam omnes veteres abusus recipiamus. Itaque cùm assentiri non possimus, respondebimus paucis ad ea, quę meminimus nobis prælecta esse in confutatione nostræ Confessionis. Et rogamus Cæs. M. cum debita reuerentia, ne grauetur audire causas, quæ nos cogunt manere in sententia. Nunquam enim nobis defuit voluntas obtemperandi Cæsareæ Maiestati in omnibus rebus, quæ sine offensione conscientiæ præstari possent.

Nunc autem, sine contumelia Christi, veteres abusus approbare non possumus. Si quid autem videbitur duriùs dictum esse, id nullo modo ad Cæs. M. pertinet, cuius virtus & bonitas toti orbi terrarum nota est, & quam summa reuerentia, tanquam Dominũ nostrum clementissimum prosequimur. Sed pertinet hæc disputatio ad hos, qui nos falsò accusant apud Cæs. M. quòd aduersemur doctrinæ Christianæ.

DE VTRAQVE SPECIE.

IN itio reprehendunt nos, quòd inter abusus numerauimus, quòd non porrigitur vtraque species Sacramẽti Laicis, Et contendunt potiùs abusum fore, si porrigatur Laicis vtraque species. Postulatum à nobis, vt huic scripto assentiremur. Quod si nihil haberet incõmodi præter hunc vnum locum, grauissima causa esset, ne reciperemus. Nam quo ore, qua fronte, possumus institutum Christi abusum vocare? Notum est, Sacramentum à Christo pro tota Ecclesia institutum esse. Quomodo autem licet nobis rescindere ordinationem Christi? Paulus inquit: Testamentum hominis non licet cuiquam mutare: cur igitur Testamentum Christi non solùm mutant isti, sed etiam abusum vocant? Accepi à Domino, inquit Paulus, quod tradidi vobis. Tradiderat autem toti Ecclesiæ vsum vtriusque speciei. Quare dubium non est, quin vtraque species pro tota Ecclesia ordinata sit.

Sed quòd aduersarij allegant, de fractione panis, ex Luca & Actis: non probant in illis locis mentionem Sacramenti fieri. Et vt conceda-

concedamus de Sacramento dici, non probant, tantùm vnam partem Sacramenti datam esse.

Est etiam citata historia de posteris Heli, quibus Deus minatur, quòd deiecturus sit eos à sacerdotio, vt cogantur mendicare panem à sacerdotibus. Quàm aptè & in loco citata sit hæc historia, facile est iudicare. Priùs vocabatur abusus conseruatio instituti Christi: Nunc ita ratiocinantur, tanquam significaturi, quòd populus ita plectendus fuerit, vt à sacerdotibus acciperet tantùm vnam partem Sacramenti: sicut filij Heli cogebantur mendicare panem, puniti à Deo. Nostro iudicio non satis reuerenter loquuntur de Sacramento, qui conseruationem instituti Christi vocant abusum: Item qui Sacramentum institutum ad consolationem cõscientiarum, interpretantur pœnam esse, ademta altera parte.

Nihil autem opus est respondere ad hanc historiam, de posteris Heli, cùm nemo non videat intempestiuè ad hanc causam detortam esse.

Colligunt & alias rationes, quare profuerit tantùm vnã partem porrigere populo, scilicet ne sanguis effundatur: Item quia in vasis non possit asseruari.

Propter has rationes non est ordinatio Christi rescindenda. Itaque nos in hac sententia manemus, quòd non sit abusus, vtraq; parte Sacramenti vti. Non enim audemus institutum Christi vocare abusum. Quòd autem citantur testimonia ex Synodo Constantiensi & Basiliensi, neutra Synodus vocat abusum, vti vtraque specie. Et in decreto Synodi Basiliensis clarè scriptum est, hos qui vtraque parte vtuntur, rectè vti Sacramento. Quod cùm ita sit, hic potiùs abusus vocandus est, grauare conscientias hominum, prohibitione alterius partis Sacramenti.

DE CONIVGIO SACERDOTVM.

MIrum est in hac vna causa tam acerbè exigi Canones, in qua manifesta necessitas postulabat eos mitigari, cùm in alijs negotijs sæpe leuissimis de causis relaxentur. Neque negari potest, quin hæc prohibitio coniugij simpliciter sit iuris humani. Et subinde variauit apud alias gentes,

gentes, & alijs temporibus. Veteres Canones concedunt Sacerdotibus ducere vxores, sed remouent eos à ministerio, non excommunicant. Recentiores Canones, qui in tanta multitudine Sacerdotum mitiores esse debebant, minùs sunt clementes.

Aliquandiu licuit Diaconis in ministerio vxores ducere, ita vt non cogerentur abdicare officium, si tamen non vouissent: Et vouere non cogebantur. Id quoq; postea mutatum est.

Diu concessum est, vt presbyteri retinerent vxores ductas ante Sacerdotium. Hoc quoque mutatum est, reclamantibus Synodis Nicena & Constantinopolitana.

Si tunc non offendit nouitas, cùm mutatio facta est contra autoritatem Synodorum, & contra ius diuinum: cur nunc offendit nouitas, cùm constet nihil fieri contra mandatum diuinum, si coniugiũ concedatur huic ordini, præsertim his postremis temporibus, cùm paulatim cum ipsa rerum natura, senescunt etiam vires hominum, & crescunt vitia? Quare remedia à Deo proposita non sunt repudianda.

Imò ius diuinum cogit hos, qui non habent donum castitatis, contrahere matrimonia. Sic enim Paulus præcepit, Propter fornicationem vnusquisque habeat vxorem suam. Hoc mandatum liberatà Canonibus hos, qui non sunt idonei ad cœlibatum: Magis enim oportet obedire Deo, quàm hominibus.

Quòd autem aduersarij ratiocinantur, sacerdotes debere mundos esse, quia conueniat Sacramenta tractari à mundis, rectè argumentantur. Nam Coniugium non est immundicies. Scriptura enim dicit: Honorabile Coniugium esse. Et sanctus Martyr Paphnutius, adsentiente vniuersa Synodo Nicena, dixit, Honorabiles nuptias esse, & castitatem esse cum propria coniuge concubitum. Illa non est mundicies vocanda, quæ polluit conscientias aut fornicatione, aut alijs incendijs libidinum. Et Paulus mauult vt coniuges conueniant, quàm vt tententur à Satana. Veriùs iudicat esse mundiciem, consuetudinem coniugum, quàm est simulata continentia, si desit donum. Quanquam hæc res non habet opus disputatione. Tota Scriptura laudat coniugium, & docet nos, ordinationem & institutum Dei esse. Quare verbo Dei sanctificatum est. Est igitur mundicies cõiugalis,

fides

fides qua credunt coniuges, placere Deo hoc vitæ genus, & curãt, vt iuxta mandatum Dei ambulent in hoc vitę genere, non scortentur, non committant adulterium, &c.

Neque est ficta laude cœlibatus ornandus, ita vt grauentur conscientiæ coniugum, quasi versentur in immundo genere vitæ.

Aduersarij nobis obijciunt, quòd Iouiniani hæresin sequamur, qui de laudibus Virginitatis detrahit. Nos non vituperamus virginitatem. Habeat illa suam laudem, quam tribuit ei Christus, qui laudat eos, qui se propter regnum cœlorum castrauerunt. Nos non de virginitate, sed de imbecillitate hominum disputamus.

Digna laude virginitas est in his, qui habent id donum. Si qui non habent donum, non sunt onerandi durissimo Canone, qui cœlibatum præcepit. Sic etiam iudicauit Ambrosius, qui inquit: Sola virginitas est, quæ suaderi potest, imperari non potest: Res magis est voti, quàm præcepti.

Sed iubent impetrari orationibus & alijs exercitijs. Cur hoc isti non faciunt, qui defendunt cœlibatum? quorum cùm sint notissima flagitia, nõ sunt hoc loco apud Imperatorem castissimum, & amantissimum pudicitiæ commemoranda. Sed ita respondemus. Id non est orare, sed tentare Deum, si quis luctando expertus suam imbecillitatem, non velit vti ordinatione Dei. Extant libri magnorum virorum, qui deplorant incendia istorum, qui acerrimè restiterunt tentationibus, & satis ostendunt, quàm grauiter sauciauerint hæ tentationes conscientias illorum. Nam Christus ipse docet, non omnes capere hoc verbum. Quare vult Deus quosdam vti sua ordinatione. Sic igitur orandum est, vt ordinatio Dei non contemnatur, qua vult vti istos, quibus donum non impertit: Sicut vult vti nos cibo & alijs creaturis, cùm non conseruat vitam nostram sine illarum vsu.

Ridiculum autem est, quòd inquiunt hanc vocẽ Dei, Crescite & multiplicamini, tantùm ad illud tempus, cùm essent pauci homines, pertinere, non ad nostrum tempus.

Nos sic sentimus, quòd illa verba creent & ordinent naturã, qualem postea existere necesse est, nec se refingere ipsa potest: sicut alia similia verba. Germinet terra herbam virentem: Hæc vox vestit agros, quotannis creat fruges, parit victum omnibus animantibus. Ita hæc sententia, CRESCITE, &c. non solùm mandatũ, sed etiam naturæ

naturæ conditionem continet: quam mutare, non est nostrum, sed Dei opus.

Nec fecerunt virgines, si quæ verè conseruauerunt virginitatem, cõtra mandatum Dei, quia, cùm à conditione illa communi naturæ exemtæ essent, mandato etiam solutæ erant, quod ad illam conditionem naturæ attinet. Exemit enim istas peculiare donum & opus Dei.

Sed fingamus rem facilem esse cuiuis perpetuam castitatem: quis dedit potestatem Pontificibus, hanc legem Ecclesijs imponẽdi? Præsertim cùm Paulus antea monuerit, tales leges doctrinas esse dæmoniorum.

Hæc atq; alia multa dici possent, in hac causa, si esset obscura. Nunc ita manifesta est necessitas mitigandi huius Canonis, vt nihil opus sit longa disputatione. Omnium libidinum huius ordinis reos se faciunt isti, qui hunc Canonem contra mandatum Dei defendunt. Quare nos non possumus assentiri pronunciantibus contra coniugium sacerdotum.

DE MISSA.

ADuersarij fatentur magnos abusus esse Missæ: Quare ignoscant nostris, qui hæc vitia reprehenderunt, quæ non irrepsissent in Ecclesiam, si Episcopi aduigilassent.

Neq; verò difficile est iudicare, vtrùm sit abusus, quòd conducti mercede, quòd coacti legibus fundationum, certum numerum Missarum faciunt statis temporibus inuiti, cùm parum sint idonei.

Hæc vitia ita sunt vulgaria, ita nota omnibus, vt dissimulari non possint. Sed sunt alia minùs nota imperitis, quæ aduersarij leuiter attigerunt. Defendunt Missam esse sacrificium, quia ante annos mille ita existimatum sit, & quia Græci vocent Liturgiam, item quia Misba Hebraicè significet altare, Græcè thysiasterion, Postremò quia Christus dicat, Hoc facite: Facere autem sacrificare significet. Addunt Arrianam esse hæresin, si quis sentiat Missam non esse Sacrificium.

Atque hæ rationes visæ sunt illis dignæ, quibus adderent ti-

tulum Cæ. Maiest. de quibus quid iudicaturi sint homines, si quando in publicum proferentur, prudentes viri facilè existimare possunt.

Causam omnium maximam & difficilimam, quæ nunc controuertuntur, satis defensam putant prolatis aliquot vocabulis, ab aliquo pædagogo precariò sumtis. Quid enim faciunt ad rem? Quid quòd eorum etymologias scriptores isti, si serumpant, dicere non queant?

Nónne totidem vocabulis opponi alia commodiora poterũt? Ecclesia vocat Synaxin, vocat communionem. Et Canon ipse testatur plures ex altari sumere. Hæc cùm non quadrent ad priuatas Missas, subindicant nouum esse morem priuatas Missas celebrandi.

Sed hæc tanta causa non est iudicanda coniecturis. Neque de nomine rixa est. Scimus Missam à veteribus vocari Sacrificium, quia sit memoria sacrificij Christi, vt Irenæus ait. Nec inuiti concedimus sanctis Patribus appellationem Sacrificij. Non enim litigamus cum illis, sed cum recentioribus, qui malè intellecto nomine Sacrificij inuexerunt opiniones & cultus in Ecclesiam, maximè pugnantes cum Euangelio.

De merito & applicatione litigamus, vtrùm cœna Domini sit opus, quod mereatur gratiam ex opere operato: Item, quod applicatum pro alijs mereatur gratiam ex opere operato.

De his rebus cùm aduersariorum libri pleni sint, nullum tamen potest ex vllo scriptore Ecclesiastico veteri proferri testimonium, quòd Missa ex opere operato mereatur alijs gratiam. Nam hæ prodigiosæ opiniones, & hæc prodigiosa vocabula recẽtia sunt, & excogitata à Monachis, qui Missam ad sacrilegum quæstum contulerunt. Doctrina de opere operato, & applicatione manifestè pugnat cum Euangelio, & iustitia fidei: Nam Scriptura docet nos iustificari fide, non per opera. At si Missa ex opere operato meretur gratiam, necesse est sequi, quòd iustitia sit ex operib. sine fide. Neq; dissimulant aduersarij, se hoc modo sentire. Palàm scripserunt, nó solùm de cœna Domini, sed in genere de Sacramentis, quòd ad susceptionem gratiæ per Sacramentum, non requiratur aliquis bonus motus. Et non solùm fingunt iustificari facientem, sed etiam illos, pro quibus applicatur. Hos aiunt non ponentes obicem, necessariò consequi gratiam. An non pugnant hæc cum doctrina fi-

dei?

dei? Et hac vna ratione hoc in loco, cùm sit planissima & firmissima, contenti erimus.

Meritum Christi fide consequimur. At illi meritum Missæ mutuãtur alijs etiam sine fide. Ita pluris faciunt meritum Missæ, quàm meritum Christi.

Hæ opiniones serpserunt in Ecclesiam, extincta doctrina de iustitia fidei: Nec potest verus vsus Sacramentorum & ceremoniarum retineri, nisi cognita iustitia fidei.

Improbamus igitur meritum operis operati, & applicationem. Cumq; priuatæ Missæ hac opinione factæ sint, non possumus restituere eas, aut assentiri his qui defendunt eas: Sed vna communis Missa fit, vbi porrigitur Sacramentum his, qui vti volunt, ad cõsolandas pauidas conscientias. Nam ad hunc vsum, vt in Confessione exposuimus, institutum est Sacramentum. Et de hoc vsu Sacramenti multa scripserunt Ecclesiastici Patres. Nec sumus Arriani iudicandi, quia non probamus illam applicationem contra Euangelium excogitatam.

Falsa & hæc calumnia est, quòd aboleamus iuge sacrificium. Nam vt interim largiamur, quòd Missa sit significata per iuge sacrificium, certè non abolemus Missam, sed abusum corrigimus.

Retinemus morem Ecclesiæ veteris: ab vno sumunt hi, qui petunt corpus & sanguinem Domini: Populus ad communionem & vsum Sacramenti assuefit. Apud aduersarios rarissimè vtitur Sacramento populus: tantùm pauci conductitij vtuntur. Ita nos magis retinemus vsum Sacramenti ac iuge Sacrificium, vt ipsi appellant, quàm aduersarij.

Sed quia aduersarij hostiliter exagitant hanc priuatæ Missæ mutationem, & criminantur nos, quòd, velut Antiochus, aboleamus iuge sacrificium, aliquantò plura de hoc loco dicenda sunt.

In Numeris, cap. 28. describitur iuge sacrificium. Cremabatur agnus, & offerebatur simila conspersa oleo, Accedebat & libatio, certa vini mensura. Hæc ceremonia erat perpetua. Quasi quis contendet significari Missam, non valde repugnabimus, si tamen totam Missam complectetur, hoc est, cœnam Domini cum prædicatione verbi, quæ addita est huic ceremoniæ. Sicut Paulus inquit: Quoties comederitis panem hunc, & calicem hunc bibetis, mortem Domini annunciate, donec venerit.

Vt igitur istic erat perpetua quædam ceremonia, quæ & significabat venturum esse Christum, & hũc populum duraturum esse, donec Christus nasceretur: ita nos habemus Cœnam Domini, quæ rectè vocatur æternũ testamentũ, qa testatur Christum apparuisse, & nõ restare nouũ aliud verbũ, quod mundo Deus missurus sit. Et significat hoc nouum testamentũ & Ecclesiam semp mansurã esse,

Sed ad ceremoniam addenda est prędicatio Euangelij, per quã innotescit Christus, & mactantur hostiæ, & agunt gratias Deo, & laudant Deum. Hæc sunt sacrificia noui Testamenti.

Has hostias significauit illud spectaculum, exhibitũ in lege, videlicet, postquam apparuisset Christus, mansurum in mũdo Euangeliũ, & perpetuò docendũ esse, vt subinde aliqui cõuertantur, & fiãt hostiæ Deo, & accipiãt vitam æternã, & agant gratias Deo, & laudent Deum, & testentur, quòd vera sit Euangelij doctrina, quòd verè Deus irascatur peccatis, quòd verè ignoscat credentibus, verè exaudiat, verè saluet: Et hoc testimonio alios ad credendum inuitent. Ita Paulus interpretatur sacrificium de prædicatione, fide & gratiarum actione: Rom. 15. Vt sim minister Iesu Christi, inter gentes, sacrificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium, accepta, sanctificata Spiritu sancto. Et Phil. 2. Sed & ego immolor propter hostiã & sacrificium fidei vestræ. Nam crematio agni significat mortificationem Christi & omnium membrorum eius: Similaviuificationem, quæ fit per fidem in prædicatione Euangelij, quæ consolatur conscientias perterrefactas prædicatione pœnitentiæ. Libatio gratiarum actionem & prædicationem. Hoc Sacrificium prædicationis fidei & gratiarum actionis semper in Ecclesia manere debet. Ceremonia ipsa sine doctrina est muta.

Veteres Cœnam Domini Eucharistiam vocauerunt, vt significarent hanc ceremoniam institutam esse, vt ibi prædicarentur beneficia Christi, & erigerentur pauidæ conscientiæ, & confirmaretur fiducia, cognita remissione peccatorum, & aperiatur gratia.

Nunc igitur consideremus, vtri aboleant iuge Sacrificium. Euangelium apud aduersarios paucissimis locis docetur: In multis magnis regionibus ferè toto anno nullæ fiunt conciones: Et cùm fiunt, recitatur somnium alicuius Monachi, aut si quid est melius, proponitur aliqua ciuilis sententia ex Philosophia. De Christo, de fide in Christum, quòd per illum habeamus placatum Deum, quòd per illum impetremus à Deo omnia bona, non

propter

propter merita nostra, de exercitio fidei in omnibus afflictionibus, de sua cuiusq; vocatione, de caritate, de his rebus ibi minimū docetur, vbi plurimum est venalium Missarum. Interim ceremonia instituta propter prædicationem de Christo, confertur ad alium vsum, vt mereatur alijs gratiam ex opere operato. Ibi verè abrogatum est iuge Sacrificium, vbi legitimus vsus Sacramenti peruersus est, & conticescit prædicatio Euangelij. Sic enim scriptum est de impiorum sacrificijs, Prouerb. 15. Victimas impiorum abominatur Deus: Et oratio rectorum placet ei. Hîc requirit Spiritus S. fidem & orationem, non recipit opus operatum, sine verbo & sine fide, quale est Missa venalis. Et apud Ieremiam inquit Deus: Non præcepi eis, in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de holocaustis: Sed hoc præcepi eis: Audite vocem meam, & ero vobis Deus. Hîc apertè damnat Propheta opus operatum, & requirit verbum & fidem, vt fide gratiam apprehendamus, & credamus Deo. Nunc in illo regno Pontificum, qui doctrinam Euangelij aut negligunt, aut etiam persequuntur, & delere conantur, manet ceremonia, sed vocem Dei non audiunt, non curant doceri Euangelium de doctrina fidei, sed defendunt operis operati meritum & alios impios cultus. Quare hi propriè iudicandi sunt delere iuge sacrificium.

Et sunt alia multa signa, Antiochi regno, istam Pontificum dominationem significatam esse. Nònne Pontifices colunt Deum suum auro, argento, & lapidibus pretiosis, ac nobiscum belligerātur, quòd hos impios cultus nō probemus? Accusant nos, quòd ceremonias negligamus, quòd altaria, quòd monasteria prophanemus. Hortantur clementiss. Imperatorem, vt atroces pœnas in nos constituat. Hæc sunt Antiochi exempla, quæ nihil ad nos pertinent. Nam apud nos Dei beneficio manet Ecclesiæ mos, & manet legitimus vsus Sacramenti, & accedit prædicatio Euangelij de vero cultu Dei, de fide, de spe, de cruce, non de humanis traditionibus, aut somnijs scholasticis.

Detorquent ad Missam & verba Malachiæ, Ab ortu solis vsq; ad occasum magnum erit nomen meum inter gentes, & in omni loco incensum ponetur nomini meo, & offeretur oblatio munda, quia magnum erit nomen meū inter gentes, dicit Deus Zebaoth. Similes figuræ reperiuntur & apud alios Prophetas, qui, cùm de Euangelio loquuntur, verbis legis vti solent, & tectè significant, non alium externum cultum, sed spiritualem. Nam Epistola ad

Hebræos docet, nullum sacrificium post Christi mortem præterea necessarium esse pro peccato. Ideo Petrus docet nos, Sacerdotium sanctum esse, ad offerendas spirituales hostias. Sic igitur accipiendus est locus Malachiæ, vt incensum & oblatio intelligantur, non de sola ceremonia, sed de prædicatione, fide & gratiarum actione. Sine his ceremonia ipsa non est sacrificium, ex opere operato, vt loquuntur. Sicut ad Hebræos etiam scriptum est: Per ipsum, offerimus hostiam laudis semper Deo, hoc est, fructum labiorum confitentium nomini eius.

Ac verba ipsa Malachiæ indicant, non esse solam ceremoniam intelligendam, quia incensum non est typus propriè cœnã Domini significans, sed orationem significat. Itẽ additur: Magnũ erit nomen meũ inter gentes. Id ad prædicationem pertinet, quia nomen Dei latè spargitur & innotescit per prædicationem Euangelij, Et discunt homines nosse Deum, timere Deum, & credere Deo.

Ad hunc modum veteres etiam exponunt hunc locum Malachiæ. Sic enim inquit Tertullianus: In omni loco sacrificium mũdum, scilicet simplex oratio de conscientia pura. Et Hieronymus: Regula Scripturarum est, Vbi manifestissima Prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non extenuare quæ scripta sunt. Qui offerunt cæcum & claudum, sciant, carnalibus victimis spirituales succeßuras, & nequaquam taurorum, hircorumque sanguinem, sed thymiama, hoc est, sanctorum orationes, Domino offerendas, & non in vna Iudææ prouincia, nec in vna Iudææ vrbe Ierusalem, sed in omni loco.

Postremò iactent aduersarij, quantùm volent, significationem iugis Sacrificij, & verba Malachiæ: tamen non poterunt efficere, quòd Cœna ex opere operato, sine prædicatione, sine fide, sit sacrificium, & applicatum pro alijs, mereatur eis gratiam, & iustificet eos.

Ad has impias opiniones confirmandas nihil facient aut Malachiæ verba, aut figura iugis sacrificij. Et, vt fit, error parit errorẽ: vbi semel occupauit animos persuasio de applicatione, disputari cœptum est, vtrùm meritum Missæ sit finitum an infinitum, vtrùm sit diuisibile, vtrùm tantundem valeat Missa facta pro pluribus, quantum pro singulis singulæ. Hinc fuit quæstus vberrimus. In omnibus periculis ad hoc opus, tanquam ad idolum erat receptus.

At

At Christus fide vult se inuocari, fide expectari omnia bona, non propter merita nostra aut opera.

Cùm autem aduersarij de merito & applicatione Missæ nullas attulerint rationes, tantùm allegent nomen Sacrificij, idque non ex Canonica Scriptura, sed ex Patribus, non videtur opus esse longiore responsione.

Neque poterunt vnquam vel ex Scriptura, vel ex Patribus quicquam producere, quod adeo firmum sit, vt nostram rationē, quam recensui, euertat. Certa est enim sententia, quòd, si iustitia est ex fide, non possit ex opere operato esse iustitia. Quare Missa nō iustificat.

Intelleximus etiam aduersarios valde tragicè conqueri, quòd quædam apud nos particula Canonis Missæ omittatur. Ea res vel inprimis prægrauat nos, propter publicam de Canone persuasionem.

Magnopere autem oramus, ne Cæsarea Maiestas existimet, aliquid in Canone mutatum esse contemtu religionis aut Sacramentorum. Magnas & graues causas allegant nostri, cur quandam Canonis particulam omittant, & affirmant se coactos propter Sacramenti reuerentiam, quædam præterire, quæ manifestos abusus pepererunt. Et ne quid putetur fieri contra Catholicam Ecclesiam, hoc initiò considerandum est, non vbique eundem Canonem Missæ haberi: Nam Græcus Canon dissimilis est latino, Et in aliquot locis latini Canones variant. Et fatentur etiam recepti Scriptores, tantùm verba consecrationis à Christo tradita esse: postea Pontifices cætera addidisse, & alios alia, ad decorem & solennitatem. Sic enim loquitur glossa in decretis. Sicut igitur antea varietas illa nō læsit Catholicam fidem, ita nunc sentiendum est, non lædi Catholicam fidem, etiamsi omissa aliqua parte Canonis, retineantur verba Christi, quæ consecrationem continent. Nam hæc nos religiosissimè retinemus. Retinemus & orationes & gratiarum actionem. Et quidem ipse Canon ostendit, subinde quædam adiecta ac demta esse: Satis enim apparet, quædam membra non satis cohærere: Et quædam verba ex Scripturis sumta, intempestiuè ad sacrificium detorquentur. Et natura sacrificij sinistrè intellecta, Scriptores postea magis etiam contaminauerunt Canonem. Nullius enim ex aduersarijs scripta adhuc vidimus, (& vidimus ingentia volumina)

qui potuerit definire sacrificium: Adeo sunt inepti, vt, cùm de sacrificio litigent, cùm autoritatem Canonis defendant, non possint tamen definire, quid sit sacrificium, quid intersit inter sacrificia Veteris & Noui Testamenti, quid intersit inter Sacramentum & Sacrificium.

Hæc non attingunt aduersarij, quæ tamen à prudentibus viris in hac controuersia maximè requiruntur.

Quidam exagitant in Canone ista, quòd hostiam salutis appellat panem nondum consecratum, quòd sacerdos intercedit pro Christo, & orat, vt Deus hanc hostiam acceptam habeat, quasi Sacerdos sit mediator inter Christum & Patrem: Item quòd petit vt hæc hostia placeat Deo, sicut hostia Abel, quasi verò aliæ hostiæ pluris fuerint, quàm Christus. Hæc etsi sint absurda, tamē alia sunt, quæ nostros magis mouent, videlicet quòd illa pars Canonis applicat Missam prō viuis & mortuis, vt per id opus saluentur. Hæc applicatio manifestè pugnat cum Euangelio & iustitia fidei. Hoc si esset obscurum, dubitari posset, vtrùm hæc particula Canonis iure reprehenderetur. Nunc ita manifesta res est, vt non solùm oculis cerni, sed manibus quoque prehendi queat, quòd non iustificentur homines applicato alieno opere, aut merito, sine fide. Res versatur ob oculos, & inter manus. Quare manifestè constat, quòd illa pars Canonis, quæ Missas hoc modo applicat, pro viuis & mortuis, dissentiat non ab aliqua vna sententiola Euangelij, quæ non sit magni momenti, sed à præcipuo loco Euangelij, videlicet à tota doctrina de iustitia fidei. Quod cùm ita sit, venia danda est nostris, quòd autoritatem Euangelij pluris faciunt, quàm autoritatem Canonis, præsertim cùm fateantur omnes illam partem Canonis humana autoritate factam esse, & semper dissimiles Canones in Ecclesia extitisse. Oportet autem autoritati humanæ præferre clarum & certum testimonium Scripturæ.

Quid poterunt afferre aduersarij, quanquam sint impudentes, contra tam manifestam veritatem? Res ita plana est, vt ne quidem in speciem cauillari quisquam possit. Cùm fides iustificet, impia & hæretica sententia est, quòd Missa applicata alteri ex operato iustificet eum. Quare cùm defendi applicatio non possit, magna & grauis causa est, cur illa pars Canonis, quæ applicationem continet, omittatur.

DE

DE VOTIS.

Si rectè meminimus, hæc verba erant in Confutatione, quòd vota sint fundata in Veteri ac Nouo Testamento. De Veteri paulò pòst respondebimus: Vbi autem in Nouo Testamento probentur, non scimus, nisi fortassis in his locis, Fruſtra colunt me mandatis hominum. Et: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Hi loci rectè quadrant ad hæc vota. Et huiusmodi præconia multa de Monachis etiam reperiemus, vt Matth. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & immundicie: Sicut & vos foris quidem iusti apparetis hominibus, intus autem pleni estis hypocrisi & intemperantia. Si qui sunt in Nouo Testamento loci magis conuenientes votis, à Monachis proferantur, nos respondere non grauabimur.

Sed nunc in genere respondemus: Vota facta cum opinione iustitiæ & gratiæ promerendæ, per tale opus, impium cultum esse: Et nec in Veteri, nec in Nouo Testamento approbari: Clara est enim sententia Pauli, Euacuati estis à Christo, qui lege iustificamini, gratia excidistis. Itaque multò magis illi gratia exciderunt, qui iustitiam quærunt per vota, quæ prorsus fiunt sine mandato & verbo Dei. Sancti viri, vt Bernhardus, Franciscus, Bonauentura & similes, ita vixerunt in illis regulis, vt sentirent se non per illas obseruationes mereri gratiam, sed sciebant se fide iustificari: Interim in hoc genere vitæ ita versabantur, tanquam in scholis, quia hæc exercitia corporalia videbantur esse ipsis commoda. Sed publicus error fuit, quòd professio sit alter baptismus, quòd obseruationes monasticæ mereantur gratiam, satisfaciant pro peccatis. Has opiniones nostri docent esse impias, & vota hac opinione facta, docēt esse irrita. Contra hanc nostrorum doctrinam nihil afferunt aduersarij. Hic controuersiæ status est, quem non scimus an attigerint aduersarij.

Si permittunt nobis, quòd vota non mereantur gratiā, quòd cultus ipse monasticus sit irritus cultus, vt Christus ait: Fruſtra colunt me mandatis hominum, facilè concedent, etiam ipsa vota facta opinione impia, irrita esse.

Sed allegant locum Euangelij, Qui reliquerit domum, aut fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut vxorem, propter nomen meum, centuplum accipiet. Hoc profecto est fucum facere imperitis, ad vitam monasticam detorquere alienissimam sententiam. Duplex est fuga. Quædam fit sine vocatione, Quædam cum vocatione. De hac posteriore loquitur Christus: Nihil enim sine vocatione contra mandata Dei suscipi debet. Est ergo sententia, quòd in persecutione vitam & omnia potiùs deserere debeamus, quàm Euangelium negare aut deserere. Ideo addidit, propter Euangelium: Neque enim debet accipi sententia ita vt pugnet cum alijs mandatis Dei. Porrò alia mandata prohibent deserere vxores & liberos. Sed violentia excusat nos, cùm deserere cogimur vxores & liberos, cùm expellimur ex sedibus, cùm trucidamur. De his persecutionibus loquitur Christus, vt æquo animo toleremus iniuriam. Verùm aduersarij interpretantur non de persecutione, non de violentia, Sed de fuga sine vocatione suscepta, etiam contra mandata Dei. Concedunt enim vt is, qui sponsalia contraxit, dimissa sponsa ingrediatur in monasterium. Deinde hæc fuga non fit propter Euangelium, propter officium prædicationis, propter confessionem verbi: Sed fit propter suscipiendos certos cultus, qui sunt improbati in Scripturis. Non igitur deserunt domum aut patrem aut matrem, propter nomen Christi, Sed propter falsam opinionem, quam de illo cultu inutili conceperunt.

Et fortasse plurimi, non gloriæ Euangelij, sed ventri consulentes, deserunt exiguas facultates, vt centuplum accipiant, hoc est, vt habeant ocium & culinam lautiorem inueniant.

Citatur à monachis de perfectione & hęc sententia, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & sequere me. Hæc sententia continet vocationem peculiarem, quæ ad illam personam pertinebat, non ad omnes. Iussit enim vt sequeretur, & vnà circumiret, sicut alij Apostoli. Et sicut hic sequi debuit vocationem, ita & nobis expectanda est vocatio. Nec sine vocatione abijciendæ sunt possessiones, aut deserenda familia. Tunc erimus perfecti, cùm vocationi obtemperabimus. Id enim ostendet nos verè credere Deo. Sic accipienda est perfectio, non quòd fuga reddat perfectos, Sed quòd obedientia ostendit fidem esse perfectam, hoc est, syncerã, non simulatam. Sed vita monastica primùm

sine

sine vocatione suscipitur, deinde habet cultus, qui nõ habent mandatum Dei.

Ideo res propemodum tota pugnat cum vocatione. Est autem periculosissimum vitæ genus, in quo sine vocatione & sine verbo Dei viuitur. Interim si qui sunt, qui ibi seruiunt in Euangelio, hos non improbamus, modò fideliter & purè doceant, & intelligant se non propter monasticos cultus, sed propter ministerium verbi, habere vitæ genus & cultum Deo gratum.

Quòd verò aduersarij negant vnquam dictum esse, vitam monasticam esse statum perfectionis: Gerson viderit. Is peculiarem librum scripsit ad illam impiam opinionem refellendam: & affirmat quosdam ita loqui. Sed non est opus quærere testes. Plæriq; omnes audiuimus talia concionantes monachos in templis. Quidam acuti, vt communem errorem corrigerent, neque tamen recepta verba prorsus abijcerent, scripserunt vitam monasticam esse statum acquirendæ perfectionis. Hoc prudenter dictum est, modò vt populus dextrè accipiat. Quis autem status, quod vitæ genus, non est status acquirendæ perfectionis? In coniugio, in omni vocatione, ad perfectionem tendere debemus, ac sentire, quòd vnumquemque vocauerit Deus ad certam functionem, in qua velit eum exercere, vt discat credere. Hæc fides perfectio est singulorum.

Fortasse prudentiùs diceretur, vitam monasticam esse scholas, pædagogiam, & disciplinam puerilem, cuius proximus finis est, non illa spiritualis perfectio, sicut aliorum statuum, sed doctrina & eruditio, qua instructi iuuenes postea fiebant idonei ad regendas & docendas Ecclesias. Talia fuerunt initiò Collegia Basilij & Augustini, vbi studiosi vnà versabantur, & exercebantur in sacris literis, & assuefiebant ad honesta officia, vt postea præfici Ecclesijs possent. Nec erant votis oneratæ conscientiæ. Talia si nunc essent monasteria, nemo vituperaret.

Nunc magna ex parte monasteria alunt tantùm ociosos ventres, qui prætextu religionis helluantur de eleemosynis publicis.

Et quòd hortantur nos aduersarij, vt, sequentes maiorum nostrorum exempla, reformemus monasteria, planè agnoscunt multum degenerasse mores monachorum. Nos hanc tutissimam

mam Reformationem esse iudicamus, ne quem includamus contra conscientiam. Interim scholas sacrarum literarum, in nostris ditionibus, pro nostris facultatibus excitabimus & excitatas ornabimus.

Postremò argumentantur aduersarij perpetuam castitatem non esse impossibilem homini: Et cùm sit difficilis, precibus impetrandam esse. De hoc argumento suprà diximus, ita orandum esse, vt interim non aspernemur remedia à Deo ostensa, si poscat imbecillitas nostra. Nam qui amat periculum, peribit in illo. Quis autem nescit, quantum sit periculi in hac imbecillitate humanæ naturæ, in acerrimis insidijs Diaboli? Ac iure sancti viri dixerunt, perpetuam esse pugnam, victoriam raram. Itaque nos prohibere non volumus, quò minùs hi, qui non possunt ferre onus monasticæ vitæ, contrahant matrimonia iuxta verbum & ordinationem Dei.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

IN hoc articulo non admodum disputauerunt aduersarij, quæ propriè sit potestas Ecclesiastica, iuxta Euangelium. Tota ferè oratio fuit de immunitate ordinis Ecclesiastici, quæ illis humano iure contigit. Nos autem sæpè diximus, nos, vt erga alios, ita erga hunc ordinem, libenter omnia ciuilia officia præstare.

Habent Episcopi possessiones, habent imperia concessa iure humano. Nos nihil istorum cuiquam eripimus. Sed æquum erat, eos non solùm de opibus suis, sed etiam de officio seu ministerio sollicitos esse, quales haberent Ecclesiæ Pastores, quales Sacerdotes ordinarentur, vt pura doctrina Euangelij traderetur in scholis & Ecclesijs, quæ fidem & caritatem aleret in animis hominum, vt Sacramenta religiosè tractarentur, vt vitia publica censuris Ecclesiasticis notarentur & emendarentur, vt ordinationes Ecclesiasticæ ad ædificationem, non ad destructionem, proponerentur, vt disciplina Ecclesiastica ita retineretur, ne iniustis oneribus conscientiæ piorum grauarentur, vt scholæ bonarũ artium, quæ sunt vtiles Ecclesiæ, conseruarentur.

Hanc curam iam olim abiecerunt Episcopi, ac si qui fuerunt melio-

meliores, magis assidui fuerunt in exigendis traditionibus humanis, quàm in docendo Euangelio. Sed hæc quoq; disciplina iam Romæ irridetur.

Pontifices belligerantur de imperio cum Regibus. Vt mare per se tranquillum cient venti: ita Pontifices mouẽt omnia regna, quoties libitum est.

Hæc non solùm aliena sunt ab Euangelio, sed etiam à Canonibus.

Interim acerbissimè exigunt Canones suos ab alijs, cùm nulli minùs seruent Canones, quàm ipsi Episcopi. Et dignitatem suam & opes defendi postulant, cùm non curent Ecclesias, obliti Canonis sui, quòd beneficium detur propter officium.

Hæc deplorare his temporibus capitale & hæreticum habetur. Neque nos attigissemus, nisi prouocassent aduersarij.

Cæterùm sæpè iam testati sumus, nos non solùm potestatem Ecclesiasticam, quæ in Euangelio instituta est, summa pietate venerari, tanquam maximum Dei donum, per quod Deum agnoscimus, & à peccato & potestate Diaboli liberamur, & vitam æternam consequimur: sed etiam Ecclesiasticam politiam & gradus in Ecclesia magnopere probare, &, quantum in nobis est, conseruare cupere. Non detrectamus autoritatem Episcoporum, modò non cogant facere contra mandata Dei. Hæc voluntas liberabit nos coram Deo, & iudicio vniuersæ posteritatis, ne iudicemur rei huius schismatis, quod initio excitatum est iniusta damnatione doctrinæ Lutheri, nunc augetur pertinacia illorum, qui non possunt vllo modo flecti, vt vnam atque alteram constitutionem Ecclesiasticam mitigent: In quibus tamen nos etiam cessuri eramus tyrannidi istorum, si sine offensione conscientiæ cedere possemus. Nunc oportet nos magis obedire Deo quàm hominibus.

Sed veniamus tandem ad disputationem de traditionibus Ecclesiasticis, quam attigerunt hîc aduersarij.

Quid sentiamus esse potestatem Ecclesiasticam iuxta Euangelium, exposuimus in confessione nostra. Est enim mandatum de Euangelio docendo, de administratione Sacramentorum, de remittendis & retinendis peccatis. Hæc potestas partim ordinis, partim Iurisdictionis appellatur.

Hæc maxima beneficia Dei obscurantur, cùm addunt quidam potestatem condendi leges & nouos cultus. Nam vbi induit animus

animus opinionem, quòd Christus commiserit Ecclesiæ instituere nouos quosdam cultus, & ceremonias præter Euangelium: statim obscuratur doctrina de gratia & iustitia fidei, & remissione peccatorum: Et iudicant homines, se iustitia operum, videlicet talium cultuum, iustificari, non per fidem in Christum. Et quia tales traditiones nunquam ritè seruantur, grauiter vexantur conscientiæ. Manet ergo hoc in controuersia, vtrùm Episcopi habeãt potestatem condendi nouos cultus & leges præter Euangelium. Aduersarij sic argumentantur, Cùm Euangelium concedat Episcopis potestatem Iurisdictionis, sequitur vt habeant potestatem condendi leges. Verùm hoc sequi non oportet. Nam Scriptura concedit, vt Iurisdictionem exerceant, vt soluant, vt ligent, non ex nouis legibus, sed ex ipso Euangelio. Non enim habent potestatem tyrannicam sine certa lege, aut regiam supra legem, quam acceperunt, Sic enim ait Paulus: Non possumus aliquid contra veritatem.

Nos tamen in Confessione non in totum ademimus Episcopis autoritatem faciendi ordinationes in Ecclesia: Sed fecimus diuersa Legum genera. Opus est ordinationibus in Ecclesijs, vt sciat populus, quo tempore debeat conuenire, vt sit ordo officiorum, vt Paulus inquit, Omnia fiant ordine & decenter.

Aliud genus est, cùm instituuntur certi cultus, certa ieiunia, discrimina ciborum, dierum, cœlibatus, & similes obseruationes: Item cùm illæ ipsæ ordinationes factæ, non vt ea opera placarent Deum, sed ne qua confusio esset in congregatione, putantur esse necessarij cultus. Ac de vtroque genere quid sentiamus, ostendimus in confessione.

Potest aliquis vti exercitio, quod videtur esse commodum, si tamen per id exercitium non quærat mereri gratiam. Sed instituere tale opus, & obligare conscientias, & efficere rem necessariam ad salutem, hoc planè est, sicut Petrus inquit, tentare Deum, & repugnat Christianæ libertati, quæ docet, quòd gratis iustificemur per fidem in Christum, & non ex vllis nostris operibus, & vetat instituere aliquos tales cultus tanquam necessarios ad salutem.

Neque verò negare possunt aduersarij, obseruationes illas pro

pro cultibus meritorijs traditas esse. Nam & Thomas apertè scribit: Ieiunium valet ad deletionem & prohibitionem culpæ. Hæc sacrilega opinio nullo modo toleranda est in Ecclesia, quòd traditiones humanæ valeant ad deletionem culpæ, cùm omnes Catholici fateantur, remissionem peccatorum gratuitam esse. Cæterùm si quæ sunt ordinationes Ecclesiasticæ, quæ sine peccato seruari possunt, & sunt vtiles ad ordinem in Ecclesia, ita seruentur, ne quis offendatur: Neq; tamen iudicentur res esse necessariæ ad iustitiam, aut ad fidem, vt vulgò loquuntur, nec putentur pollui conscientiæ, cùm sine scandalo negliguntur. Et quidem pleræque factæ sunt, non ad conscientias grauandas, aut cultus instituendos, sed tantùm ad vitandam confusionem in Ecclesijs, & scandala. Nō enim loquimur hîc de politicis & iudicialibus legibus, sed propriè de ceremonijs & ritibus Ecclesiasticis.

Aduersarij vehementer criminantur hanc doctrinam libertatis Christianæ, sed sciant, se hæc conuitia non nobis, sed verbo Dei dicere: Nam si putentur talia opera esse necessarij cultus ad iustitiam Christianam, prorsus obscuratur iustitia fidei & gratiæ.

Necesse est autem in Ecclesia extare hanc doctrinam, quòd non ex nostris operibus, aut cultibus, sed fide in Christum gratis iustificemur. Necesse est scire, quòd ad veram vnitatem fidei, non sit necessaria similitudo humanarum traditionum. Hæc omnia obruuntur, cùm doctrina illa Christianæ libertatis amittitur.

Adhæc quanta carnificina fuerit optimarum mentium, illa infinita multitudo traditionum & ceremoniarum, si non adhibita fuerit hæc consolatio & ἐπιείκεια? sicut & Gerson ait: Constat denique, quòd tanta est huiusmodi institutionum multitudo, quòd, si tenerentur in suo rigore, maxima pars Ecclesiæ damnaretur, & caritas, quæ est finis totius legis etiam diuinæ, læderetur.

Ac perpetua fuit inter sapientes & bonos viros de his oneribus querela, qui videbant primùm obscurari doctrinam fidei & gratiæ, item præcepta Dei, cùm populus in hoc vnum esset intentus, ne negligeret traditiones humanas. sicut Gerson inquit: Subditi simplices & timidi, quando tot traditionibus intendere compelluntur à superioribus suis, quid mirum, si minùs capaces reddun-

redduntur diuinorum præceptorum? Quanquam hoc accidit non solùm vulgo, sed etiam doctis. Deinde videbant conscientias in varios laqueos & pericula incidere, cùm nemo esset, qui tot traditiones seruaret. Itaque necesse est in Ecclesijs doceri hanc ἐπιείκειαν traditionum humanarum. Et quamuis abutantur homines feri, tamen magis est habenda ratio Ecclesiæ & piorum. Ita iudicauit & Gerson, cùm ait: Etsi contemtus ex hac laxatione apud quosdam improbos oritur, tamen alij benè instituti gratias agent. Non desunt magistratus, qui feros coërcere possint, vbi opus erit. Et prudens Concionator non solùm de libertate, sed de cauendis scandalis etiam dicet: Quemadmodum Paulus hanc causam moderari solet. Neque nostri primùm aut soli de hoc negotio disputauerunt, nam & alij alio modo de hac re scripserunt. Gerson verò non dubitat ita dicere: Non plus habent in potestate Prælati Ecclesiæ ligare subditos ad aliqua, quæ non sunt tradita in regula Euangelica, professa ab omnibus Christianis, quàm habent Abbates super religiosis suis, ad obligandum eos præter regularem professionem suam. De quibus tamen est sententia beati Thomæ, & aliorum doctorum concorditer, quòd non potest Abbas Monacho præcipere aliud, quàm in regula sua professus fuerit.

Respondimus pro tempore ad ea quæ meminimus, nec recusamus de hac nostra Cõfessione rationem reddere omni poscenti. Quòd si contigisset nobis videre confutationem nomine Cæsareæ Maiestatis, Domini nostri clementissimi prælectam, potuissemus ad pleraque magis appositè respondere.

FINIS APOLOGIAE.

Cùm

CVm hanc Apologiam confeſsionis Pontanus obtuliſſet, pergit deinceps ad cætera decreti Cæſarei capita reſpondere: Ac de ſecundo articulo Decreti, ad pacem publicam pertinẽte, indicat, Electorẽ Saxoniæ & coniunctos Principes ac ſtatus, articulũ illũ reuerenter & cum gratiarum actione recipere, libenter etiam & promtiſsima voluntate illi obtemperaturos eſſe.

Quòd vlterius petatur, ne quid noui vſpiam inſtitui, nec quid typis mandari aut vendi diſtrahiue patiantur, ea quoque in re Electorem Saxonicum cum ſocijs, in proximis comitijs Spirenſibus ſe æquiſsimum præbuiſſe, & etiamnum curaturũ, ne quid in hoc negotio deſiderari in ipſis poſsit.

Adhæc, partes haſce nulli ſectæ addictas eſſe, ſed ea credere atque ſtatuere, quæ ſolidis verbi diuini fundamentis ita nitantur, vt ipſiſsima Chriſtiana & Catholica fides, & non ſecta, dici debeant. Et quanquam id reuera ſic ſe habeat: tamen ſe hactenus neminem ad ſuam Religionem coegiſſe, nec porro illud facturos eſſe: nam quid in hac re officij & pietatis Chriſtianæ ſit, per Dei gratiam ſe non ignorare.

Quantum verò ad ſectas Anabaptiſtarum & Sacramentariorum pertineat: eas ſe hactenus in ſuis prouincijs ac ditionibus haudquaquam toleraſſe, ſed ſana doctrina publiciſque concionibus eas ſemper oppugnaſſe: ita etiam ſeueriter in Anabaptiſtas animaduertiſſe, atque illud etiam effeciſſe, vt huiuſmodi hæreſes apud ipſos radices agere non potuerint. Id quod porrò etiam ſummo conatu prouidere atque auertere decreuiſſent.

Cùm autem hæc negotia ardua maximiq; momenti eſſent, & animæ vel ſalutem vel perniciem cõcernerent, ac propterea diligenti accurataque deliberatione indigerent: Ele-

ctorem Saxoniæ, cum reliquis Principibus ac ſocijs, Cæſ. M. orare, vt promulgati decreti copiam ipſis clementer communicare, & ſpatium etiam deliberandi vſque ad 15. Aprilis benignè concedere dignetur. Interea temporis ſe negotium ponderaturos & deliberaturos, & Cæſ. Maieſt. quidnam ſecũ ſtatuerint, humiliter ſignificatũros eſſe.

Hæc cùm Cæſar. Maieſt. & cæteris ordinibus propoſita fuiſſent, Cæſ. Maieſt. cum ordinibus ad ſequentem vſq; diem Veneris 23. Septemb. deliberanda ſumſit.

Die Veneris, 23. Septemb. circa 5. matutinam, Conſiliarij Electoris Saxoniæ, Ducum Luneburgenſium, & Landgrauij Haſsiæ, vnà cum ciuitatibus, in hoſpitium Marchionis Georgij accerſiti, ijſq; per D. Hellerum indicatum fuit, heſterno veſperi D. Georgium Truchſeſium, vnà cum Cancellario Badenſi, ad Dominum ſuum, allata etiam Decreti copia, acceſſiſſe, eaſque rationes ac vias ſuſcipi oraſſe, vt à noſtra parte Decretum reciperetur: præſertim cùm ita eſſet conditum, vt, quantum quidẽ ipſi intelligerent, nihil prorſus haberet, quod noſtris graue futurum videretur.

Sumto igitur in manus decreto, primò moleſtum ac graue viſum fuit, quod Cæſ. Maieſt. affirmaret, ſe Confeſsionem à nobis exhibitam, firmis & ſufficientibus ſacræ ſcripturę fundamentis refutaſſe. Cui quidem Articulo niſi noſtri contradicerent, nihil omninò aliud conſequi, quàm nos in omnibus ijs, quæ hactenus docuimus atq; credidimus, hallucinatos eſſe: tantum abeſſe, vt, quod gloriati eſſemus, in verbo Dei fundata fuerint.

Secun-

Secundò: Ad prela quod attineret, Electorem vnà cũ Principibus & ſocijs noſtrarum partium haudquaquam eo animo eſſe, vt permiſſuri ſint, in ſuis ditionibus & præfecturis quicquam excudi vel diſtrahi, quod nouis ſectis, opinionibus aut ſeditioni occaſionẽ præberet. Quod verò generatim prohiberetur, ne quid eorum etiam, quæ ædificationi proximi ſeruirent, ac ijs quæ hactenus apud nos docta ſunt, conſentanea eſſent, prelo committerent, id ſibi non parùm graue videri.

Tertiò: Quantum ad vetera cœnobia ac Monachos attinet: inprimis ciuitatibus intolerabile viſum fuit, Miſſas Pontificias, Confeſsionem & ſimiles abuſus iterum inſtaurari, vtpote ex quibus maxima incommoda & pericula ſingulis Magiſtratibus metuenda eſſent.

Quartò: Religionẽ noſtram eſſe ſectam, nullo modo cõcedi poſſe, cùm nunquam in animum induxerimus vlli ſectæ aut hæreſi ſubſcribere: ſed quæ ſentiamus, ita in Dei verbo fundata eſſe, vt omnino ijs contradici nequeat.

Quintò: Ad Anabaptiſtas & Sacramentarios quod attineret, manifeſtum & notorium eſſe, eiuſmodi doctrinis hucuſq; nullum apud nos locum relictum fuiſſe, nec in poſterum etiam relictum iri. Iudicamus etiam, non neceſſe eſſe, de auxilijs contra Sacramentarios aliquid agi aut decerni, cùm adhuc ſpes ſit ipſos meliùs inſtitui, & ad communẽ Eccleſiæ conſenſum reduci poſſe.

Hæc omnia D. Georgio Truchſeſio & Cancellario Badenſi per Pontanũ copiosè diligenterq; expoſita ſunt. Nihilominus Cancellarius Badẽſis, Decretũ ita interpretari conatus fuit: vt quidẽ concederet, non poſſe à nobis recipi, ſi eiuſmodi

verborum sensus esset, quem nos intelligeremus: Simul tamen adiecit, Cæs. M. non facilè mutationem aliquam in hoc Decreto admissuram, nisi quod ad vocabulum sectę pertineret, quod non ita siniſtro animo vsurpatum esset. Illius itaque mutationem haud difficulter fortasse obtineri posse.

Cùm autem ex vtraq; parte plura disputata postulataq; essent: tandem prædicti illi Dom. Truchsesius & Cancellarius receperunt, se grauamina nostra ad Cæsa. Maiest. referre velle: quanquam vererentur eam iam (imminente constituta hora octaua) post deliberandi spatium pridie sumtum, responso instructam esse. Atque ita paulò ante nos Cæsaream Maiestatem accesserunt: Quid verò obtinuerint, ex sequenti actione cognosci potest.

Posteaquam verò Marchio Georgius vnà cum adiunctis consiliarijs ex suo hospitio post octauam eiusdem diei Veneris egressus: & Elector Saxoniæ ac Duces Luneburgenses, in palatium Cæsaris venissent: Cæs. Maiestas, quòd tum fortè sacris interesset, ipsos per integram horam præstolari sinit: Deinde cum Electoribus & Principibus, quotquot hic fuere, ingressa est illud conclaue, in quo Elector Saxonicus vnà cum socijs morabatur. Vbi Marchio Ioachimus Elector in hanc sententiam locutus est:

Cæsaream Maiestatem heri Electoris Saxoniæ & cæterorum Principum orationem ac postulata intellexisse, ac mirari satis non posse, quòd affirmare non dubitarent, doctrinam suam & exhibitam confessionem sacræ Scripturæ, Euangelijq; fundamentis niti, adeoque diuinis institutis per omnia consentaneam esse: cùm tamen illa manifestis Scripturæ testimonijs à Cæs. Maiestate refutata sit. Præterea doctrinam illam, & omnia, quæ Electoris ac cæterorum Concionatores docerent, ante multos annos, in aliquot pijs

pijs Synodis, hæretica & impia iudicata esse. Ideò denuò C. M. non immeritò mirum videri, quòd eam cum reliquis Electoribus, Principibus, atque ordinibus, erroris, ac fidei minùs orthodoxæ insimularent. Quod si ita esset, sequi etiam, Cæs. Maiest. laudatissimos maiores, Imperatores ac Reges, & cæteros laudatissimos Electores ac Principes, adeoque ipsius etiam Electoris Saxonici ac reliquorum Principum parentes & proauos, apud quos hæc sancta, Orthodoxa, vera, inque Dei verbo fundata, nec non temporis diuturnitate confirmata Religio plantata fuerit, pro hæreticis habendos esse. Eam ob causam Cæs. Maiest. nullo modo concedere, Electoris Saxonici & sociorum illius exhibitam confessionem, tam firmis Euangelicæ doctrinæ fundamentis niti, sicut ipsi assererent.

Quia verò Cæs. M. publicæ totius Imperij tranquillitatis & pacis studiosa, Decretum hoc Electori eiusq; socijs singulari clementia, ac propemodum vltra officium ea ratione proponi curauerit: cupere etiam, vt Elector cum reliquis sibi in hac causa adiunctis, illud Decretum, in quo nihil à Cæs. Maiest. & cæteris ordinibus mutari posset, reciperent: Sicut reliqui Electores, Principes, ac Ordines Cæs. Maiestati humiliter obsequuti, illud recepissent, vnanimique consensu comprobassent. Quòd si difficiles sese præstarent, cum animo suo perpenderent, quantum incommodi ac discordiarum inde manaturum esset: de quibus omnibus Electori, eiusq; socijs, coram tribunali Dei foret reddenda ratio.

Adhæc, nullo Scripturæ vel Euangelij testimonio probari posse, quòd alijs sua violenter eripere liceat, & postea dicere, ea salua conscientia restitui non posse.

Quod porrò Responsum, ad Cæs. Mai. confutationem consignatum, exhibitumque concerneret: protestatam esse Cæs. Mai. se (quòd id alienum ab officio suo esset) in negotijs fidei nihil quicquam disputare velle: Ideoque illud à se recipi nullo pacto posse. Nisi enim in Decretum consentirent, necessitatem imponi C. Ma. vt ex officio illud tueretur.

Præterea Electores, Principes atque ordines mandasse, vt illud etiã significaret: Non latere ipsos, quanto studio, cura, diligentiaq;, cæteri Principes elaborauerint, vt dissidium in Religione exortum placidè componeretur ac tolleretur. Denuò igitur ipsos eosdem Principes atque ordines orare, secum vt expendant, quanti priuatim sua & Reip. adeoque totius Imperij interfit, vt Cæs. M.

pareatur, & Decretum approbetur. Si enim ea in re sese minùs obsequentes præbuerint, fore, vt reliqui ordines communi consensu sese Cæs. Maiestati adiungerent: vtpote qui iampridem summa fide ac subiectione receperint, se corpora, fortunas, ac sanguinem suum pro Cæs. Maiest. in hac causa impensuros, vt tandem controuersiæ huic finem imponant. Vicissim Cæsaream Maiestatem promisisse, se omnem potentiam ac vires suas huc collaturam, neque priùs ex Imperio discessuram esse, quàm illud negotium transactũ fuerit. Et hæc se reliquorum Principum atque ordinum mandatu ipsis significare voluisse.

AD hanc asperam orationem, Elector Saxonicus cum socijs, breue deliberandi spatium petiuit, quod ipsi concessum fuit: cumque sententias contulissent, & de responso conuenissent, simul ad Cæsaream Maiestatem reuersi sunt, vbi Doctor Pontanus nomine omnium in hanc sententiam locutus est:

INuictissime Cæsar, Domine Clementissime. Elector Saxoniæ, & reliqui ipsius Celsitud. addicti Principes, domini mei Clementissimi, C. V. M. responsum per Clementissimum dominum meum Electorem Brandeburgicum, grauiter sanè, ac terribiliter atque ita expositum, vt repetere illud ipse non commodè possim, reuerenter atque humiliter audiuerunt.

Respondent autem Clementissimus Dominus meus, Saxoniæ Elector & cum ipso in hac causa coniuncti, se confessionem suam, Cæs. M. V. exhibitam, adeò firmiter, sacrosanctæ Scripturæ, Euangelijque fundamentis innixam & stabilem existimare, vt ne quidem portæ inferorum contra eam præualere possint. Sicut ad refutandam aduersariorum nostrorum & statuum cõfutationem, quantum ex auditu illius retineri potuit, scriptum quoddam delineatum est, quod vt Cæs. M. suscipere dignetur, & recitari curet, denuò subiectissimè rogant.

Quantum verò ad Decretum spectat, Elector & reliqui causæ consortes hodie manè D. Georgio Truchsesio & Cancellario Badẽsi, rationes explicuerũt, quare illud, vtpote conscientijs suis graue, appro-

approbare nequeant, neque dubitant, quin illæ ad C.M. & reliquos ordines relatæ sint.

Cùm igitur propter illas ipsas causas, factum Decretum, ab Electore & socijs illius recipi probariq́ue bona conscientia nullo modo possit: Elector Saxoniæ cum suis subiectissimè orant Cæs. M. vt totius negotij, & inprimis Decreti exemplum, ac deliberandi quoque spacium, ad dictum vsque diem 15. April. clementer concedere dignetur. Id si fiet, totum negotium summo studio diligentiaq́ue perpendent, & quidquid saluo verbo Dei, conscientiaq́; fieri poterit, id se approbaturos ac recepturos, ac post constitutum tempus C.M. prout in Decreto etiam iubentur, sub proprio sigillo animi sui sententiam significaturos esse pollicentur.

Quod verò ad Electores, Principes atq; ordines attinet: non sanè sperarunt futurum, vt hoc modo vitam, fortunas, ac vires suas contra ipsos, cum Cæs. M. coniungerent: præsertim cùm, vt ipsi existimant, nullam illis causam dederint, neque etiam daturi sint.

Consentiunt quoq; Cæs. Maiestati in eo, ne suum cuiquam eripiatur: à quo crimine etiam Elector per Domini gratiam se immunem nouit. Si verò de Cœnobijs illud intelligatur, in eo quoq; ipsius Celsit. per Georgium Truchsesium & Cancellarium Badensem antehac, & etiamnum Cæs. Maiest. fidem dedit, se intra tempus Concilij ea ratione acturam, vt singuli videant, se priuata commoda neutiquam spectare. Id quod etiam Celsit. ipsius responsio, intercessoribus & delectis arbitris, ac inprimis ijs, qui supplicationibus præfecti sunt, ad Ecclesiasticorum & Abbatum querelas data, & per literas declarata, testatur. In qua, Celsitudinis ipsius pia & æquissima sententia, vnà cum causis huiusce administrationis ac curationis, satis superq́ue exposita & intellecta est.

Adhuc igitur reuerenter ac humiliter rogant, ne Cæsarea Maiestas aduersus Electorem & in hac causa coniunctos, precibus ac promissionibus illorũ posthabitis, vllo modo sese ad inclementiam commoueri patiatur. Pro quo beneficio suam etiam gratitudinem, summa reuerentia pollicentur.

HIs dictis Elector vnà cum socijs nonnihil secessit: Cæs. verò M. satis diu cum ordinibus collocuta, per Electorem Brandeburgicum tandem respondit:

CAesaream Maiestatem denuò nostram responsationem audijsse, neque concedere,& difficulter etiam persuaderi posse,quòd nostra religio & exhibita confessio ad istum modum in Euangelio fundata sit. Nam & Cæsareæ Maiestati esse conscientiam, quam ita sanctè tueretur, vt multò minùs, quàm Saxoniæ Elector & socij illius, à sua sententia & fide, in Ecclesia Catholica multis annis propagata, discessurus sit.

Quod autem ad Decretum attineret, C. M. in eo nihil mutaturam esse. Si igitur Elector Saxoniæ cum suis illud, prout esset factum, recipere vellet, licere: sin minùs, C. M. in responsione priùs data acquiescere: nisi quòd hoc etiam addat, se comitijs peractis, cum Electoribus, Principibus, atque ordinibus communicaturam, quid vlteriùs agi conueniat, vt tandem negotium piè transigatur. Adhæc se Sanctitatem Pontificiam & alios Reges ac Principes consulturam, quid sibi, tanquam Christiano Imperatori & Ecclesiæ Defensori, faciendum sit, vt prisca, vera & orthodoxa religio conseruetur, & contraria hæc noua hæresis funditus extirpetur, ac ita Germaniæ salutaris concordia restituatur.

Quantum verò Electorem, Principes ac cæteros ordines Protestantes concernat: non ita innocentes esse ipsos, sicut verbis ostendissent: Satis enim grauem causam datam esse Electoribus & Principibus, eò quòd tolerati essent Concionatores huius partis, qui seditionem rusticanam concitarint, in qua vltra centena hominum millia lanienæ expositi sint: & plerisque etiam Electoribus atque Principibus multa contumeliosè, non sine ignominia nominis ac dignitatis ipsorum, acciderint: Ideoque non esse ipsos adeò innocentes, vt nemini causam offensionis vllam præbuerint.

Cæsaream quoque Maiestatem seriò mandare & velle, vt Abbates & Monachi spoliati atque electi, in pristinum locum ac dignitatem restituantur: nam assiduis supplicationibus spoliatorum C. Maiestatem multipliciter compellari.

AD has Pericleas Marchionis orationes, Pontanum his ferè verbis tandem respondisse, Philippus alicubi refert:

VOluntas Ducis Saxoniæ, erga Clement. Imp. Carolum, in electione conspecta est, deinde omnium horum Principum in reprimendis Turcis & seditionibus: & constat nulla in re defuisse eos pa-

ci

cipublicæ. Affirmant etiam, semper se memores fore diuini mandati: Date Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Non priuata cupiditate vlla, non curiositate, non errore, non cęco impetu, doctrinam, de qua Confessio exhibita est, amplexi sunt. Sed cùm eam diu audiuissent, & fontibus diligenter cõsideratis, & collatis testimonijs sinceræ antiquitatis, intellexissent veram esse, non voluerunt agnitæ veritati aduersari, memores seueriſsimæ comminationis diuinæ, in qua dicitur: Blasphemiam non remitti. Quare & propter gloriam Dei, & propter propriã salutem, & propter alios, qui studium habent pietatis, quorum multi sunt electi, Deo iuuante, hanc doctrinam & profitebuntur ipsi, & in Ecclesijs suis doceri curabunt. Cumque manifesta sit impudentia Pontificiorum, qui nullos errores, & nulla vitia in suis opinionibus & moribus esse vociferantur, flagitant omnes pij veris gemitibus in tota Europa, vt in Synodo legitima instituatur emendatio: Idem petunt & hi Principes, & sperant Clementissimum Imperatorem, qui videt necessariam esse emendationem Ecclesiæ, sine cognitione non esse arma sumturum, vt errores, libidines, & alia vitia Pontificiorum stabiliat, & alienæ impietati & sæuitiæ gratificetur, & veritatem quæ gloriam filij Dei illustrat, & saluti animarum necessaria est, opprimat, præsertim cùm spem de Synodo ostenderit. Reuerenter igitur Principes & vniuersam Ecclesiam & sese Clementissimo Imperatori commendant, quem orant, vt etiam cogitet, in hac delira mundi senecta, generi humano maiores confusiones impendere, quæ cauerimeliùs possunt lenitate & ἐπιεικείᾳ, quàm si maiores dissipationes armis fiant, sicut in bellis Bohemicis accidit. Nec veritas opprimi poterit, etiamsi Princeps aut populi aliqui oppressi fuerint.

EMERGET TAMEN VERITAS, NEC DELERI A PORTIS INFERORVM POTERIT.

Nunc verò cùm nec exemplum Decreti, nec deliberandi spatium impetrari à Cæs. M. possit, nec subiectissimæ preces aut promissiones nostræ locum habeant: non potest Elector Saxoniæ, Cæs. M. in hoc negotio quidquam præscribere. Ideo finem his actionibus tandem imponunt, & Deo omnipotenti, in quo omnem spem salutis positam habent, & Cæsar. M. cui obedientiam subiectissimam suo corpore & bonis præstare parati sunt, se reuerenter commendant.

Quod verò ad ea attinet, quæ reliquorum Imperij ordinum

nomine Elector Brandenburgicus proposuit, non speraſſent Elector Saxoniæ & cæteri, fore, vt ad istum modum apud Cæſ. Maiest. traducerentur. Ac si detinere diutius C. M. vellent, omnia illa solidis ac manifestis argumentis perspicuè refutare possent: sicut Elector Saxoniæ coram Deo & hominibus horum criminum sese innocentem nouit.

Quid enim Saxoniæ Elector ad sedandam opprimendamque seditionem illam Rusticanam, propria persona ac viribus præstiterit, nemini ignotum est. Præterea quid causam huic tumultui dederit, in proximis Comitijs Spirensibus Anno 1526. habitis, omnium ordinum iudicio ac deliberationi subiectum est: quæ causæ etiam communi consensu scripto comprehensæ sunt, vt ad Cæſ. M. per Legationem tunc designatam mitterentur. Ex qua indicatione & consignata instructione, liquidò intelligi atque colligi potest, vnde tragicum illud malum extiterit.

Meritò igitur Electori Saxonico parci hac in re debuisset. Nam Celsitudo ipsius, omnibus & singulis accusare eam huius vel alterius negotij causa volentibus, in Iure respondere & legitimè satisfacere parata est, dummodo sibi etiam eodem iure aduersus accusatores vti permittatur.

Orat igitur Cæſ. M. ne se aduersus ipsum aut coniunctos, inclementer commoueri patiatur. Id Elector cum suis, qui non minùs, quàm cæteri, corpora ac fortunas suas pro C. M. salute exponere parati sunt, subiectissimè sibi persuadet.

His peroratis, Elector Saxoniæ, venia abeundi sumta, confestim cum toto suo comitatu, & duobus Principibus Luneburgicis, & Theologis, Augusta discesit, Legatos tamen & Consiliarios aliquot relinquens, qui finem Comitiorum expectarent.

Priusquam verò discessissent, Archiepiscopus Moguntinus, Treuirensis, & Palatinus ad Rhenum, Electori Saxoniæ & Landgrauij consiliarijs indicarunt: quæ Elector Brandenburgicus de corporibus, fortunis & sanguine suo ad defensionem religionis impendendo, locutus esset, iniussu ipsorum

rum feciſſe: id quod nec Cæſ. Maieſt. reticuerint, quin potiùs diſertè ſignificauerint, ſibi pro ſua perſona nullas vllarum ſimultatum cauſas cum ipſis intercedere. Quòd ſi ſiniſtram aliquam aduerſus ipſos ſuſpicionem concepiſſent, amicè ſe rogare, vt eam deponerent. Hanc excuſationem Saxoniæ Elector placidè accepit, ac ſimul, vt viciſsim à ſe omnem humanitatem & beneuolentiam ſibi promitterent, petiuit.

Biduo poſt diſceſſum Proteſtantium, 25. Sept. omnes Imperij ordines à Cæſ. Maieſt. conuocati fuerunt, vbi primùm per Georgium Truchſeſium, legatis vrbium indicatum atque mandatum fuit, ne quis ipſorum ante finem Comitiorum diſcederet.

Poſtea Cæſ. Maieſt. referri curauit ea, quæ cum Electore Saxonico & ſocijs illius acta fuerunt: Et quia Argentinenſes, Conſtantienſes, Memmingenſes & Lindauienſes peculiarem confeſsionem exhibuiſſent, Cæſ. Maieſt. cum ipſis etiam acturam eſſe.

Poſtea de alijs Imperij negotijs, ac præcipuè de bello Turcico, deliberationes ſuſceptæ ſunt.

Tandem 13. Octob. Cæſ. Maieſt. omnes Imperij ordines, Proteſtantibus exceptis, in Curiam conuocauit, vbi Decretum legatis vrbium prælectum fuit. Petentibus verò exemplum illius denegatum fuit, ſed recitatio ſecundò ac tertiò repetita. Cæteris verò ordinibus propemodum omnibus Decretum approbantibus, Vlmenſes, Francofurtenſes & Hallenſes ſpacium cum ſuis deliberandi petiuerunt.

Octiduo

Octiduo pòst, 21. Octob. consiliarij ab Electore Saxonico & cæteris Principibus Protestantibus Augustæ relicti, ad Archiepiscopum Moguntinum, tanquam præcipuum inter Principes Imperij, accedentes, nomine Dominorum suorum indicarunt, Se quoque vnà cum alijs pecunias & militem aduersus Turcam suppeditaturos esse, si induciæ & pax ipsis in causa Religionis vsque ad futurum Concilium concederetur ac promitteretur.

Quare postridie in curiam Augustanam post septimam matutinam vocati sunt: vbi Elector Brandenburgicus nomine omnium ordinum ipsis proposuit:

QVandoquidem Elector Saxoniæ cum alijs vrserit actionem de pace & auxilijs aduersus Turcam conferendis: & heri à Consiliarijs Saxonicis & Brandenburgicis ea de re scriptum aliquod exhibitum sit: consignatum esse ab Electoribus, Principibus & cæteris Ordinibus, Articulum quendam Pacificationis, qui ipsis cum indicatione sententiæ atque consilij Ordinum prælegi deberet.

ARTI-

ARTICVLVS DE PACE, SICVT DE VERBO AD VERBVM PRAELECTVS EST.

NOs (Cæsar) & Electores, Principes, Prælati atq; Ordines, à quibus decretum hoc receptum & approbatum est, communi consensu statuimus, ne quisquam ordinum tam Ecclesiasticorum quàm Politicorum, alterum hostiliter aggrediatur, affligat aut opprimat: Itē, nevlli Magistratui, sua vectigalia, reditus ac decimæ abalienentur aut occupentur, neque alter alterius subditos ob religionem aut alias causas peculiariter defendendos suscipiat: Idque sub pœna fractæ pacis publicæ, quam hac in re omnibus modis tueri & exsequi volumus.

Adhæc, cum Electoribus, Principibus atque ordinibus pacti sumus, & vicissim ipsi nobiscum conuenerunt, Quod ad priscam nostram Catholicam fidem & Religionem attinet, velle nos omnia nostra Regna, ditiones, subditos, & corpora etiam atque fortunas pro ea impendere. Si quis ex ordinibus alterum hostiliter aggredi & opprimere conetur, tum pars oppressa illud ad iudicium Cameræ nostræ referet: quod oppressori sub pœna publicæ proscriptionis mandabit, vt ab omni bellico apparatu desistat.

Cui mandato si reus sese minùs obsequentem præbuerit, Fiscalis noster ad declarationem pœnæ proscriptionis contra ipsum procedet: Et ad executionem proscriptionis, vicini Electores, Principes, & reliqui ordines excitentur, vt illi, qui oppugnatur, quamprimum auxilia mittant. Idem nos, tanquam caput Imperij, cum Regnis atque Prouincijs nostris faciemus. Debetque is, qui vim intulit, auxilianti omnes sumtus ac damna exsoluere. Eritque ipsi auxiliatori liberum, vtrùm lædentem vi, an verò iudicio Cameræ nostræ ad satisfactionem adigere velit.

Præterea, quod ad seditiosos subditos attinet, in sententia Decreti Spirensis perseueramus, videlicet, Si subditi Magistratus alicuius vel Ecclesiastici vel Politici, in posterum seditionis concitandæ gratia concurrant: tum vicini Electores, Principes, Comi-

tes

tes & reliqui ordines, ab illo Magistratu, apud quem seditio exorta est, compellati, quàm fieri potest citissimè, equitem & peditem ad ferenda auxilia expedient.

Quòd si auxilia reprimendæ seditioni excitatæ non sufficient: reliqui viciniores Electores, Principes, atque Ordines, vbi cõpellati erunt, eodem modo cum copijs, quantas maximas conficere poterunt, ipsis subuenient, vt rebelles & contumaces coërceantur, ac iusta pœna affecti, ad obsequium Magistratui debitum reducantur.

Et hac in re singuli erga alios se ita gerent, ac si eiusmodi seditiones atque tumultus, in suis ipsorum ducatibus, ditionibus ac præfecturis exorti essent: ac omninò ea præstabunt, quæ sibi ab alijs in tali casu præstari vellent.

Ne quid etiam controuersiæ vel scrupuli de ipsis auxilijs inter iuuantem & adiutum exoriatur, Electores, Principes, Comites atque Ordines, auxilia à se requisita, ad illum Magistratum, in cuius Ducatu, Ditione, præfecturáue seditio mota est, traducent, & ipsi exercitum per mensem suis sumtibus alent: Sic tamen, vt in illo mense initium ac finis expeditionis diligenter supputetur.

Quòd si verò præsidium ipsum vltra mensem detineatur, tum is, cui id collatum fuit, cum auxiliante de reliquis sumtibus supra mensem factis, conueniet: Dabitque auxiliator operam, vt in hac transactione erga eum, cui subuentum est, non minùs humanum atque beneuolum sese exhibeat, quàm ipse sibi in causa simili ab alijs fieri optaret.

Finis

FInita recitatione Elector Brandenburgicus vlteriùs in hanc sententiam locutus est:

QVoniam igitur studium & occasiones pacis, subinde à nobis requisitæ per omnia experti essemus: Sperare etiam Electores, Principes, atque adeò Ordines in vniuersum, nos porrò etiam in contributione Turcica, tanquam opere pio & toti Imperio vtili necessarioque tergiuersari, aut dissidere ab illis nulla ratione posse. Decreuisse enim se & conueniisse cum Cæsarea Maiestate illud institutum rectà persequi, & idem sibi quoque de ipsis persuadere. Adhæc in Imperio semper cum laude obseruatum esse, vt, quod maior pars concluserit, id minor quoque recipere & persequi teneretur.

Cùm autem Legati, suos Principes, Pace illa ad eos solos, qui Pontificiam Religionem amplecterentur, pertinente, non comprehendi animaduerterent: post aliquot dierũ actiones tandem supplicibus literis C. M. exhibitis obsequenter orarunt atq; institerunt, vt generali pace in toto Imperio facta caueretur, ne cui in posterum ob Religionem quicquam pertimescendum veniret. Ad quas, cùm Principum suorum & sociorum nomine, multipliciter vrsissent, vt aliquando responderetur: tandem die Veneris, 11. Nouemb. D. Martino sacra, circiter secundam pomeridianã ad aulam accersitis per Fridericũ Bauariæ Ducẽ Palatinũ, præsentibus Balthasare Episcopo Cõstantiensi, D. Ioanne Bohemo, & Alexandro Schueis, C. M. Oratore ac Secretario, indicatum fuit:

Quandoquidem articulos quosdam pacẽ concernentes, ante aliquot dies exhibuissent: C. M. Dn. nostrum Clem. re secum & cum Consiliarijs etiam deliberata, responsum aliquod consignasse, cuius recitationem iam audituri essent.

Fuitq; scriptum illud per Alexandrũ Schueis statim ipsis præl[illegible], cuius hæc est sententia:

Ad

AD primum articulum, quòd existimarent C. quoque M. sub publica Imperij pace, olim à D. Maximiliano, & nuper etiam in cõuentu Vuormatiensi à seipsa sancita, vnà contineri: respondere C. M. publicam illam pacem Vuormatiæ factam, omnino adhuc saluam ac integram esse, & se quoque ipsam sub illa comprehendi: Ideoque minimè opus esse, vt de noua aliqua pace instituenda sanciendaq; cogitetur.

Prætereà C. M. tanquam Imperij Rom. Monarcham, omnibus in vniuersum ordinibus mandasse, vt hanc, de qua dictum est, pacem tueantur, neque quicquam contra eam admittant. Superuacaneum itaque esse, vt Cæs. Maiestas ipsamet pacem mandet, & hunc articulum decreto inserat.

Ad alterum articulum, quòd nolint in causis religionis decreto immiscери, nec etiam per præfectum Fisci puniri, si minùs obsequentes sese in hisce rebus præbeant: respondere Cæs. Maiest, ipsos huic religioni non esse annumeratos, multò minùs in ea comprehensos: Idque hanc ob causam, quòd peculiari quodam articulo, conceptis verbis ea de re facto, expressè dicatur, ipsos propter Religionem decreto stare noluisse. Ideoque Cæs. Maiest. ipsis exceptis (vt qui immiscери nolint) cum reliquis Electoribus atque Principibus pactum inijsse, qua ratione ijs, qui aliquid aduersus huius Religionis assertores hostiliter molirẽtur, legitima defensione occurri posset. Et hoc totum defensiuè, non autem offensiuè, ab ipsis intelligi. Ad iustificationem verò siue pœnam quod attineat, ne videlicet præfectus Fisci contra ipsos procedat, ea in re Cæsaream Maiestatem ab ipsis astringi minimè velle, vtpote quam summi Magistratus ratione ius dare & exequi etiam omnibus modis condeceret.

POst huius scripti recitationem D. Ioannes à Plaunitz, eques auratus, suo suorumque in legatione sociorum nomine, exemplum illius sibi impertiri, obsequenter orauit, vt ita, quid facto opus esset, cum suis communicare posset. Quod iussu Friderici Ducis Bauariæ Palatini per Alexandrum Schueis statim ipsi traditum fuit.

Addidit itaque Iohannes à Plaunitz, se scriptum illud

ad Dominos suos eorumq; transmissurum, qui dubio procul id, quod officium ipsorum exigeret, facturi essent.

Verùm hic Dux Fridericus interlocutus fuit: Se ipsis citra mandatum, causæ solummodò promouendæ gratia, Scriptum illud impertiuisse, nequaquam autem hoc fine, vt illud ad dominos suos transmitterent, id quod tantùm ad protrahendam causam facere videretur. Nullo igitur modo concedi à se posse, vt Scriptum illud primò ad Superiores suos transmittant, præsertim cùm Cæs. quoque M. Dominorum ipsorum responsum difficulter hoc in loco expectare possit. Si verò ipsi, Legati scilicet, in hoc ipso momento pro sua persona aliquid Dominorum suorum nomine respondere velint, licere, vt Scripti exemplum retineant: Sin minùs, cupere vt illud sibi quamprimùm restituatur.

Ad quæ Saxonici & reliqui Consiliarij, deliberandi spatio sumto, per Dominum Iohannem à Plaunitz, coràm Cæs. M. Consiliarijs, in hanc fermè sententiam responderũt: Se ea, quæ ab illustriss. Duce Friderico proposita essent (quæ Dom. à Plaunitz diligenter & accuratè repetijt) reuerenter & obsequenter audiuisse: Atque inuicem pari modestia referre, Clementissimos Dominos suos toto pectore atque co natu semper eò incubuisse & adhuc incumbere, vt publicæ pacis constitutionem conseruationemque promouerent. Et quia Decretum in Religionis negotio factum & pœna in eo constituta, nec ab illis, nec ab ipsorum socijs recipi posset Orasse se, ne qua ratione illi immiscerentur, neq; etiam Fisci processibus & alijs actionibus Iudicialibus vllo modo turbarentur, quas tamen in alijs casibus extra Religionem neutiquam subterfugerent.

Cùm itaque Scriptum ab ipsis recitatum, Domino-

rum ſuorum & reliquorum ipſis adiunctorum grauamina ac difficultates planè non tolleret, adhuc ſe, tãquam Legatos, cum ſumma animi demiſsione copiam illius efflagitare, vt ad Dominos ſuos eam referre poſsint. Quod ſi ipſis non ſit integrum, tum ſe ea tantùm, quæ ex Scripti recitatione meminiſſe potuerint, Dominis ſuis ſignificaturos eſſe, qui poſtea id quod rationes ipſorum exigerent, dubio procul facturi eſſent.

Legatis igitur paululùm ſemotis, & mox reuocatis, Dux Fridericus indicauit: Se, Cæſareos videlicet Conſiliarios intellexiſſe, quænam ab ipſis, Principum ſcil. & vrbium Legatis ac Conſiliarijs propoſita eſſent, quorum repetitioni, tanquam ſuperuacaneæ, ſuperſederent.

Quia verò Cæſ. M. ipſis eiuſmodi reſponſum dari iuſſerit, cuius ſimile etiam antea Imperij Ordinibus indicatum eſſet: adhuc C. M. in eadem ſententia perſeuerare, nec quicquam in illo ſcripto mutare poſſe.

Exemplum verò ſe, Cæſareos Conſiliarios, ipſis Legatis ad manum relicturos eſſe: nec dubitare, quin Domini ac Superiores ipſorũ, re intellecta id quod officij ratione ipſos deceret, omninò facturi eſſent.

Atq; hic etiam cauſa ſubſtitit, & ſtatim Conſiliarij Saxonici cum reliquis ſuis ſocijs diſceſſerunt. Cùm diſceſſus meminiſſent, an videlicet ipſis abire permiſſum eſſet, Dux Fridericus reſpondit: Etiam hac vice.

Poſtridiè, 12. Nou. Saxonici Conſiliarij & Legati eorũque ſocij, finalem ſuam de Religione, auxilijs aduerſus Turcam, & Cameræ iudicio declarationem ſcripto conſignatã, Electoribus, Principibus, & cæteris Imperij ordinibus exhibuerunt: Cuius hæc fuit ſententia.

Reueren-

REuerendissimi & Illustriss. Electores & Principes, Reuerendi, Generosi, Nobiles, doctissimi & prudentissimi Domini, clementissimi Domini & amici. Meminerunt Celss. & Hum. vestræ, sæpenos proximis diebus clementissimorum Dominorum nostrorum & sociorum nomine publicam ac firmam in Sac. Rom. Imperio pacem institui petiuisse, vt ad generalis, liberi & Christiani Concilij celebrationem vsque in causa Religionis & cæteris ad eam pertinentibus, cum suis quieti & tuti essent: Sicuti coram Deo & Cæs. M. rationem se reddituros esse confiderent.

Etsi igitur tandem elapsa Dominica post Simonis & Iudæ ea dere Scriptum aliquod, cum hoc initio (Insuper mandamus) recitari audiuerimus: tamen indè non satis animaduertere potuimus, quòd hac ratione publica solidaque pax in S. Rom. Imperio constituta sit, cuius beneficio Domini nostri religionem & fidem suam tutò colere ac profiteri possint. Declaratione itaq; illius apud Celss. V. quæsita nullum certum responsum obtinuim⁹, nisi quòd Celss. V. nos ad Cæs. M. remiserint. Apud quam cùm idē obsequenter peteremus, tandem responsum obtinuimus.

Omninò igitur exigunt rationes nostræ, vt ea de re Dominos ac Superiores nostros, quoad primùm fieri poterit, certiores reddamus.

Deinde quia intelligimus etiam Religionis mentionem in Decreto fieri, & Cæs. M. sub interminatione pœnæ in eo præscriptæ, obseruationem illius per totum Imperium Rom. mandaturam esse: Dominorum nostrorum & cæterorum Protestantium nomine (vt qui Decretum illud salua pietate ac conscientia approbare & recipere nequeant) Celss. V. inprimis verò Dom. Cardinalem & Archiepiscopum Moguntinum, S. Rom. Imperij Archicancellarium, reuerenter & obsequenter oramus, vt in Decreto Nomina ipsorum omittantur.

Præterea C. V. clementer meminisse speramus, nos auxilia aduersus Turcam non aliter, quàm cum illa exceptione, promisisse, si generalis aliqua & constans pacificatio in Imperio constituatur, vt ita Domini nostri cum reliquis sibi adiunctis, fidem & religionem suam vsque ad generalis Concilij tempus tutò colere ac profiteri possint.

Cùm verò iam animaduertamus, demissæ nostræ petitioni nullum prorsus dari locum, protestamur etiam nos in auxilia cō-

tra Turcam, Dominorum nostrorum nomine, non solùm non consensisse, sed nec consentire deinceps vlla ratione posse: quin, vt paulò antè dictum fuit, negotium ad Dominos & Superiores nostros referamus, qui id quod officij sui esse intellexerint, dubio procul facturi sunt.

Tertiò, Quantum ad actiones Iudicij Cameræ attinet, sanciri inter alia intelligimus, neminem in numerum Assessorum Iudicij cooptari debere, nisi qui decretum de Religione factum, se obseruaturum recipiat.

Quia verò Saxoniæ Elector, Dominus noster clementissimus, Electoratus iure aliquem in Iudicio Cameræ Assessorem ordinare potest: & Principes nostri ad eas Imperij Regiones, ex quibus personæ iudicij deliguntur, pertinent: graue futurum est ipsi ac socijs illius, huic articulo adstipularii, præsertim cùm in Religione à V. Celsit. & reliquis ordinibus dissideat.

Cumque etiam nobis Legatis illius aut cæterorum Protestantium nomine consentire nulla ratione liceat, obsequenter atque amicè rogamus, vt de illo articulo mutando cogitetur.

Si quis enim vel per nostrum Dominum Saxoniæ Electorem, vel per ordines, in quibus cæteri Domini nostri comprehẽduntur, Cameræ iudicio adiunctus, tantùm propter Religionẽ in Decreto reijciatur, cùm aliàs doctrinæ, vitæ, ac morum ratione idoneus esset, manifestè ac disertè protestamur, nos etiam in Cameræ sumtus nullo modo consentire velle.

Quæ omnia, Dominorum ac sociorum nostrorum rationibus ita postulantibus, ad V. Celsit. referenda fuerunt. Actum die Saturni post Martini, qui est 12. Nouemb. Anno 1530. hora decima matutina.

Hoc supplici libello exhibito atq; perlecto, Cõsiliarij Landgrauij ad 13. Nou. quæ fuit Dominica diẽ Martini proximè sequens, discesserunt, & postridiè, 14. Nou. etiam Electoris Saxoniæ Consiliarij, Augusta abierunt.

Die Sabbati proximè insequenti, 19. Nou. Decretũ Comitiorũ, in præsentia C. M. ac ordinũ Imperij publicè lectũ & promulgatũ est: Quod in 1. To. Recessuum Imp. Moguntiæ typis expresso, cognoscere legendo, qui volent, poterunt.

Cæsa-

CAESAREAE MAIESTATIS EDICTVM, SEV DECRETVM COMITIORVM AVGVSTAE ANNO M. D. XXX. DIE XIX. NOVEMBRIS, DE RELIGIONE PROMVLGATVM.

NOS CAROLVS V. Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Rex Germaniæ, &c. confitemur & notum facimus vniuersis. Quanquam in primis Imperij nostri Comitijs VVormatiæ, ante discessum ex S. Romano Imperio nostrum, cui imminentes tum motus & bella, ad defensionem Regnorum & regionum nostrarum, sicut neminem fugit, causam necessariã præbuerunt: maturo consilio, voluntate & consensu nostrorum ac S. Imperij Electorum, Principum & Statuum, ad Christianæ Fidei nostræ, PACIS & Iustitiæ in Sacro Imperio conseruationem, ad Germanicæ nationis honorem, vtilitatem, salutem & incolumitatem bonas & salutares constitutiones condidimus: Tamen non sine magno animi dolore percepimus, contra Cæsareum nostrum VVormatiæ publicatũ Edictum, dissensionem fidei nostræ Christianæ in nostra absentia, in multas horribiles sectas se expandisse, & radices altas egisse, vnde communi Germaniæ non parum incommodi & periculi ortum sit. Cùm autem hactenus his difficultatibus & periculis per aliquot celebrata comitia & alias graues & diligentes tractationes nostri in Imperio locum tenentis, Oratoris, ac Commissariorum, nec non Electorum, Principum & Statuum Imperij, nullum vtilius remedium inueniri potuerit, quàm vt nos in propria persona in Germaniam rediremus: Nos constitutis ac promulgatis legibus, quibus Hispaniæ Regna, nobis absentibus, in maiore pace, tranquillitate ac cõcordia viuerent, singulari amore & clementia, qua Germanicam nationẽ & S. Rom. Imperiũ complectimur, ex hæreditario nostro Hispaniæ Regno discessimus, ac illo relicto primùm in Italiam profecti, illas quoq;

Italicas regiones nostras, Deo sit laus, ad mediocrem concordiam & pacem redegimus. Et quò maturiùs in Germaniam peruenire, & grauibus hisce malis tempestiuè mederi possemus; Regnum Neapolitanum, etsi hoc nostra, & subditorum nostrorum conditio, salus & necessitas magnopere postularet, non inuisimus, & coronam nostram Cæsaream, quam sine omni difficultate & periculo Romæ accipere, ac maturius inde in finitimū Neapolitanum Regnum progredi potuissemus, Bononiæ accepimus: & statim Comitia publica in nostra & S. Imperij vrbe Augusta, die VIII. Aprilis proxima celebranda, literis publicis indiximus, hoc consilio, voluntate & animo, vt varia & multiplicia Sacri Imperij & communis Ecclesiæ Christianæ ac totius Germanicæ nationis negocia grauissima tractaremus, præcipuè verò, qua ratione dissensiones in causa Christianæ Fidei & Religionis nostræ commodè componi, maiores discordiæ caueri: præteritæ offensiones & errata Christo Seruatori commendari: dissidentium partium opiniones & sententiæ benignè & amicè audiri, cognosci & expendi, & ad vnam Christianam veritatem reduci & componi; & omnibus, quæ ab vtraque parte non dextrè essent explicata & acta, abolitis, vna vera Religio ab omnibus recipi & retineri, & quemadmodum omnes sub vno Christo sumus & militamus, ita omnes in vna etiam Christiana Ecclesia, in veritate & concordia viuere queant: ac in summa quomodo vera concordia, pax ac salus S. Imperij, in his & alijs Imperij negocijs iuuari, prouehi & retineri possit: sicut hæc & alia, literæ Indictionis nostræ prolixiùs & vberiùs continent & demonstrant.

Ad quæ Comitia, Nos, Electores etiam, Principes, & alij Status S. Imperij, in magno numero in propria persona, & aliqui per Legatos plenis mandatis instructos obedienter apud nos comparentes, accessimus: Et communicato cum nostris Electoribus, Principibus, Prælatis, Comitibus & Statibus & absentium Legatis consilio, articulum dissensionis sanctæ Fidei nostræ Christianæ in suprà memoratis literis Indictionis expressum, tanquam præcipuum & grauissimum, primo loco tractandum suscepimus, & iuxta literas Indictionis, Nos vnumquemque in causa Fidei dissidentis, aliquid proponere volentem, clementer audituros esse promisimus.

Quare noster & S. Imperij Electores, Principes, ac Ciuitates,

IOANNES Dux Saxoniæ, Landgrauius Thüringiæ, Marchio Miſniæ, Sacri Romani Imperij Archimarſchalcus & Elector: GEORGIVS Marchio Brandeburgenſis, Stetinenſium, Pomeranorum, Caſſubiorum & Henetorum Dux, Burggrauius Noribergenſis, & Princeps Rugiæ: ERNESTVS & FRANCISCVS Fratres, Duces Brunſuicenſes & Luneburgenſes: PHILIPPVS Landgrauius Haſſiæ, & VVOLFGANGVS Princeps Anhaltinus: LEGATI quoq; Ciuitatum, NORIBERGAE, REVTLINGAE, CAMPODVNI, HEYLBRVNNAE, VVINSHEIMII, & VVEISSENBVRGAE in Norico, nobis ſententiam & Confeſſionem Fidei ſuam ſcripto compræhenſam obtulerunt. Quam clementer ab ipſis accepimus, & in præſentia omnium Electorum, Principum & ordinum Imperij in hac vrbe congregatorum publicè recitari curauimus.

Etſi autem habito cum multis præſtantibus Theologis & viris doctis diuerſarum nationum conſilio grauiſſimo, illam Confeſſionem ipſorum, Euangelio & Scripturis ſacris fundamentaliter refutari curauimus: tamen obtinere non potuimus, vt ſe Nobis ac Electoribus, Principibus & cæteris Statibus coniungerent, & in omnibus articulis nobiſcum conuenirent.

Quare, vt S. Imperij & Germanicæ nationis ſaluti, paci, & concordiæ conſuleremus, ex ſingulari Cæſarea bonitate & clementia, ſuprà dictis, Electori, Principibus & ſex ciuitatibus, ſequens Decretum propoſuimus & ab eis recipi clementer petiuimus, videlicet vt intra hunc & proximè ſecuturum diem XV. Aprilis, deliberandi tempus haberent, an de Articulis non conciliatis idem cum Catholica Eccleſia, Pontificia ſanctitate, & cæteris Electoribus, Principibus & Statibus S. Imperij & alijs Chriſtianis capitibus & membris orbis Chriſtiani, vſquè ad determinationem proximi Concilij, vnanimiter ſentire & profiteri velint necne: ac vt de ſua ſententia nos intra ſupradictum diem XV. ſub ſigillis ſuis certiores redderent. Interea & nos, quid nobis officij ratione agendum ſit, conſideraturos, & noſtram ſententiam ipſis viciſſim expoſituros eſſe: additis aliquot æquiſſimis articulis & conditionibus durante hac deliberatione ſeruandis, videlicet, Seriò velle & mãdare nos, vt Elector Saxoniæ & in hac religionis cauſa coniuncti, hoc intermedio tempore, nihil noui de Fidei

causa, in suis ducatibus & ditionibus imprimi aut vendi curent: item, vt omnes Electores, Principes & Status S. Imperij hoc intermedio tempore pacem & concordiam tueantur: & ne Elector Saxoniæ, quinque illi Principes, & sex ciuitates, nec eorum subditi, nostros ac S. Imperij vel aliorum Electorum, Principum & ordinum subditos, vt hactenus accidit, ad suam & sectæ suæ societatem inuitent aut cogant. Item, si qui Electoris Saxoniæ, quinque Principum & sex ciuitatum, cuiuscunque dignitatis aut conditionis subditi veteri Catholicæ Fidei & religioni adhuc adhæreant vel adhærere velint, vt illis omnibus, in suis ecclesijs & templis, cultus ac ceremonias suas seruare, liberum & tutum sit, nec quidquam vlterius innouare cogantur. Similiter Monachi & virgines sacræ, in Missis, confessionibus dicendis & audiendis, & Sacramento Cœnæ Domini porrigendo & sumendo, non impediantur. Præterea vt dictus Elector Saxoniæ, quinque Principes, & sex Ciuitates, contra Sacramentarios & Anabaptistas, nobiscum vnà cum cæteris Electoribus, Principibus & statibus coniuncti sint, nec se à nobis & cæteris Electoribus, & Principibus seiungant, sed consilio, opera & auxilio suo, ea, quæ contra illos agenda erunt, iuuent: sicut omnes nostri Electores, Principes & status, quantum cuiusque interest, in hoc casu se præstituros esse, nobis promiserunt.

Cumque in Ecclesia Christiana multis iam annis nullum generale Concilium sit celebratum, & tamen in orbe Christiano passim tam longo tempore varij & multiplices abusus fortasse irrepserint: Quòd communi omnium nostrorum & S. Imperij Electorum, Principum & statuum & legatorum consilio & rogatu, decreuerimus, apud sanctitatem pontificiam, & omnes Christianos Reges & potestates efficere, vt Christianæ Reformationis instituendæ ergo generale, Christianum Concilium, intra sex menses post finita hæc comitia, ad locum oportunum indicatur, & ad summum, intra annum post publicatas literas indictionis, celebretur, per quod communis orbis Christiani negocia spiritualia & temporalia feliciter transigi, & salutarem ac constantem vnitatem ac pacem restitui posse speramus.

Præterea cùm Leges diuinæ & humanæ & Euangelion ipsum, nemini suum vi eripi, nec quenquam ex possessione sua excuti

excuti præcipiant, sicut in ipsorum ditionibus multipliciter accidit, eaque de causa, Nos quotidie ab expulsis Abbatibus & Abbatissis & alijs suppliciter & miserabiliter rogemur vt eos restituamus: ideo à Nobis, vt Christiano Imperatore omnibus exæquo iustitiam administrare debente, non aliter agi posse, quàm vt iuxta iuris dispositionem, spoliatos ante omnia restituamus. Quare nos seuerissimè mandare, vt Elector Saxoniæ & ipsius socij, spoliatos illos Monachos & alios Ecclesiasticos, in ipsorum ditionibus, sine vlla longiore tractatione aut mora, in sua monasteria & bona, ex quibus eiecti sunt, redire finant & restituant, ne nos ipsi, vt Christianum Cæsarem decet, executionem legitimam facere cogamur.

Sed æquissimum hoc nostrum Decretum & Recessum, Elector Saxoniæ & ipsi adhærentes recipere non voluerunt, sed planè recusarunt; partim etiam hinc discesserunt.

Postea legati nostrarum & S. Imperij vrbium, Argentinæ, Constantiæ, Memmingæ & Lindauiæ, Confessionem suæ singularis Fidei, scriptam exhibuerunt, quam nos ipsi & per multos doctos, & præclaros sacrarum literarum Doctores ex multis nationibus, perlegi & expendi curauimus, & postquam ex propria ipsorum confessione nobis oblata percepimus, & ex alijs fide dignis intelleximus, sicut per se omnibus publicè notum est, prædictas quatuor ciuitates, se, non modo à cæteris liberis & Imperij ciuitatibus, sed etiam à tota Germanica natione & communi Ecclesia Christiana, in articulis Fidei quibusdam seiunxisse, & grauissimi erroris contra venerabile Sacramentum corporis & sanguinis Christi, & εἰκονομαχίας, aliorumque negociorum patrocinium suscepisse, & hactenus multas impias sectas toleraſſe, & libellis hinc inde sparsis passim in vulgo tota Germania disseminasse; quod nec ipsis nec alijs quibuscunque facere conueniebat: Nos in honorem DEI Omnipotentis, & salutem multarum animarum, & conseruationem Christianæ caritatis, & præcipuè pacis & tranquillitatis Germaniæ, per Doctores sacrarum literarum & graui consilio nostrorum & S. Imperij Electorum, Principum & statuum hîc congregatorum, Refutationem Confessionis illorum in Euangelio & sacris literis fundatam scribi curauimus: Quam in conſessu Electorum, Principum & statuum ipsis prælegi, cos-

gi, eosque clementer moneri & rogari curauimus, cùm ex prælecta confutatione nostra, errorem suum clarè perspicerent, vt à tetro illo errore desisterent, & se nobiscum, & cum Electoribus, Principibus & Statibus Imperij, & Catholica Ecclesia coniungerent, quod vnicè ab eis expectaremus.

Ad hanc clementissimam admonitionem & petitionem nostram, prædictæ quatuor ciuitates subiectissimè exemplum confutationis sibi tradi petiuerunt, indicantes, se à collegis suis mandatum habere, vt ea, quæ ipsis proponerentur, solummodò audirent, & exemplum descriptum ad illos transmitterent. Cui ipsorum petitioni supplici, grauibus de causis assentiri noluimus: sed tamen simul obtulimus, vt meliùs omnia percipere possent, confutationis illius prælectionem ipsis audientibus bis aut ter repetitum iri.

Denuo etiam clementissimè ab illis postulauimus, vt huic nostræ petitioni obedientiam subiectissimam præstarent. Nam si Christiana hæc admonitio & adhortatio nostra ab ipsis negligeretur (quod tamen futurum non speraremus) posse quatuor illas ciuitates cogitare, causam nobis necessariam præberi, in eo negotio ita nos gerendi, sicut Romanum Christianum Imperatorem, supremum Aduocatum & Defensorem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, officij & conscientiæ ratione decet, sicut antea in confutatione dictum esset. Sed his clementissimis admonitionibus & postulatis nostris neglectis Legati prædictarum quatuor ciuitatum in sententia sua perstiterunt.

Postquam autem Nostrum, tanquam Romani Imperatoris & supremi Christianæ Ecclesiæ aduocati officium, nobis mandatum & debitum, postulat, vt sanctam Christianam Fidem, sicut per sanctam Catholicam Ecclesiam hucusque fideliter & laudabiliter ad nos propagata est, retineamus, tueamur & defendamus, & Cæsareum Edictum nostrum, in primis nostris Comitijs VVormatiæ publicatum exequamur: Nos cum cæteris nostris & sancti Imperij obedientibus Electoribus, Principibus & statibus omnino decreuimus, & pro nobis & subditis nostris statuimus, & mutua promissione confirmauimus, Nos in antiqua, vera & tot seculorum consensu propagata Fide & Religione Christiana, & ho-

& honestis ac laudabilibus ceremonijs & ritibus in Catholica Ecclesia hucusque vsurpatis, constanter permanere & perseuerare, nec ante determinationem proximi generalis Concilij vllam mutationem admittere velle.

Et quia post promulgationem Edicti nostri VVormatiensis, & aliquot Recessus Comitiorum Imperij, Noribergæ & Spiræ celebratorum variæ & multiplices nouæ opiniones & aliæ mutationes contra Christianam fidem & Religionem nostram irrepserunt: ac in specie enumerando, Aliqui docuerunt, scripserunt & prædicarunt, in venerabili Sacramento altaris corpus & sanguinem Christi sub vtraque specie panis & vini non substantialiter & verè præsentem, sed typicè tantùm ac significatiuè adesse, vnà cum pluribus alijs appendicibus & circumstantijs impijs: Aliqui concionantur & docent, quemlibet Christianum, ex mandato Christi, teneri ad venerabile Sacramentum altaris sub vtraque specie accipiendum, & quòd sub vna specie illud porrigentes aut sumentes non rectè faciant: Aliqui sanctum Missæ officium prorsus abrogarunt, & concionati sunt Missam esse summam blasphemiam: Aliqui Missam non prorsus aboleuerunt, sed in hac peculiarem mutationem & nouitatem contra longam Ecclesiæ Christianæ consuetudinem, ordinationem & statuta, proprio arbitrio de nouo instituerunt: Similiter vsitatas cantilenas Missæ, horas Canonicas, & alios Hymnos de Maria Dei genitrice, de sanctis, qui à S. Patribus, ad celebrandam Dei gloriam, & excitandam hominum deuotionem & pietatem compositi, & in Catholica Ecclesia Christi, communiter & concorditer ordinati & seruati sunt, tanquam impios & profanos abiecerunt, & tamen eorum loco alias cantiones suo arbitrio substituerunt: Aliqui docuerunt, Baptismum infantum nullius momenti esse, sed vnumquemque hominem adultum rebaptizari oportere, neque Baptismum inter Sacramenta numerant: Aliqui laudabiles Christianas ceremonias ac preces, apud Baptismum vsitatas, aboleuerunt, & nouas constituerunt: Aliqui nullas omnino precationes & ceremonias adhibēt, & infantes suos nō per Pastorē, sed per quemlibet idiotam virum aut mulierem, etiam extra casum necessitatis, baptizari sinunt, & quidem in simplici aqua fontana: Aliqui infantes suos non confirmari, neque morituris hominibus

minibus sacramentum extremæ vnctionis præberi permittunt: Aliqui Imagines Seruatoris nostri Christi, & matris ipsius, laudatissimæ Virginis Mariæ, ac Sanctorum, quæ longo hactenus tempore, in Christiano populo, commonefactionis & memoriæ causa, piè retentæ sunt: fregerunt, combusserunt & immanem in has petulantiam exercuerunt:

Aliqui statuerunt, nullum esse Liberum Arbitrium, sed omnia, quæ acciderent, necessariò ita, & non aliter ineuitabili necessitate fieri, & per consequens, Deum esse causam efficientem mali: Aliqui docuerunt, nullum esse Magistratum inter Christianos, neque licere Christiano Magistratum gerere, vel auxilium illius implorare:

Aliqui docuerunt solam fidem sine dilectione & bonis operib. iustificare, & bona opera prorsus reiecerunt: Aliqui monasteria, templa & altaria prorsus aboleuerunt & vastarunt: Aliqui in Collegijs, Parochijs & alijs Sacerdotijs, laudatas ceremonias & ritus Christianos, qui hactenus longo tempore in Ecclesia ad commonefaciendos rudiores, & accendēdam in populo inuocationem, & considerationem vitæ, passionis, mortis & operum Christi Saluatoris nostri, in vsu fuere, aboleuerunt, aut extingui passi sunt, & alios impios ritus proprio arbitrio, voluntate & potestate instituerunt:

Aliqui Concionesin Monasterijs quatuor ordinum Mendicantium, quas ipsis Regula & professio ipsorum imponit, ab antiquo vsitatas, prorsus abrogarunt, qua abrogatione, multi pij Christiani cibo verbi Dei priuati, & contra suam conscientiā nouos concionatores, seductores, audire, vel concionibus planè non interesse, coacti sunt. Item Magistratus aliqui, sub pœna graui, subditis suis prohibuerūt, ne in suis oppidis vel alibi cōciones veræ, rectæ, antiquæ & Catholicæ fidei audirēt, nec templa illa frequentarent, nec antiquæ fidei adhærerēt. Quòd si secus feciſſe deprehensi fuerunt, sine vlla remissione multati sunt. Item: Aliqui Ministrorum suorum obligationibus inserunt, ne concionatores prædictos, sed suos tantùm seductores audiant, & sectæ illorum suffragentur:

Aliqui Cœnobiorū, Collegiorū & relictorū Sacerdotiorum bona, in priuatos vsus, aut aliâs iniustè, suo arbitrio cōuerterunt, nec alijs ea cōtulerūt vel cōferri pmiserūt: Aliq in cœnobijs virginum

num præpositos, confessores, concionatores, & alios pios præfectos talium Cœnobiorum, amouerunt, & in illorum locum hos seductores substituerunt: Aliqui Monasteria in vniuersum vel ex parte clauserunt, & Cantiones, Lectiones, Missas & Sacramenti distributionem, iuxta veterem pium vsum inter Monasteriorum personas prohibuerunt: Aliqui Cœnobia Monachorum & virginum sacrarum, Sacerdotia & alia beneficia, & alias defunctorum fundationes, quæ à multis antecessoribus nostris piæ & sanctæ memoriæ, Romanis Imperatoribus, Regibus, Principibus & alijs præcipuis Statibus erectæ fuerunt, contra eorum vltimam voluntatem & testamenta, in totum aut aliqua ex parte aboleuerunt, aut prorsus languefieri permiserunt, Monachis & Virginibus sacris, propria voluntate, sine venia legitimi Magistratus, ex Monasterijs ad coniugium vel alium ordinem secularem se conferre, concesserunt: Prælatis etiam monachorum & virginum, vt hanc Apostasian prohiberent, concedere noluerunt: Monachos etiam aliquot & virgines sacras coëgerunt, Monasterijs & eorum bonis in perpetuum renunciare, & in huius rei fidem literas dare, in quibus hoc etiam fateri coguntur, vitam eorum Monasticam, non Christianam sed Diabolicam fuisse: Aliqui Monachis & virginibus sacris concesserunt, vestes ordinis sui deponere, & in vestitu seculari vel alio, quod eis Regula & vota sua non permittunt, vti, & nihilominus in monasterijs habitare: Aliquibus Monachis prohibitum est alios volentes in ordinem recipere, & ab his qui antea in Monasterijs degebant, professionem aut obedientiam accipere: Aliqui liberos & agnatos suos contra ipsorum voluntatem vi ex Monasterijs abstraxerunt: Aliqui ad functiones Ecclesiasticas & alia Sacerdotia, pastores, pro libitu instituerunt & remouerunt, nec ordinarijs illos præsentarunt, vt legitimè examinari & inuestiri possent: Adhæc, Ordinarios in exercenda iurisdictione sua erga Pastores, & visitatione Pastorum & Ecclesiarum impedierunt, Pastoribus & Diaconis indulserunt, vt contra omnes Imperij Recessus verbum Dei & Sacram scripturam, arbitrio & iudicio proprio interpretarentur, sanctum Missæ officium in vniuersum, vnà cum orationibus pro mortuis abrogarent, pias ceremonias, cantiones, lectiones, ieiunia, preces, ferias, contemtim abijcerent, & plurimas propria curiositate nouitates introducerent & exercerent. Quæ non solùm nostro

VVormatiæ promulgato Edicto & postea secutis Imperij, sed & Christianis Legibus ac pietati aduersa fuerunt & adhuc repugnant, nec vlli cuiuscunque ordinis aut dignitatis talia facere officij ratione licuit, nec ius aut mandatum vllum habuerunt. Ex quibus omnibus nihil boni, sed hoc secutum est, vt cæteri etiam Ecclesiæ vsitati ritus contemnerentur, Magistratui & honestati omni in illorum concionibus contumeliosè malediceretur, boni & simplices idiotæ in & aduersus se mutuò concitarentur, & aliæ omnis generis leues & friuolæ actiones inde existerent: falsa & reiecta priùs ac damnata doctrina latiùs propagata sit, multi pernicioſi in populo radices egerint; omnis vera pietas extincta sit, & tandem eò ferè res redierit, vt omnis Christiana reuerentia, disciplina, leges, virtus, Timor Domini, integritas & vitæ ac morum honestas, nec non dilectio proximi vera prorsus extingueretur.

Cùm autem hæc omnia non solùm Euangelio & sacræ Scripturæ, verùm etiam veteri laudatæ consuetudini Christianæ Ecclesiæ & ceremonijs aduersentur, & illegitimis rationibus suscepta & perpetrata sint:

DECRETVM. Nos cum nostris & S. Rom. Imperij Electoribus, Principibus & Statibus, ac hi vicissim nobiscum vnanimiter conuenimus ex decreuimus, vt suprà indicatæ, & aliæ omnes, contra Catholicæ Ecclesiæ Christianæ Fidem, ordinationem, Religionem, ceremonias, & veteres laudabiles traditiones & ritus antiquos Catholicæ Ecclesiæ & Conciliorum ante aliquot secula celebratorum autoritatem, susceptæ innouationes aboleantur & cassentur: & omni studio & opera à nobis curetur, sicut iustissimum est, vt, qui mutationes istas susceperunt, Nobiscum & cum dictis Electoribus ac Statibus, vsque ad proximum futurum Concilium in toto Religionis Christianæ exercitio se conforment & coniungant.

Seuerissimè igitur mandamus & volumus, vt in toto Romano Imperio firmiter teneatur, doceatur & prædicetur, quòd sub speciebus panis & vini, ac sub vnaqualibet illarum, verum corpus, & verus sanguis Christi Seruatoris nostri substantialiter & verè præsens adsit, ac vt omnes contrà docentes, scribentes, concionantes aut sentientes, non tolerentur, recipiantur vel admittantur.

tantur. Hinc etiam consequitur Christianam Ecclesiam instinctu & adflatu Spiritus Sancti iustis de causis vtiliter ordinasse & præcepisse, vt vnicuique homini Christiano, præter sacerdotem in Missa consecrantem, venerabile Sacramentum sub sola specie panis tantùm porrigatur, cùm sub vna specie non plus aut minus, quàm sub vtraque, accipiatur: atque hoc ita, vt sancimus, seruari, neque mutationem aut nouitatem hac in re aliquam, ante futuri determinationem Concilij, introduci seueriſſimè mandamus.

Eodem modo, publicæ & priuatæ Missæ, cum vsitatis cantionibus, & recitatione Canonis maioris & minoris, & alijs precibus, vestibus, ceremonijs, ritibus & in summa prorsus eodem modo, vt hactenus laudabiliter in Ecclesia Catholica vsitatum fuit, & adhuc est, administrentur, & in his omnibus nulla mutatio aut nouitas suscipiatur.

Quod ad Anabaptistas attinet, in proximè promulgata constitutione & Decreto adquieſcimus, idq; consilio & consensu Electorum, Principum ac Statuũ hoc tempore renouamus, & mandamus, vt infantes cum chrismate pijs ac necessarijs precibus atq; ceremonijs à Catholica Eccesia multò antè institutis & seruatis, baptizentur. impium enim & abominandum est miseris paruulis viã salutis ac gratiæ Spiritus sancti occludere, eósq; hac spoliare.

Mandamus etiam & volumus, vt pueris & alijs Christianis, ritus Confirmationis, similiter morituris Extrema vnctio non negetur, aut intermittatur, sed eodem modo, qui hactenus in Ecclesia Catholica vsitatus fuit, constanter vsurpetur.

Imagines etiã Christi & matris ipsius Mariæ virginis, & Sanctorum, cùm mentes rudiorum exuscitent, singulos ad pietatem inuitent, & in Ecclesia Catholica hucusque toleratæ sint: & εἰκονομάχοι à Catholica Ecclesia in aliquot Concilijs veteribus & inprimis ab antecessore nostro Carolo Magno damnati sint: mandamus, vt memoratæ imagines non aboleantur, sed deuotè ab omnibus Christianis restaurentur & conseruentur: Similiter vt Altaria & Ciboria, vbi abrogata sunt, iterum erigãtur, & ad gloriam Dei conseruentur.

Præterea, cùm aliqui sentiant nullum esse Liberum Arbitrium, &c. & hic error, & quæ inde dependent, nõ humanus, sed magis belluinus & aduersus Deum blasphemus sit: nulla ratione hoc dogma tolerari aut doceri volumus.

Simili-

Similiter cùm Magistratus, ordinatio Dei sit: & sanctorum Euangeliorum, D. Pauli & alijs sacræ Scripturæ testimonijs approbatus & sancitus: nulla ratione priuatim aut publicè doceri aut prædicari debet, quod contra magistratum esse, vel ad contumeliam aut diminutionem existimationis illius quoquo modo vergere videatur. Insuper cùm ex sacris literis manifestum sit, quòd SOLA Fides, sine caritate & operibus bonis, non iustificet: & Deus bona opera, in multis sacræ Scripturæ locis, ab hominibus exigat: nequaquam hic Articulus, (quòd SOLA Fides iustificet, & bona opera reijcienda sint) doceri aut prædicari debet, sed ea moderatio & distinctio seruetur, quam hactenus Ecclesia Christiana & sancti Patres seruarunt.

Præcipuè verò sancta septem Sacramenta & ceremonias horum, omnino sicut in Christiana Ecclesia antiquitus receptũ, & ante dissidium istud semper vsitatum fuit, constanter retineri, & omnem nouitatem abrogari volumus. In primis etiam omnes cathedrales & collegiatæ Ecclesiæ, monasteria, parochiæ & alia sacerdotia, suis statutis, ordinationibus, regulis, fundationibus, canticis, lectionibus, concionibus, celebratione Missæ, precationibus, sepulturis, & alijs vsitatis pijs & laudabilibus ceremonijs, sicut in Catholica Ecclesia hactenus vsurpatæ fuerunt, deinceps etiam vtantur. Vacantia etiam beneficia, legitimo modo, idoneis & dignis personis conferantur, & defunctorum extremæ voluntati & fundationibus satisfiat, & Episcopi in vsitata visitatione & pœnis pastorum & presbyterorum non impediantur.

Personæ Religiosæ, Monachi & Monachæ, & Sacerdotes seculares, à coniugio in posterum omnino abstineant. Sacerdotes verò, qui ante promulgatum hoc nostrum Decretum vxores duxerunt, eueſtigio suis beneficijs Ecclesiasticis, administratione & officio priuati sint, & eorum beneficia, per Patronos aut ordinarios loci, intra tempus iure constitutum, proximè post exitum comitiorum inchoando curentur, & parochijs & alijs sacerdotijs, per Magistratus Ecclesiasticos vel patronos, alij idonei presbyteri cœlibes præficiantur.

Quòd si aliqui Sacerdotes coniugati, vxores suas dimittere, & se Christianis legibus & consuetudini Ecclesiæ rursum conformare, delicti etiam sui absolutionẽ & satisfactionem dignam recipere volent: Pontificia sanctitas, per legatum statim requiretur,

rut, vt ordinarijs potestatem tribuat Sacerdotes seculares absoluendi, & ad pristinam administrationem rehabilitandi. Sacerdotes verò, qui se conuertere & nostro huic Edicto morem gerere nolent, vbicunque cum suis existimatis coniugibus inueniẽtur, à nullo Principe aut magistratu in sua ditione tolerari, sed vel proscribi, vel iusta & legitima pœna affici debent.

Similiter in nullius ditione, Ecclesiasticos inhonestè & scãdalosè viuere, ac inprimis cum inhonestis & impudicis mulieribꝰ cohabitare, aut inhonesto & minùs sacerdotem decente vestitu uti, permittendum est: sed transgressores pro merito puniri, & nequaquam hac in re, vt hactenus factum est, conniueri debet, vt scandala omnia auertantur.

Si etiam Ecclesiastici ad iniqua onera ciuilia, vel defensionẽ emendam, vel alias Transactiones iniustas, vi aut minis coacti essent: talia onera simpliciter irrita & abolita esse volumus, etiamsi iureiurando vel alia obligatione confirmata essent. Simili modo, si Monasteriorum vel alia Ecclesiastica bona, in Imperio Germanico vel integra vel ex parte aliqua illegitimè vendita, permutata, vel in priuatum aut Laicum vsum conuersa essent: obligationes de ijs factæ prorsus irritæ & ipso iure nullæ habeantur: Bona verò ipsa cuestigiò in pristinũ statum restitui & relinqui, & vendita iusto precio compensari debent.

Omnes quoq; parochi & prædicatores, siue Monachi sint siue seculares sacerdotes, sequenti Cæsareæ constitutioni nostrę in prædicando se conformabunt. Vnanimiter. n. cũ Electoribus, Principibus ac statibus cõuenimus, ideoq; statuimus, ordinamus & volumus, vt in posterum nullus prædicator, vllo in loco, ad cõcionandum admittatur, vel in suggestum collocetur, nisi per Archiepiscopum vel Episcopum, sub quo degit, antea examinatus sit, & vitæ, doctrinæ ac industriæ suæ specimen probatum ediderit, & ad concionandi officium idoneus fuerit inuentus. Hoc modo admissi prædicatores, siue Monachi, siue alij sacerdotes sint, nullo excepto, & sine vllius priuilegij respectu, in suis concionibꝰ huic nostro Edicto pareãt: præcipuè vt omnia, quæ ad cõcitandam plebẽ aduersus Magistratũ, vel seducẽdos falsis dogmatibus auditores, vel factiones in populo excitandas spectãt, aut occasionẽ his prębere possent: in suis concionib. summo studio vitent & prætermittant: Inprimis verò ab hac oratione abstineant, quam

hactenus aliqui impudenter vsurpare non sint veriti, quòd Euangelion & verbum Dei sanctissimum opprimere & delere velimus. Quæ tamen nostra voluntas & sententia nunquam fuit, sed multò magis studium & curam Christianis animis dignissimam gessimus & adhuc gerimus, vt verbum Dei sanctissimum, ad incrementum Christianæ dilectionis, timoris Dei, pietatis & bonorũ operum plantetur & propagetur, & in pio ac Christiano sensu conseruetur, non, vt iam recentium Doctorum consuetudo est, proprio cuiusuis arbitrio, vtilitate, odio, superbia, vel ad seducendam imperitam plebem prædicetur, sed nostra voluntas, animus & sentẽtia est, vt concionatores Euangelion iuxta interpretationem sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum à Catholica Ecclesia approbatam & receptam doceãt & prædicent, & à materijs disputabilibus, sicut etiam ab inuectiuis criminationibus & maledictis abstineant, & memorati Christiani Concilij determinationẽ de controuersijs illis expectent.

Peculiariter etiam hi prædicatores caueant, ne Christianã plebem, ab officijs Missarum, precationibus & alijs bonis operibus deterreant, sicut id hactenus, plurimis in locis, proh dolor, factum est, sed Christianum populum grauiter doceant, eoq; deducant & inuitent, vt singulari cum deuotione, officia Missæ audiant, preces suas ardenter ad Deum fundant, Mariæ Virginiet. iam & Sanctis, vt apud Deum pro ipsis intercedant, deuotè se cõmendent: vt festos dies celebrent: mandata ieiunia seruent, & vetitis cibis, sicut in Catholica Ecclesia receptum est, abstineant. Monachos etiam & alios ab obseruatione votorum, quæ DEO fecerunt, non auocent, sed doceant eos hæc seruari debere: Item vt Eleemosynas præstent, & alia Christianæ pietatis & beneficentiæ opera exerceant.

Similiter mandamus omnibus, cuiuscunque dignitatis & status sint, vt huic nostræ constitutioni reuerenter obediant, & laudabiles Christianæ Ecclesiæ ritus, & omnia, quæ hactenus in Catholica Ecclesia tradita, ordinata & in vsu fuere, quantum ad Catholicam nostram Fidem & cultus Dei attinet, religiosè seruent, neque vllam contra hæc mutationem suscipiant, sub pœna corporis, vitæ & bonorum, qua Magistratus, pro delicti conditione trãsgressores plectere possunt & debent. Nullus etiam Magistratus hac in re alteri impedimento, sed multò magis petenti

auxilio

auxilio sit. Quæ omnia Nos, sub enumeratis mulctis & pœnis, ab hoc tempore vsque ad futuri generalis Concilij determinationem, omnino sic seruari volumus.

Cumq; ex officinarum Typographicarum licentia hactenus multa incommoda extiterint: Statuimus, ordinamus & volumus, vt quilibet Elector, Princeps & Status Imperij, Ecclesiasticus vel politicus, interiecto tempore vsque ad Concilium, in omnibus Typographijs & Bibliopolijs diligenter & seriò curet, ne quid noui deinceps, præsertim libelli vel picturæ famosæ, vel his similia, neque publicè, neq; priuatim componantur, excudãtur, aut venalia prostent, nisi antea per idoneas personas ab Ecclesiastico vel politico Magistratu ordinata, inspecta & comprobata sint: Typographi nomen & cognomen additum: vrbs etiã, in qua excusa sunt, expressis verbis in eo ponatur. Quòd si ab Inspectoribus aliquid desiderabitur, minimè prelo subijci aut publicè prostare scripta illa sinant. Priùs etiam excusi libelli famosi & similes, minimè venales haberi concedantur. Et, si autor, Typographus aut Bibliopola hanc legem & mandatum transgressus fuerit: Per Magistratum, sub quo degit aut deprehensus est, pro delicti conditione, in corpore aut bonis mulctabitur. Quòd si Magistratus aliquis, cuiuscunque conditionis fuerit, hac in parte negligens inuentus fuerit, Cæsareus Fiscalis noster, contra Magistratum illum procedere & agere de pœna potest. Quam pro cuiusque Magistratus & negligentiæ seu delicti conditione, æstimandi & taxandi, Cæsareæ Cameræ nostræ Iudicium potestatem habebit.

Cùm etiam à publicato nostro Cæsareo Edicto, multi Episcopatus, Collegia cathedralia, & alia, Monasteria quoq; priuata autoritate & arbitrio, iniustè abolita, vastata & desolata sint: & Episcopi, Prælati, Pastores, Monachi & Ecclesiastici, ex suis possessionibus & bonis, sine causa & legitima cognitione pulsi & profligati: ipsorum Episcopatus, Monasteria, Collegia, arces, bona, census, reditus, ornamẽta & monilia ablata, & partim vendita, partim alijs obligata, aresto impedita, vel alioquin detenta sint: Et in diuino, Canonico & Cæsareo Iure vetitum & prohibitum sit, ne quis alteri suũ, priuato arbitrio, iniustè & illegitimè, inprimis Ecclesiæ & Deo dicata bona eripiat, alienet, aut spoliet,

multò minûs honestissimas maiorum fundationes, ad Dei laudē factas, aboleat.

Statuimus, ordinamus & volumus, vt Episcopat⁹, Collegia, Monasteria, & horum bona, quæ illegitimè ab Ecclesiasticis vel politicis priuata autoritate occupata, vel in seditione Rusticorum extorta ijs, ad quos pertinent & iure spectant, restituantur, aut si Monasteria vel parochiæ alicubi vastatæ, destructæ & euersæ essent, reædificentur & instaurentur. Similiter in Episcopatibus, Monasterijs, Collegijs & Parochijs, cantiones, lectiones, Missæ, & aliarum piarum ceremoniarum exercitium, possessiones etiam & bona, eorumque administratio, vt antiquitus consueuerunt, quietè & pacificè relinquantur. Sub pœna Cæsareæ nostræ publicæ pacis & proscriptionis seu interdictionis aquæ & ignis: sicut hac de re singulare nostrum Mandatum pœnale publicari & promulgari curabimus, quod hæc pleniùs continebit.

Cumque non dubitemus, multos adhuc passim esse pios & constantes Christianos, veteri Catholicę Fidei nostræ adhærentes, qui seditiosæ huic, impiæ, & iamdudum damnatæ Doctrinæ ex animo aduersentur: Vt igitur in honestissimo hoc proposito, & sinceri animi constantia, sicut iustum est, confirmentur, nec vi aut minis aduersæ partis inde depellātur: Nos, Electores quoq;, Principes & Status volumus, vt tales in vrbibus, oppidis, pagis magistratuum, qui Decretum hoc nostrum non receperūt, degētes (modò constanter in hoc pio proposito perseuerent, huicq; nostro Edicto pareant) cum suis bonis, coniugibus & liberis, in nostram & S. Imperij singularem defensionem & tutelam recepti sint: eaque, vt alij nostri & S. Imperij clientes, vtantur & gaudeant. Adhæc, ex Cæsarea nostra potestate, ciuibus & incolis illis veteri Catholicæ fidei adhuc cōstanter adhærentibus liberam facultatem, prout ipsis commodum erit, cum suis corporibus & bonis, ad dictas ditiones, vrbes, oppida, & loca accedendi, & inde discedendi absq; vlla accisione aut diminutione bonorū, sine vllius impedimento, cōcessimus & permisimus, idq; his literis scientes cōcedimus & permittimus. Nec vlla ratione hoc ipsorū iuribus & priuilegijs, quæ in ciuitatib⁹ aut oppidis illis habēt, obesse volumus. Quòd si aliqui ex Magistratibus, qui hoc Decretum nostrum non receperunt, aut eorum vrbibus & oppidis, libertates

aut

aut priuilegia his contraria haberent: illis hoc edicto nostro planè derogatum, illaque omnia in hoc casu abrogata, & nullius momenti esse volumus.

Et quoniam multis annis in Ecclesia Christiana nullum generale Concilium celebratum est, quod tamen celebrari extrema necessitas postulat, vt suprà indicati errores, abusus, & grauamina Catholicæ fidei nostræ, & quæ interea temporis irrepserunt, ad meliorem statum & ordinem reformari & restitui possint: Similiter, cùm per hostem Christianæ fidei Turcam, multa Christiana Regna & aliæ ditiones occupatæ sint, &, nisi maturè prospiciatur, plura occupari possint, vt, quemadmodum summa necessitas postulat, grauibus & salutaribus medijs tanto malo occurratur: Præterea, cùm vniuersi & singuli sine discrimine, nostri & Sacri Imperij Electores, Principes & Status, horumque Legati, qui iam Augustæ apud nos congregati fuere, tam hi, quibus nobiscum & cum nostra veteri Catholica Fide, sicut à sancta Catholica Ecclesia hucusque laudabiliter seruata est, conuenit, quàm illi, qui suprà memoratas & alias mutationes instituerunt, reuerenter & subiectissimè hoc Concilium flagitarint;

Decreuimus, piæ Reformationis & conseruationis Christianæ Fidei ergò, idque cum nostris & Sacri Imperij Electoribus, Principibus & Statibus iam concluſimus, Nos, apud sanctitatem Pontificiam instare & efficere velle, vt per sanctitatem suam, generale & Christianum Concilium, intra sex Menses, post finem horum Comitiorum, loco opportuno indicatur, & primo quoque tempore, ac ad summum intra anni spacium post indictionem, inchoëtur & celebretur: nec dubitamus, quin alij quoque Reges, Principes & potestates Christianæ consilium hoc nostrũ probaturi, & ad Concilium venturi, & adiuturi sint, vt communia Orbis Christiani Ecclesiastica & politica negotia ad veram & salutarem concordiam ac pacem redigantur.

Præterea etsi in multis Imperij Recessibus antè promulgatis expressè declarauimus & mandauimus, vt Ecclesiasticis & politicis debiti census, reditus & Decimæ, sine recusatione & mora soluerentur, & iustæ ac legitimæ Decimæ darentur, & has elocare & colligere sine impedimento liceret: comperimus tamen hactenus quibusdam in locis minùs obtemperatum esse. Cùm igitur nostrum, vt Romani Imperatoris officium sit, curare, ne cui,

quod ſuum eſt, vi, contra ius, detineatur: Ordinamus & volumus, vt cuilibet ſiue Eccleſiaſtici ſiue politici ordinis, ſui reditus, cenſus, tributa, decimæ, iura & priuilegia illibata relinquantur, nec quiſquam alterum his ſpoliet, vel impediat, vel moleſtiam horum cauſa exhibeat, ſed vnicuique hæreditarios, perpetuos & alios reditus, cenſus & decimas, & alia iura ſolui & pendi concedat. Qua in re Magiſtratus quilibet alterum iuuare debet. Omnia ſub pœnis, quæ in publica pace noſtra conſtitutæ ſunt. Quòd ſi Magiſtratus aliquis hanc conſtitutionem tranſgreſſus fuerit, Fiſcalis noſter, vigore promulgatæ publicæ Pacis noſtræ, contra Magiſtratum illum procedendi poteſtatem & mandatum habebit.

Cùm etiam Magiſtratus, quibuſdam in locis, proprias ordinationes, ſtatuta & leges conſtituerint, & priuilegia impetrauerint, vel adhuc conſtituere & impetrare poſſent, quibus facultas eis daretur, hæreditarios aut perpetuos cenſus, ab Eccleſiaſticis vel Politicis redimendi: de quo Electores, Principes & Status, grauiter queſti ſunt, quòd contra ius, æquitatem, antiquas conſuetudines, ad minuenda non ſolùm magiſtratuum, ſed etiam priuatorum iura ſpectarent: Quare conſtituimus, ordinamus, volumus, & ſentimus, ex certa ſcientia, & Cæſareæ poteſtatis plenitudine, vt vniuerſæ & ſingulæ ordinationes, ſtatuta, leges & priuilegia ad hunc finem condita, impetrata & publicata, aut quæ in poſterum conſtitui & impetrari poſſent, ipſo iure nulla, irrita, nullius momenti & abolita ſint, ſicut hoc ipſo Decreto ea, ex Sacræ Cæſareæ poteſtatis plenitudine, certa ſcientia, & proprio arbitrio, irrita, abolita, & nullius momenti eſſe pronunciamus, & volumus, quod ad perpetuos & hæreditarios hoſce cenſus attinet, vt in proximè ſuprà poſito Articulo planè acquieſcatur, iſque firmiter ſeruetur.

Poſtremò ſtatuimus, ordinamus & volumus, vt ſecundum hoc noſtrum Edictum per omnia viuatur, huic pareatur, vtque in omnibus ſuis articulis, ſententijs, & clauſulis ſeruetur, nulla ratione habita cæterorum Edictorum, in prioribus comitijs conditorum, quantùm huic noſtro Edicto & conſtitutioni, quod ad fidei cauſam attinet, aliqua in parte aduerſentur, nulla denique habita ratione vllius interpellationis, oppoſitionis & appellationis,

lationis, contra hoc decretum, siue ad generale Concilium, siue ad Nos, vel alium interpositæ, vel interponendæ. Quæ omnia, vt per se irrita, & nullius momenti sunt, ita Nos, hæc omnia, iustis de causis, quæ post promulgatos priores Recessus inciderunt, ex Cæsareæ potestatis nostræ plenitudine, & cum Electorum, Principum & Statuum Imperij obedientium communi, maturo consilio & consensu, tanquam irrita, abolemus, & abolita esse volumus, sub nostra & Imperij pœna, quam Nobis, pro conditione delicti, legitimè exequendam reseruamus.

Præterea Nos, Electores quoque, Principes, Prælati, Comites & Status, qui Decretum hoc receperunt, vnanimiter decreuimus, conuenimus, & fideliter nobis mutuò promisimus, Neminem Ecclesiastici vel Politici status, alterum, Religionis causa, vi inuadere, premere aut oppugnare, nec Magistratui suo reditus, census, decimas & alia bona impedire, similiter neminem alterius subditos aut coniunctos, propter religionem, aut alias ob causas, in tutelam & protectionem singularem recipere debere, aut velle, sub pœna pacis publicæ nostræ VVormatiæ constitutæ, quam in omnibus suis punctis & articulis ratam manere, & constanter seruari & executioni mandari volumus.

Ac, vt in Executione & propugnatione horum omnium, nihil desideretur, Nos, nostris & S. Imperij Electoribus, Principibus & Statibus, & vicissim Electores, Principes & Status, nobis fideliter promisimus, Nos in causa Catholicæ Fidei & antiquæ Religionis nostræ, nostra Regna, Prouincias & populos, corpora denique & fortunas nostras, ad communem defensionem fideliter collaturos esse.

Præterea consensimus & conuenimus, si status aliquis, contemto hoc edicto, alterum, collecto exercitu aut aliâs, vi hostili inuadere cogitabit, vt Cæsareæ Cameræ nostræ Iudicium, ad requisitionem illius vel illorum, qui impressionem hostilem metuent, & se ad legitimam causæ cognitionem offerent, plenum mandatum & potestatem habeat, his, qui militem colligerent, sub pœna proscriptionis iniungendi, vt à violento hoc & hostili proposito desistant, & contenti ordinario iure vtantur.

Quòd si vnus vel plures, qui tale mandatum accepissent, cõtumaciter aduersarentur, statim Cæsareus noster Fiscalis con-

tra illum aut illos contumaces, ad declarationem, ex dicto mandato, sine vlla mora, procedat: & contumaces illi, à Iudicio Cameræ nostro, in pœnam proscriptionis, vel alias in pace Nostra publica expressas, sicut iustissimum est, condemnentur. Nihilominus verò interea Iudicium Cameræ nostræ, omnibus & singulis socijs & auxiliatoribus illius aut illorum arma sumentium, sub pœna proscriptionis, nulla interposita mora mandabit, vt ab armis, & societate violatorum discedant. Similiter alios vicinos Status Imperij, statim sub prædicta pœna proscriptionis, ad defensionem & præsidium, vt paulò antè sancitum est, vocabit, & hortabitur, vt illi aut illis, qui hostilem impressionem expectarent, auxilijs idoneis subueniant & opitulentur.

Similiter Nos, vt Romani Imperij Imperator & caput, cum nostris hæreditarijs ditionibus, violenta impressione contra Decretum nostrum oppugnato, subuenire & auxilia ferre volumus.

Sumtus verò belli, contumax ille violator, ijs qui hoc modo ad auxilia ferenda euocati sunt, & opem tulerunt, pendere & refundere teneatur. Et in auxiliatorum potestate erit, sumtus factos, statim à violatore de facto extorquere, vel ad Iudicij Cameræ nostræ moderationem, per pœnam proscriptionis, ab eo exigere. Qua in re Cameræ nostræ Iudicium, sine recusatione & mora, requirenti auxilium præstabit.

CVM

CVM autem hoc Comitiorum Decreto & Cęsareæ Maiest. Edicto, tota Lutheri causa & Confessio Augustæ exhibita, omnesq; illi adhærentes, damnati essent; & nisi restituerent in integrum omnia in Ecclesijs, collegijs & monasterijs à se mutata, & damnatã doctrinam abijcerent, grauissima dignitatis, vitæ & fortunarũ pericula, sibi velut contumacibus proposita esse viderent; aliqui etiam Principes, à Cæsare constituti esse Edicti executores dicerentur; ideoq; singulis momentis Electori Saxonię & cæteris in hac religionis causa coniunctis apertũ bellum, à Pontificijs, sub Imperatoris & Imperij nomine, expectãdum esset:

Lutherus, vt perpetuum Pacis conseruandæ studium declararet, & à mouendo bello aduersarios deterreret, & suorum animos confirmaret: magno & excelso spiritu & imperterrito ac inuicto Heroici pectoris robore, Germanos suos statim post Comitia, edito libello, cui titulus est, **Warnung an seine liebe Teutschen**/ hortatus est, vt pacem colerent, nec impio huic Edicto, in persecutione veræ Euangelij doctrinæ, & innocentum Principum ac Ecclesiarum, armis suis iuuanda, obedirẽt; nec pro idolis, libidinibus & alijs abominationibus Pontificijs propugnarent.

Suæ etiam partis homines, si à Pontificijs bellum ipsis nomine Imperatoris inferatur, nõ quidem ad arma capienda incitat: Verùm si armis resistant, & vim vi repellant, nõ velut seditiosos traduci vult & condemnari: sed velut necessariam sui & suorum defensionem suscipientes excusat. Ipsum etiam Edictum, altero libello refutat.

Eodem tempore, videlicet initio anni 1531. Philippus Melanthon, APOLOGIAM seu Refutationem Pontificij Scripti,

pti, quod Confeſsioni à noſtris exhibitæ Auguſtæ appoſuerant, recognouit, & tum cæteris in controuerſiam deductis, tùm verò inprimis duobus præcipuis doctrinæ Euangelij Articulis, de IVSTIFICATIONE, ET POENITENTIA, piè, eruditè & copiosè explicatis & communitis, publicauit. Cùm autem Apologiam illam vberiorem pleriq; Paſtores in his Eccleſijs, Corpori Doctrinæ inſertam, iamdudum habeant; non exiſtimaui huius libri molem & precium acceſsione illa non neceſſaria augendum eſſe: præſertim cùm ſinguli, qui volent, eam ſeorſim alioquin cum confeſsione excuſam, coniungere cum hiſce Actis facilè poſsint.

Breui etiam poſt terribile illud Edictum in exitu Comitiorum Auguſtæ promulgatum, animis Principũ & aliorum vtrinq; exacerbatis & ſuſpenſis: ſingulari beneficio Dei, & Illuſtriſsimorum Principum Electorum, Alberti Archiepiſcopi Moguntini, & Ludoici Palatini interceſsione, inter Cæſaream Maieſtatem & Electorem Saxoniæ ac cæteros ſtatus Confeſsioni Auguſtanæ adhærẽtes, induciæ, donec cauſa in Concilio vel Comitijs Imperij componeretur, factæ, & à Cæſ. M. Ratisbonę anno 1532. die 2. Auguſt. confirmatę ſunt.

Ita pacem Deo Eccleſijs noſtris tribuẽte, Doctrina Confeſsionis latè propagata eſt, & paulatim plures Principes & Ciuitates Germaniæ ad eam ſe adiunxerunt. Quarum Theologi magno numero poſtea in Conuentu Smalcaldenſi anno 1537. conueniẽtes, Cõfeſsioni & Apologię vnà ſubſcripſerũt.

Manſeruntq; florentes & tranquillæ ac concordes Eccleſiæ vſq; ad bellũ Germanicum, in quo Carolus Imp. Ioannem Fridericum Ducem Saxoniæ Electorem, & Philippum Landgrauiũ Haſsiæ, anno 1547. captiuos duxit, ac omnes ipſis coniunctos in poteſtatem ſuam redegit. Poſt quam victoriã, celebratis Auguſtæ anno 1548. Comitijs, tollere ex Imperio diſ-

fidia religionis, & Ecclesias Confessioni Augustanæ adiunctas Rom. Pontifici denuò subijcere & conformes reddere, promulgata Idibus Maij Declaratione de Religione, quam INTERIM nominarunt, & flagitata à Pontifice, Tridentini Concilij paulò antè interrupti, continuatione, conatus est.

Cumq; anno 1551. rursus congregato Tridenti Concilio, Principes Germanicos Lutheri doctrinã retinentes vrgeret, vt Legatos ad Synodum mitterent & deliberationes suas de emendatione doctrinæ & cultuum & alijs rebus ad Ecclesiæ pacẽ vel priuatam conscientiæ tranquillitatẽ pertinentibus, scripto compræhensas Synodo exhiberent: Mauricius Dux Saxoniæ Elector, Christophorus Dux VVirtebergẽsis & alij Principes suis Theologis mandarunt, vt summam Doctrinę de Deo, quam in templis & scholis traderent, & de controuersis præcipuè articulis, confessionẽ piam & perspicuã repeterent.

Ea occasione, Repetitio Confess. Saxonicarum Ecclesiarum, à Philippo pleniùs scripta, tametsi in Concilio nõ exhibita & Confessio piæ Doctrinæ, à Ioh. Brentio, nomine Christophori, Ducis VVirtebergensis, an. 1552. die 24. Ian. in Concilio Tridentino oblata est. Quæ Confess. ambæ, cũ sententiã articulorũ Confess. Aug. fideliter repetant & declarẽt, & alioquin pleniores ac neruosiores sint: vtramq; huic recitationi Deliberationũ de Confess. Aug. Imp. exhibita, annectendam esse duxi, vnà cũ vtili libello, exponente causas, quare & amplexę sint & retinendã ducant Doctrinã, quam profitentur, Ecclesię, quæ Confess. Aug. exhibitã Imperatori sequuntur, & quare iniquis Iudicibus collectis in Synodo Tridentina, vt vocant, non sit assentiendum. qui libellus initio anni 1546. inchoato tùm primùm Tridenti Concilio, edebatur.

Addidi etiam Erasmi Roterodami de sarcienda Ecclesiæ concordia, & sedandis opinionũ dissidijs, consiliũ modera-

tissimum, paucis ante mortẽ illius annis, in Enarratione Psal. 83. Iulio Pflugio dicata, editũ, vnà cum censura, de illo, Martini Lutheri & Antonij Coruini.

Adiunxi & alia, passim in superiori expositione Actorũ notata, quibus continua series Deliberationum in Comitijs non interrumpenda longius videbatur.

Postremò, PACEM RELIGIONIS, omnibus Doctrinam Confessionis Augustanæ amplecti volentibus Imperij statibus, datam, conclusionis loco annexui.

Etsi enim potentissimus Imperator Carolus, post victoriam in bello Germanico partam, oppressa & deleta Confessionis Augustanę doctrina, Synodi Tridentinæ decreta tueri & exequi, & omnes Germaniæ Ecclesias Romano Pontifici rursum subijcere instituerat: tamen Deo mirabiliter gubernante, hæc consilia Caroli, moto à Principibus aliquot Germanicis bello, impedita sunt, & PAX certa, constans & perpetua, inter Cæsarem Carolum omnesq; illius in Imperio successores, & Electorem Saxoniæ ac cæteros Confessioni Augustanæ adiunctos Principes & Status, in Pacificatione Passauiensi, ad Oeni & Danubij confluentem, anno 1552. primùm constituta, & postea, in Comitijs Augustanis, anno 1555. à Cęsare & toto Imperio confirmata & sancita est.

Sequuntur ordine Repetitæ Confessiones, & alij vtiles libelli, quorum mentionem paulò antè fecimus.

CON-

CONFESSIO PIAE DOCTRINAE, QVAE NOMINE ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, D. CHRISTOPHORI DVCIS VVIRTEMBERGENSIS ET TECCENSIS, AC COMITIS MONTISBELIGARDI, PER LEGATOS EIVS, DIE XXIIII. MENSIS IANVARII, ANNO M. D. LII. CONGREGATIONI TRIDENTINI CONCILII PROPOSITA EST.

ANNO M. D. LXXVIII.

PRAE-

PRAEFATIO.

CVM agnoscamus nos diuina clementia ad gubernaculum nostræ regionis ac Reip. vocatos, nihil prius hactenus duximus, quàm vt coram Deo patre Domini nostri Iesu Christi, & vniuersa eius Ecclesia, studium nostrum in excitanda & propaganda verè pia doctrina, quibuscunq; possemus officijs, testificaremur.

Etsi enim non ignoramus, suum esse discrimen inter Politicam & Ecclesiasticam functionem, tamen cùm Psalmus nos grauissimè hortetur, Nunc reges, inquiens, intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, seruite DOMINO in timore & tremore: non debuimus cœlestem vocem contemnere, sed omnem conatum, & operam nostram, ad iuuandum veram Ecclesiam filij Dei, pro virili nostra, conferre.

Alij, alias quidem rationes inire solent, quibus cogitant se filio Dei, & Ecclesiæ eius, studium suum probare.

Nos autem iudicauimus, ad veram Ecclesiæ salutem aut constituendam, aut conseruandam, nihil esse nec vtilius, nec Deo acceptius, quàm vt ministerium cœlestis ac verè piæ doctrinæ, officijs tum publicis, tum priuatis, iuuetur.

Et quia propter immensam clementiam Dei, quam fecit nobis in Iesu Christo filio suo testatissimam, non dubitamus, quin nos vt vera membra sua complectatur: debuimus ei vicissim hoc obsequiũ, vt, quoquo modo possemus, benevolentiam nostrã erga sponsam eius Ecclesiam, qua nihil ei est in his terris aut amabilius, aut preciosius, declararemus.

Iussit nos alius Psalmus, portas nostras aperire Regi gloriæ. Existimauimus autem, portas tanto Regi verè tum patere, cũ cœlesti doctrinæ eius in Ecclesijs locus cõceditur.

Sed

Sed cùm inciderint varię de doctrina Ecclesiastica dissensiones,& visum sit Inuictissimo domino Imperatori Carolo,eius nominis quinto,domino nostro clementissimo,ac reliquis statibus S. Romani Imperij, si quid habemus, quod vel ad publicam Ecclesiæ pacem,vel ad priuatam conscientiæ tranquillitatem, pertinere videatur,cõmemorare: Iussimus concionatores nostros, sũmam doctrinæ ipsorum conscribere, vt palàm testarentur, in nostris Ecclesijs, non nisi verè Apostolicæ,Catholicæ,& Orthodoxæ doctrinæ, locũ datum esse.

Voluimus igitur,vt hoc scriptum concionatorum nostrorum publicè proponeretur,& speramus futurum, vt vniuersa Ecclesia piorum re ipsa videat,nihil à nostris Ecclesijs alienius esse,quàm vt in ijs quicquam, quod cum scriptis Propheticis & Apostolicis,ac consensu verè Catholicæ Ecclesiæ pugnet,vel in doctrina prædicandum,vel in ritibus sacrorum administrandum,susceptum fuerit.

DE

DE DEO ET TRIBVS IN VNA DIVINITATE PERSONIS.

CRedimus & confitemur, vnum solum, verum, æternum, immensum esse DEVM, omnipotentem creatorem omnium visibilium & inuisibiliũ, & in hac vna ac æterna diuinitate, tres esse per se subsistentes proprietates seu personas, Patrem, Filium, & Spiritũ sanctum: sicut docet Prophetica & Apostolica Scriptura, & explicant tria Symbola, Apostolicum, Nicænum & Athanasij.

DE FILIO DEI.

CRedimus & confitemur, filium Dei, DOMINVM nostrum Iesum Christum, ab æterno à Patre suo genitum, verum & æternum Deum, patri suo consubstantialem, & in plenitudine temporis factum hominem, ad expianda peccata & procurandã æternam salutem humani generis: vt Iesus Christus, verus Deus, & verus Homo sit vna tantùm persona, non duæ, & in vna persona sint duæ naturæ, non vna tantùm: sicut testimonijs S. Scripturæ exposuerunt sancti Patres, in Concilio Nicæno, Ephesino primo, & Chalcedonensi. Itaque detestamur omnem hæresin, cum hac doctrina de filio Dei pugnantem.

DE SPIRITV SANCTO.

CRedimus & confitemur, Spiritum sanctum ab æterno procedere à Deo Patre & Filio, & esse eiusdem cum Patre & Filio essentiæ, maiestatis, & gloriæ, verum ac æternum Deum: sicut autoritate S. Scripturæ rectè explicuerunt sancti Patres in Concilio Constantinopolitano, aduersus Macedonium.

DE PECCATO.

CRedimus & confitemur, hominem initiò iustum, sapientem, libero arbitrio præditum, Spiritu sancto ornatum, ac felicem, à Deo conditum esse: postea autem propter inobedientiam, Spi-

ritu sancto priuatum, factum mancipium Satanæ, & obnoxium tam corporali, quàm æternæ damnationi: Idq; malum, nõ in vno tantùm Adamo cõstitisse, sed propagari in omnẽ posteritatẽ ei⁹.

Quòd autem nonnulli affirmant, homini post lapsum tantam animi integritatem relictam, vt possit sese naturalibus suis viribus, & bonis operibus, ad fidem & inuocationem Dei cõuertere & præparare, haud obscurè pugnat cum Apostolica doctrina, & cum vero Catholicæ Ecclesiæ consensu. Rom. 5. Per vnius delictum propagatum est malum in omnes homines, ad cõdemnationem. Eph. 2. Cùm essetis mortui delictis ac peccatis, in quibus aliquando ambulastis, iuxta seculum mundi huius, iuxta Principem, &c. Et mox: Eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri. Mortui, inquit, peccatis, & filij iræ, hoc est, alieni à gratia Dei. Sicut autem homo corporaliter mortuus, non potest sese suis viribus præparare aut conuertere, ad accipiendam vitam corporalem, ita mortuus spiritualiter non potest sese sua virtute cõuertere, ad accipiendam vitam spiritualem.

Augustin. To. 7. cont. duas epist. Pelagian. ad Bonifacium lib. 2. cap. 8.

Dominus, vt responderet futuro Pelagio, non ait, Sine me difficilè potestis quicquam facere: sed ait, Sine me nihil potestis facere. Et vt responderet futuris etiam istis, in eadem ipsa Euangelica sententia, non ait, Sine me nihil potestis perficere, sed facere. Nam si perficere dixisset, possent isti dicere, non ad incipiẽdum bonum, quod à nobis est, sed ad perficiendum, esse Dei adiutorium necessarium. Et mox: Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ. Non benè intelligendo falluntur, vt existiment cor præparare, hoc est, bonum inchoare, sine adiutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere. Absit, vt sic intelligant filij promissionis, tanquam cùm audierint Dominum dicentem, Sine me nihil potestis facere, quasi conuincant eum dicẽtes: Ecce sine te possumus cor præparare. Aut cùm audierint à Paulo Apostolo, Non quia idonei sumus cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, tanquam & ipsum conuincant, dicentes: Ecce idonei sumus ex nobismetipsis, præparare cor, ac per hoc, & boni aliquid cogitare. Et iter. To. 9. in Ioan. tract. 49. Nemo se palpet, de suo Satanas est, de Deo beatus est. Quid est enim de suo, nisi de peccato suo? tolle peccatum quod est tuũ. Iustitia, inqt, de meo est. Quid. n. habes q̃ non accepisti?

Aug.

Ambros. de vocatione gentium, lib. 1. cap. 9.

Licet insit homini, malum velle, tamen nisi donatum nō habet, bonum velle. Illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam. *Bernh. in homil. de annunc. beatæ Mariæ.*

Si stare non potuit humana natura adhuc integra, quantò minùs potuit per seipsam resurgere iam corrupta?

DE IVSTIFICATIONE.

CRedimus & confitemur, quòd ad faciendam & exercendā iustitiam Deo gratam, necessariæ sint hæ virtutes, Fides, Spes & Charitas, &q̄ homo has virtutes nō ex se cōcipere possit, sed accipiat ex fauore & gratia Dei, quod & fides operetur p̄ dilectionē.

Sed sentimus, à verè Apostolica & Catholica doctrina longissimè abhorrere eorum sententiam, qui docent, hominē fieri Deo acceptum, & reputari coram Deo iustum, propter has virtutes, ac in iudicio Dei meritis harum virtutum confidendum esse.

Homo .n. fit Deo acceptus, & reputatur corā eo iustus, propter solū filium Dei, Dominum nostrū I. Ch. per fidem, & in iudicio Dei, nō est vllo earū virtutū, quas nos habemus, merito, sed solo merito Domini nostri I. Ch. quod fit nostrū p̄ fidē, cōfidendū.

Et quia coram tribunali Dei, vbi de vera & æterna iustitia ac salute agitur, nullus planè locus est meritis hominum, sed tātùm misericordiæ Dei, & meritis solius D. nostri Iesu Christi, qui fide à nobis accipitur: idcirco sentimus, veteres ac maiores nostros rectè dixisse: Nos corā Deo sola fide iustificari. Rom. 5. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Iustificantur autem gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius. Gal. 3. Concluſit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Et cap. 5. Nos Spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. Nam in Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neq; præputium, sed fides per dilectionem operans.

Hilar. in Matth. cap. 8.

Mouet scribas remissum ab homine peccatum: hominem enim tantùm in Iesu Christo contuebantur, & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat: Fides enim sola iustificat.

Ambros. in epistol. ad Roman. cap. 3.

Iustificati sunt GRATIS, quia nihil operantes neque vicem reddentes, SOLA FIDE iustificati sunt, dono Dei. Et iterum cap.

4. ad Rom. Manifestè beati sunt, quibus sine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requisita pœnitentiæ opera, nisi tantùm vt credant.

Possunt autem multa loca tàm è scriptis Propheticis & Apostolicis, quàm è sanctis Patribus commemorari, quibus probatur, nõ solùm initio gratuita Dei clementia donari nobis has virtutes, Fidem, Spem & Charitatẽ, verùm etiam postea per omnem vitam, adeoq; in extrema necessitate, haudquaquam nos coram seuero tribunali Dei constare posse, nisi fiducia solius gratuitæ clementiæ Dei, in Christo filio Dei nobis exhibitæ. Hoc enim est, quod & Paulus docet, & Ecclesiastici Scriptores exponunt, Nos coram Deo sola fide iustificari.

DE LEGE.

AGnoscimus legem Dei, cuius epitome est Decalogus, præcipere, & hominem non solùm obligatum esse ad obediendum moralibus præceptis Decalogi, verùm etiam si faceret opera Decalogi, ea perfectione & integritate, quam lex exigit, verè coram Deo operibus suis iustum reputandum, & meritis suis æternam salutem consequuturum.

Sed quod nonnulli sentiunt, hominem posse in hac vita eò peruenire, vt non tantùm impleat suis operibus Decalogum, verùm etiam possit plura & maiora opera facere, quàm in Decalogo præcepta sunt, quæ vocant opera supererogationis, alienum est à Prophetica & Apostolica doctrina, & pugnat cum sententia verè Catholicæ Ecclesiæ. Decalogus enim nõ est ad hunc vsum datus, vt significet, hominem posse præcepta eius in hac vita perfectè implere: sed vt ostendat homini suam imperfectionem, & ferat testimonium de iniustitia hominis, ac de ira Dei, aduersus omnes homines, ac excitet eos ad quærendã remissionem peccatorum, iustitiam & salutem in solo Filio Dei, DOMINO nostro Iesu Christo, per fidem.

Rom. 3. Per legem agnitio peccati. Et cap. 6. Lex Spiritualis est, ego autem Carnalis, venditus sub peccatum. Et cap. 8. Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. Nam legi Dei non subditur, siquidẽ ne potest quidem. Gal. 3. Scriptum est, Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quę scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.

Augustin. De Spiritu & litera, cap. 36.

Hoc primum præceptū iustitiæ, quo iubemur diligere DOMINVM ex toto corde, ex tota anima, & tota mente, cui est deproximo diligendo alterum consequens, in ILLA vita implebimus, vbi videbimus facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiã nunc præceptum est, vt admoneremur, quid fide exposcere, quo spem præmittere, & obliuiscendo quæ retrò sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea quæ PERFICIENDA est iustitia, multùm in hac vita ille proficit: qui, quàm longè sit à perfectione iustitię, proficiendo cognoscit.

Et rursum Augustinus Hieronymo Epist. 29.

Charitas est virtus, qua id quod diligendum est, diligitur. Hęc in alijs maior, in alijs minor, in alijs nulla est. Plenissima verò, quæ iam non potest augeri, quamdiu hic homo viuit, est in NEMINE. Quamdiu autẽ augeri potest, profectò illud quod minus est quàm debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Ex quo vitio non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens. Propter quod vitiũ, si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere, Dimitte nobis debita nostra, cùm iam omnia in Baptismo dicta, facta, cogitata, dimissa sunt.

Et iterum lib. 1. Retract. cap. 19.

Omnia mandata Dei facta deputantur, quando, quicquid non fit, ignoscitur.

Hieronymus.

Hæc hominibus sola perfectio est, si imperfectos se esse nouerint.

Hæc est hominis vera sapientia, imperfectum esse se nosse, atque (vt ita loquar) cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est.

DE BONIS OPERIBVS.

DOcemus bona opera diuinitus præcepta, necessariò facienda esse, & mereri gratuita DEI clementia, sua quædam, siue corporalia, siue spiritualia præmia.

Non est autem sentiendum, quòd ijs bonis operibus, quæ nos facimus, in iudicio Dei, vbi agitur de expiatione peccatorũ, & placatione diuinę irę, ac merito æternæ salutis, cõfidendum sit: Omnia enim bona opera, quæ nos facimus, sunt imperfecta, nec possunt seueritatem diuini iudicij ferre. Sed omnis fiducia nostra collocanda est in SOLA misericordia Dei, propter filium eius DOMINVM nostrum Iesum Christum.

Psalm. 142.

Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Galat. 5.

Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuò aduersantur, vt non quæcunque volueritis, eadem faciatis.

Rom. 7. Noui, quòd non habitet in me, hoc est, in carne mea, bonum.

Danielis 9. Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

August. Confess. lib. 9. cap. 13.

Væ hominum vitæ, quantumuis laudabili, si remota misericordia, discutias eam.

Et rursus in Manuali, cap. 22.

Tota spes mea in morte Domini mei. Mors eius meritum meum est, refugiũ meum, salus, vita, & resurrectio mea: Meritum meum miseratio DOMINI. Non sum meriti inops, quamdiu ille miserationum DOMINVS non defuerit. Et si misericordiæ DOMINI multæ, multus ego sum in meritis.

Gregor. lib. 1. super Ezech. hom. 7. in fine.

Iustus ergo Aduocatus noster, iustos nos defendet in iudicio, quia & nosmetipsos cognoscimus, & accusamus iniustos. Non ergò in fletibus, non in actibus nostris, sed in ADVOCATI nostri allegatione confidamus.

Bernhar. In Serm. 3. de annunc. beatæ Mariæ.

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, non quidem tale testimoniũ, quale ille superbus Pharisæus habebat, seducta & seductrice cogitatione, testimonium perhibens de se-

ipso,

ipso, & testimonium eius verum nō erat: sed cùm spiritus ipse testimonium perhibet spiritui nostro. Porrò hoc testimonium in tribus consistere credo. Necesse enim est primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Deinde, quòd nihil prorsus habere queas boni operis, nisi & hoc dederit ipse. Postremò, quòd æternā vitam nullis possis operibus promereri, nisi GRATIS detur & illa.

DE EVANGELIO CHRISTI.

ETsi in scriptis Euangelistarum & Apostolorum continentur multa præcepta diuinæ legis, & Christus ipse docet, non esse malum malo reddendum, nec mulierem impudicè aspiciendam, & id genus alia: tamen non est sentiendū, quòd Euangelion Christi sit noua lex, qua, sicut olim Patres in Veteri Testamento, veteri lege saluati sunt, ita nunc homines in Nouo Testamento, noua lege saluentur. Nisi enim nomen legis generaliter pro doctrina accipias, quemadmodum Prophetæ aliquoties nomine legis vsi sunt, certè Euangelion Christi propriè non est lex, sicut Paulus legis nomine vti solet: Sed est bona & læta annunciatio de filio Dei, DOMINO nostro Iesu Christo, quòd ipse solus sit expiator peccatorum nostrorum, placator iræ Dei, & redemtor ac seruator noster. Nec præcepta legis, quæ continentur in scriptis Apostolicis, sunt noua lex: sed sunt veteris legis, iuxta sententiam Spiritus sancti, explicatio, quæ & ipsa haud obscurè antea in Propheticis scriptis extant. Repetuntur autem in prædicatione Euangelij Christi, vt ostensa diuinæ legis seueritate, & naturæ nostræ corruptione ad quærendum & amplectendum Christum, Euangelio suo reuelatum, excitemur, & vt cognoscamus, ad quam Regulam vita nostra ex fide in Christum sit dirigenda. Quare si propriè de lege Dei, & Euangelio Christi loquendum est: Sicut nec ex Christo faciendus est nouus legislator, cùm nec nouam legem tulerit, nec nouum politicum regnū in his terris instituerit: Ita nec ex Euangelio facienda est noua lex, quæ durioribus & seuerioribus præceptis afferat factoribus æternam salutem: sed pro certo habendum esse existimamus, quòd vna & eadem sit lex Naturalis seu Moralis, Veteris & Noui Testamenti, & quòd nec Veteris nec Noui Testamenti hominibus contingat æterna salus, propter merita operum legis, sed tantùm propter meritū Domini Iesu Christi per fidem.

Luc.4.recitat Christus ex Iesaia officium suum, ad quod in hanc terram missus sit, Spiritus DOMINI, inquiens, super me, cò quòd vnxit me, ad Euangelizandum pauperibus misit, &c. Hic docet Christus, proprium suum officium esse, non ferre nouam legem, quæ terreat & occidat miseros peccatores: Sed annunciare Euangelion, quod peccatores consoletur & viuificet.

Galat.4. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factũ sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptione ius filiorum acciperemus.

Actor.15. Quid tentatis Deum, vt imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neq; nos portare potuimus? Sed per GRATIAM domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros quemadmodum & illi.

Augustinus, contra Adimantum Manichæi discipulum, cap.13.

Certis quibusdam vmbris & figuris rerum, ante DOMINI aduentum, secundum mirabilem & ordinatissimam distributionem temporum populus ille tenebatur, qui Testamentum Vetus accepit: Tamen in eo tanta prædicatio & prænunciatio est Noui Testamenti, vt nulla in Euangelica atque Apostolica disciplina reperiantur, quamuis ardua & diuina præcepta & promissa, quæ illis etiam libris veteribus desint.

DE SACRAMENTIS.

NOmen Sacramenti, sicut & nomen Mysterij (quod interpretes Sacramentum exponunt) latissimè patet. Sed quia visum est quibusdam numerum Sacramentorũ in septem contrahere, percurremus singula, vt ostendamus, quid in doctrina quorundam scriptorum desideremus, & quid cum sententia verè Catholicæ & Orthodoxæ Ecclesiæ pugnare videatur.

DE BAPTISMO.

AGnoscimus Baptismum tàm infantibus quàm adultis, in Ecclesia, vsque ad nouissimum huius seculi diem, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ex institutione Christi dispensandum, & ipso vtendum esse.

Credi-

Credimus etiam & confitemur, quòd Baptismus sit mare illud, in cuius profundum, sicut Propheta ait, Deus proijciat omnia peccata nostra, & condonet ea propter Christum filium suum, per fidem. Sed quòd aliqui docent, peccatum remanens post Baptismum in homine, non esse natura sua verè peccatum, existimamus pernicioſorem esse errorem, quàm vulgus hominum iudicat. Etsi enim non dubitamus peccatum, quod post Baptismū remanet, credenti condonari propter Christum, & ex gratuita clementia Dei, non ampliùs coram tribunali Dei imputari: tamē si naturam eius expendas, verè est in se peccatum, propter quod, vt Augustinus suprà dixit, nō iustificatur in conspectu Dei omnis viuens, & non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.

Roman. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Hîc loquitur Paulus de peccato remanente post Baptismum, & affirmat, illud repugnare legi mentis suæ, hoc est, affectui Spiritus sancti. Quod autem repugnat Spiritui sancto, certè re ipsa verè peccatum sit, necesse est. Nam hæc est natura peccati, vt pugnet cum Spiritu sancto.

Galat. 3. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim inter se mutuò aduersantur, vt non, quæcunque volueritis, eadem faciatis. Hîc iterum loquitur Paulus de peccato remanente post Baptismum, & tribuit ei manifestè naturam peccati, videlicet, concupiscere aduersus spiritum, & aduersari spiritui, ac impedire, ne perfecta iustitia in homine fiat. Quare peccatum post Baptismum remanens, natura sua verè est peccatum, etsi credenti non imputatur, sed propter Christum condonatur.

Augustin. De nupt. & concup. ad Valer. lib. 1. cap. 25.

Respondetur, dimitti concupiscētiam carnis in Baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur. Quamuis autem reatu suo iam soluto, manet tamen donec sanetur omnis infirmitas nostra, &c.

Et iter. De baptis. paruulorum, & de cons. dist. 4. cap. per Baptismum.

Per Baptismum id agitur, vt caro peccati euacuetur. Non

autem sic euacuatur, vt in carne concupiscentia innata non sit, sed ne obsit.

Deinde docemus, eum, qui baptizatur in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, vngi spirituali Chrismate, hoc est, fieri membrum Christi per fidem, & donari Spiritu sancto, vt ad percipienda cœlestia, aures mentis eius aperiantur & oculi cordis illustrentur. Ac manifestum quidem est, quòd vsus externi Chrismatis fuerit in Politia Mosaica legitimus, & quòd externum Chrisma sit etiam in Ecclesia post diuulgatum Euangelion, vsitatum. Sed manifestum etiam est, quòd in lege Mosi fuerit tempus vmbrarum, nunc autem reuelato Christo, sit tempus veritatis.

Et vsus externi Chrismatis pertinet ad elementa mundi. De abrogatione autem horum elementorum, dicit Paulus, Colos. 2. Si mortui estis cum CHRISTO ab elementis mundi, quid adhuc, tanquam viuentes in mundo, his decretis tenemini?

In Cœlesti Hierarch. de Baptis.

Et Dionysius, quem Areopagitam vocant, & quem putant descripsisse ritus Ecclesiæ ab Apostolis traditos, significat quidem externum Chrisma fuisse in Ecclesia vsitatum: sed significat etiam haud obscurè, hunc ritum partim ab athleticis vnctionibus Ethnicorum, partim ex lege Mosaica sumtum esse. Quaverò autoritate & vtilitate petantur exempla colendi Dei, & administrandi Sacramenta, ab Ethnicis, testatur dictum illud Moisi, Deut. 12. Caue ne imiteris gentes, & requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ Deos suos, ita & ego colam. Non facietis similiter Domino Deo vestro.

Et illud dictum Christi Matth. 15.

Frustra colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum.

Et non est obscurum, quòd ceremoniæ Mosaicæ, quarum vna pars est externi Chrismatis vsus, pertineant ad elementa huius mundi, quorum decretis Paulus suprà dixit nos non teneri, & de quibus aliâs dicit: Posteaquam cognouistis Deum, quin potiùs, cogniti estis à Deo, quomodo conuertimini denuo ad infirma & egena elementa, quibus iterum ab integro seruire vultis?

Præterea, quomodo confectio seu ritus externi Chrismatis, ab Apostolis ipsis traditus esse, vt Fabianus scribit, verè affirmari

mari posset, cùm acta Conciliorum testentur, hunc ritum institutum esse à Syluestro?

Et Ecclesiastica historia tradit, non fuisse propositum Apostolorum, vt conderent leges de diebus festis, sed vt docerent rectam conuersationem, & veram pietatem: quantò minùs propositum eorum fuit, externas vnctiones in Ecclesia instituere, & vmbras in exortum clarissimi solis splendorem inducere?

Accesserunt baptismo etiam aliæ quædam ceremoniæ salis, luti, vestium, sed quia hæ non iudicantur necessariæ, etiam ab ijs ipsis, apud quos sunt vsitatæ, & sunt aliqua ex parte otiosa eorum rituum, quibus Christus aliquoties in edendis miraculis vsus est, imitatio: non est cur de ipsis aliquam curam, in occupatione tot necessariarum rerum, suscipiamus.

DE CONFIRMATIONE.

NOn est nobis dubium, quin Apostoli initio reuelati & confirmati in die Pentecostes Euangelij, contulerint impositione manuum admirandum donũ Spiritus sancti credentibus in Christum, vt varijs linguis loquerentur.

Et sentimus vtilissimum esse, vt pueri & adolescentes, à pastoribus Ecclesiæ suæ, in Catechismo examinentur, & siquidem piè ac rectè fuerint eruditi, approbentur, si verò prauè, emendentur.

Sed ex personali & temporali facto Apostolorum, non est absque certo mandato Dei, generale & perpetuum sacramẽtum in Ecclesia statuendum. Et horribile auditu est, quòd Sacramentum confirmationis, quale Episcopi suffraganei solen pueris impertiri, excellat dignitate sua Sacramentum Baptismi. Sic enim nonnulli de Sacramento confirmationis scribere non verentur. Sicut vnum, inquiunt, à maioribus fit, id est, à summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest: ita & maiori veneratione venerandum & tenendum est.

In decretali Epistola Melciadu, To. 1. in actis Concil.

Apostolis enim diuinitus concessum fuit, vt impositione manuum conferrent credentibus in Christum dona Spiritus sancti. Hoc autem non est propriè intelligendum de priuatis illis Spiritus sancti donis, quæ vnicuiuis ad salutem necessariæ sunt:

sunt: Hæc enim accipiunt credentes, per prædicationem Euangelij, & per Baptismum: Sed intelligendum est de publicis donis Spiritus sancti, videlicet, loqui varijs linguis, & alia, quæ tum ad publicam confirmationem Euangelij de Christo necessaria erãt. Postquam igitur autoritas Euangelij talibus miraculis satis confirmata est, sicut desijt admirandum illud donum linguarum, ita & ritus imponendæ manus, quo donum illud conferebatur, factus est, quod quidem ad hanc rem attinet, otiosus. Alioqui faciendum erit generale sacramentum Ecclesiæ ex vmbra, & obumbrandi sunt ægroti, propterea quòd multi consecuti sint sanitatem per vmbram Petri.

Similiter faciendum erit generale sacramentum ex impositione sudariorum, propterea quòd aliqui liberati sunt à morbis suis, cùm ipsis imponerentur sudaria Pauli. Et incumbendum erit super mortuos, quòd Paulus in cubitu suscitauit adolescentem à morte. Et tamen non est pastoribus Ecclesiarum permittendum, vt nullam habeant rationem erudiendæ pueritiæ aciuentutis in verè pia doctrina. Sed exigendum est ab eis, vt Catechismum diligentissimè doceant.

DE POENITENTIA.

CVM semper nobis agnoscenda sint peccata nostra, & credendum, quòd remittantur nobis peccata propter Christum, sentimus semper etiam in hac vita nobis agendam esse pœnitentiam.

Sed pœnitentiam alij aliter explicant. Vulgò enumerantur tres partes pœnitentiæ: Contritio, Confessio, Satisfactio. Has partes singulatim ac breuiter percurremus, vt exponamus, quid nobis in hac doctrina de pœnitentia verè Catholicum & Apostolicum videatur.

DE CONTRITIONE.

COntritionem vocamus sensum diuinæ iræ, seu dolorem aut pauorem animi, ex agnitione magnitudinis peccatorum, & grauitatis iræ Dei ortum. Talem contritionem arbitramur quidem necessariam esse in vera pœnitentia, quam cõtritionem lex

Dei

Dei in homine excitare solet: Sed docere, eam mereri remissionē peccatorum, & esse expiationem peccatorum coram Deo, existimamus ab Apostolica doctrina alienum esse. Deus enim non despicit quidem cor contritum & humiliatum, sicut Psalmus loquitur: sed idcirco non despicit, quia Filius Dei DOMINVS noster Iesus Christus suscipit cor contritum & humiliatum, cuius solius contritione & humiliatione peccata nostra coram Deo expiata sunt, & placata est ira Dei. Huius placationis nos participes efficimur, cùm contrito & humiliato corde credimus, solum Iesum Christum esse propiciatorem nostrum apud patrem cœlestem. Ies. 53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. 1. Ioh. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Actor. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

De Pœnit. dist. 1. cap. cùm ergo. Gabri. in 4. senten. distin. 14. quæ. 1. conclus. 5.

Et testantur exempla Cain, Esau, Saulis, Iudæ Ischariotis, & aliorum, quòd contritio non sit meritum remissionis peccatorum. Hi enim etsi tantam habuerunt contritionem, vt tolerabilius ipsis visum fuerit, vitam sibi aut laqueis, aut gladijs, abrumpere, quàm horribiles illos dolores perferre, tamen non sunt remissionem peccatorum consecuti.

Gloss. de pœniten. distinct. 1. cap. 1.

Si subtiliter intueamur, gratiæ Dei, non contritioni, attribuenda est peccatorum remissio.

Quare fatemur, Contritionem ad agendam veram pœnitentiam necessariam quidem esse, non autem in hunc vsum, vt sit meritum, seu expiatio peccatorum coram Deo: sed vt homo, agnita magnitudine peccatorum, & grauitate iræ Dei, detestetur peccata, & excitetur ad quærendam remissionem peccatorum ac salutem, in sola gratuita clemētia & misericordia Dei, propter solum Iesum Christum Dominum nostrum, per fidem.

DE CONFESSIONE.

CONfessionem vocant enumerationem peccatorum coram sacerdote. Talis igitur Confessio, qualis hactenus fuit vsitata, sicut

sicut non est diuinitus præcepta: ita manifestum est, quòd vetus Ecclesia non exegerit eam tanta seueritate, perinde ac si ad consequendam æternam salutem necessaria esset.

Ac dubium quidem non est, quin debeamus nos coram Deo peccatores agnoscere, & Deo peccata nostra confiteri: sed ea coram homine (nisi si quid in ipsum peccauerimus, & veritas legitima ac diuina vocatione dicēda fuerit) enumerare, liberum esse concedunt etiam veterum Ecclesiasticorum scripta.

Chrysost. in cap. 12. ad Hebr. Homil. 31.

Non dico tibi, vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuses: Sed obedire te volo Prophetæ dicenti, Reuela DOMINO viam tuam.

Et iterum in Psalmo Miserere.

Si confundaris alicui dicere, quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico vt confitearis conseruo tuo, vt exprobret: dicito Deo, qui ea curat.

De pœnit. dist. 1. cap. quis aliquando §. ijs autoritibus.

Etsi autem hæc Chrysostomi verba solent exponi de peccatis, quæ antea sacerdoti confessa sunt, tamen hæc expositio est manifesta deprauatio sententiæ Chrysostomi. Et testatur Ecclesiastica historia, perspicuè morem confitendi sacerdotibus abrogatum fuisse in Ecclesia Constantinopolitana.

August. lib. 10. Confes. cap. 3.

Quid mihi est cum hominibus, vt audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam alienam vitam, desidiosum ad corrigendam suam.

Ambrosius super Luc. de pœnit. dist. 1. cap. Petrus.

Petrus doluit & fleuit, quia errauit vt homo. Non inuenio quid dixerit, scio quòd fleuit, lacrymas eius lego, satisfactionem non lego.

Etsi autem sentimus, enumerationem peccatorum coram sacerdote non esse necessariam ad salutem, nec esse aliquod meritum remissionis peccatorum: tamen damus operam, vt generalis confessio peccatorum, quantùm fieri potest & licet, in Ecclesijs nostris

nostris conseruetur, idq; duabus de causis. Vna est, vt hoc priuato colloquio rudiores de rebus necessarijs admoneantur & erudiãtur. Altera, vt hac occasione priuatim audiatur Euangelion Christi de remissione peccatorum, quod Euangelion est vera clauis regni cœlorum, & absolutio à peccatis, & vt per auditum Euangelij seu absolutionis fides vel concipiatur, vel confirmetur.

In agenda enim vera pœnitentia, nihil certius, nihil firmius iudicamus, quàm quòd omnino necessaria sit FIDES, videlicet, vt, quod Euangelion Christi annunciat, credamus nobis certò remitti & condonari peccata gratis, propter solum Iesum Christum DOMINVM nostrum.

Non ignoramus quidem, quòd, si opera nostra respicimus, non tantùm nobis dubitandum, verùm etiam de salute nostra desperandum sit, quippe quòd nostra opera, quantumuis bona videantur, non possint coram seuero tribunali Dei consistere.

Nec obscurum nobis est, quòd carni nostræ, in hac corporali vita, semper adhæreat dubitatio de misericordia & clementia Dei.

Sed cùm Deus promittit nobis gratuitam suam clementiam, propter Christum filium suum, & exigit vt Euangelio filij sui obedienter credamus, exigit etiam eo ipso, vt dubitationem carnis nostræ mortificemus, ac certissimam de misericordia sua fiduciam concipiamus, ne nos promissionem eius tanti mendacij accusemus, quantam dubitationem de ea habeamus.

Et vt possimus certam fiduciam concipere, collocauit salutem nostram, non in meritis nostræ iustitiæ, quæ est imperfecta, sed tantũ in meritis Filij sui, D. nostri Iesu Christi, cuius iustitia, vt est perfectissima, ita & in iudicio Dei firmissima & cõstantissima.

Marc. 1. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Iubet nos Euangelio, quod annũciat nobis certum fauorem Dei erga nos, propter Christum, credere. Ergo non vult, vt de fauore eius erga nos dubitemus, sed vt certam de eo fiduciam concipiamus.

Iohan. 6. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.

Si Deus exigit, vt credamus in filium suum, certè non vult vt dubitemus, sed vt firmam fiduciam in eo collocemus.

Iacob. 1. Si cui vestrum deest sapientia, postulet ab eo qui dat,

dat, nempe Deo, qui dat, inquam, omnibus simpliciter, nec exprobrat, ac dabitur ei, sed postulet cum fiducia, NIHIL HAESITANS.

Hilarius in Matth. cap. 5.

Regnum cœlorum, quod Prophetæ nunciauerunt, Ioannes prædicauit, Dominus noster in se esse positum est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari. Alioqui iustificatio ex fide nulla est, si ipsa fides fiet ambigua.

Augustinus in Manuali cap. 25.

Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat Deum esse misericordem, magnam iniuriam Deo facit, qui de eius misericordia diffidit, quantum in se est, negat Deum habere charitatem, veritatem & potestatem, in quibus TOTA spes mea consistit.

Sixtus Pontifex, Tomo 1. Concil. in 1. epistola Sixti Pontificis.

Dubius in fide, infidelis est.

Quare existimamus eos, qui iubent nos de fauore Dei erga nos dubitare, non solùm pugnare cum vera sententia Catholicæ Ecclesiæ, sed etiam saluti Ecclesiæ pessimè consulere.

DE SATISFACTIONE.

DE satisfactione credimus & confitemur, quòd sola passio & mors vnigeniti filij Dei DOMINI nostri Iesu Christi sit satisfactio pro peccatis nostris: Et quòd hæc satisfactio Christi offeratur & applicetur nobis ministerio Euangelij, excipiatur autem à nobis FIDE.

Confitemur etiam, quòd, postquam satisfactio Christi nobis applicata, & per fidem accepta sit, necessariò debeamus bona opera, quæ à Deo præcepta sunt, facere, non vt ijs expiemus peccata coram Deo, sed vt ad declarandam obedientiam nostram, bonos fructus pœnitẽtiæ proferamus, & gratitudinem nostram testificemur.

Nam de oratione, ieiunio, eleemosyna, & alijs id genus operibus, sentimus ea diligentissimè sectanda esse: sed longè alium habere

habere vsum, quàm quòd vel meritis suis satisfaciant Deo pro peccatis nostris, vel applicent nobis meritum Christi.

DE ORATIONE.

ORatione Deus inuocatur. Vera autem inuocatio est opus fidei, nec potest sine fide fieri. Fides autem intuetur Christum, & nititur solis meritis Christi. Quare nisi applicaueris tibi meritum Christi fide, oratio nullius est coram Deo momenti.

Exigitur autem oratio in hunc vsum, vt consideratione diuinarum promissionum, fides in nobis excitetur & inflammetur. Itaque non absurdè quidem dicitur, Oratione deleri peccata, nõ autem hoc sensu, quòd opus ipsum orationis sit merito suo satisfactio pro peccatis, coram Deo: sed quòd oratione excitetur & accendatur fides, qua fide participamus meritum Christi, & habemus remissionem peccatorum propter solum Christum. Priusquam enim Deum oratione inuocamus, necessarium erit, vt meritum Christi sit nobis applicatum, & fide acceptum. Quare fieri non potest, vt oratio sit tale opus, propter cuius meritum consequamur coram Deo remissionem peccatorum.

Psal. 108. Oratio eius fiat in peccatum. Non posset autem fieri peccatum, si per se esset opus tàm dignum, quo peccatum expiaretur.

Iesai. 1. Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam.

Deus autem non auerteret oculos & aures ab oratione, si esset dignitate sua satisfactio pro peccatis nostris.

Augustinus in Psalm. 108.

Oratio, quæ non fit per Christum, non solùm non delet peccatum, sed etiam fit ipsa peccatum.

Bernhard. De Quadragesima, sermone 5.

Sed & vitam æternam aliqui fortassis nõ in humilitate quærunt, sed tanquam in fiducia suorum meritorum. Nec hoc dico, quin accepta gratia fiduciã donet orandi, sed nõ oportet, vt in ea cõstituat quisquã fiduciã impetrandi. Hoc solùm cõferunt hæc

præmissa dona, vt ab ea misericordia, quæ tribuit hæc, sperentur etiam ampliora. Sit ergo oratio, quæ pro temporalibus est, circa solas necessitates restricta: sit oratio, quæ pro virtutibus est animæ, etiam ab omni impuritate libera, & circa solum beneplacitum Dei intenta, sit ea, quæ fit pro æterna vita, in omni humilitate, præsumens de SOLA, vt dignum est, miseratione diuina.

DE IEIVNIO.

IEiunium sentimus vtile esse, non in hoc, vt vel operis sui merito expiet peccata coram Deo, vel applicet ieiunanti meritum Christi, sed vt sobrietate injiciat carni frenum, ne homo crapula & ebrietate impeditus, vocationi Dei minùs obsequatur, & suo officio oscitanter defungatur. Sed ieiunio suus postea dabitur locus.

DE ELEEMOSYNA.

ELeemosynam diligenter commendamus, & hortamur Ecclesiam, vt proximum quisque suum, quoquo officio potest, adiuuet, ac charitatem suam testificetur. Sed quod alicubi dicitur, Eleemosynam delere peccatum, sicut aqua extinguit ignē, iuxta fidei analogiam intelligimus. Quid enim opus fuisset ad delenda peccata, passione & morte Christi filij Dei, si peccata delerentur merito eleemosynæ? Et quis vsus esset ministerij Euāgelij, si eleemosyna diuinitus fuisset ordinata pro organo, quo applicaretur nobis meritum Christi? Quare vt maneat Christo suus honor inuiolatus, & ministerio Euangelij suus legitimus vsus, docemus eleemosynam sic delere peccatum, non quòd per se sit dignum opus, quo vel peccatum expietur, vel meritum Christi applicetur, sed quòd sit opus & fructus charitatis erga proximum, quo opere testificamur fidem & obedientiam nostram, quam debemus Deo. Vbi autem est fides, ibi solus Christus agnoscitur peccatorum expiator. Itaque cùm eleemosyna testificetur, suo quodam modo, Christum habitare in pijs, testificatur etiam eos habere peccatorum remissionem. Nisi enim eleemosyna sit opus charitatis, quæ testificetur fidem in Christum, tantum abest, vt significet hominem habere peccatorum remissionem, propter Chri-

Christum, vt planè coram Deo sordeat. Si distribuero, inquit Paulus, omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

Docemus igitur bona opera necessariò facienda, Deum oratione inuocandum, piè ieiunandum, & eleemosynam dandam esse, vt fidem & charitatem nostram testificemur, & vocationi Dei obediamus. Sed in agenda vera pœnitentia docemus, remissionem peccatorum contingere nobis tantùm propter filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum per fidem, iuxta illud, quod Petrus dicit: Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accipiat per nomen eius, quisqs crediderit in eum.

DE EVCHARISTIA.

CRedimus & confitemur, Eucharistiam (sic enim libuit maioribus nostris Cœnam Dominicam vocare) esse Sacramentum à Christo ipso institutum, & vsum eius vsque ad nouissimum huius seculi diem Ecclesiæ commendatum esse.

Sed quia aliud est substantia, aliud vsus eius, idcirco de his ordine dicemus.

De substantia Eucharistiæ sentimus & docemus, quòd verum corpus Christi, & verus sanguis eius in Eucharistia distribuatur, & refutamus eos, qui dicunt, panem & vinum Eucharistiæ esse tantùm absentis corporis & sanguinis Christi signa.

Credimus etiam omnipotentiam Dei tantam esse, vt possit in Eucharistia substantiam panis & vini vel annihilare, vel in corpus & sanguinem Christi mutare.

Sed quòd Deus hanc suam absolutam omnipotentiam in Eucharistia exerceat, non videtur esse certo verbo Dei traditum, & apparet veteri Ecclesiæ fuisse ignotum. Sicut enim, cùm in Ezechiele de vrbe Ierusalem, in latere descripta dicitur, ISTA EST Ierusalem: non necesse fuit, vt substantia lateris mutaretur in substantiam vrbis Ierusalem: ita cùm de pane dicitur, Hoc est corpus meum, non est necesse, vt substantia panis muteturin substantiam corporis Christi: sed ad veritatem Sacra-

menti sufficit, quòd corpus Christi verè sit cum pane præsens. Atque adeo ipsa necessitas veritatis Sacramenti exigere videtur, vt cum vera præsentia corporis Christi, verus panis maneat. Nam quemadmodum ad veritatem sacramenti Baptismi necessarium est, vt in vsu eius aqua sit, & maneat vera aqua: ita necessarium est in Cœna Dominica, vt panis in vsu eius sit & maneat verus panis, cùm mutata panis substantia non constaret veritas Sacramẽti. Vnde & Paulus & veteres Ecclesiastici scriptores, panem Eucharistiæ etiam post consecrationem panem vocant.

1. Cor. 11. Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. Et quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, &c.

Augustin. in sermone ad infantes.

Quod vidistis, panis est & calix, quod vobis etiam oculi vestri renunciant. Quod autem Fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis.

Quod autem ad Eucharistiæ vsum attinet, primùm etsi nõ negamus, quin totus Christus tam pane quàm vino Eucharistiæ dispensetur, tamen docemus vsum vtriusque partis debere vniuersæ Ecclesiæ cõmunem esse. Manifestum enim est, quòd Christus ipse, nihil periculis, quæ postea humana superstitione excogitata sunt, aut alijs commentis deterritus, tradiderit Ecclesiæ vtranq; partem vtendam.

Manifestum etiam est, quòd vetus Ecclesia vsa sit vtraque parte multis annis. Et testantur aliquot scriptores perspicuè, eos qui solum panem accipiunt, non accipere plenum Sacramẽtum sacramentaliter, (sic enim loquuntur) & diuisionem vnius denique mysterij sine grandi sacrilegio fieri non posse.

Quare sentimus vsum vtriusque partis esse verè Catholicum & Apostolicum: nec licere vlli homini hanc Christi institutionem, & tam diuturnum veteris ac veræ Ecclesiæ ritũ, pro sua libidine mutare, & laicis, vt vocant, alterã partẽ Eucharistiæ auferre. Ac mirandum est, quòd hi, qui profitentur se ritus veteris Ecclesiæ propugnare, tam procul hac in parte à veteri Ecclesia recedant.

Deinde

Deinde cùm Sacrificij nomen latissimè pateat, ac generaliter significet sacrum cultum, libenter concedimus, verum & legitimum vsum Eucharistiæ posse hoc modo sacrificium dici.

Et si Eucharistia iuxta institutionem Christi ita celebratur, vt in ea annuncietur mors Christi, & dispensetur Ecclesiæ sacramentum corporis & sanguinis Christi, rectè vocatur applicatio meriti passionis Christi, his videlicet, qui Sacramentum sumũt.

Nec damnandæ sunt piæ lectiones & precationes, quæ cõsecrationem, vt vocant, & dispensationem Eucharistiæ præcedere & sequi solent.

Sed interea non licet nobis errores, qui ad hoc sacrum, imperitia magis priuatorum hominum, quàm legitimo consensu veræ Catholicæ Ecclesiæ, accesserunt, dissimulare & approbare.

Vnus error est, quòd ex cultu, qui debet Ecclesiæ esse communis, fiat priuata vnius sacrificuli actio, qui, vt solus sibi legit verba Cœnæ Dominicæ, ita etiam solus panem & vinum sumit.

Nam Christus instituit Eucharistiam, non vt esset priuata vnius actio, sed vt esset Ecclesiæ communio. Itaq; ad rectam Eucharistiæ actionem requiruntur ad minus duo, videlicet, minister Eucharistiæ benedicens, & is cui Eucharistiæ Sacramentum dispensetur. Cùm enim Christus hoc Sacramentum institueret, non ipse solus vescebatur, sed dispensabat Ecclesiæ suæ, quã tum præsentem habebat, Accipite, inquiens, manducate, &c. Et bibite ex hoc omnes, &c.

Hoc Christi institutum vet⁹ & vera Catholica Ecclesia tam seueriter obseruauit, vt eos, qui in hoc sacro præsentes non communicarent, excommunicauerit.

Anacletus in prima Epistola.

Peracta consecratione OMNES communicent, qui noluerint Ecclesiastici s carere liminibus. Et addit, Sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.

Concilium Antiochenum cap. 2.

Omnes qui ingrediuntur Ecclesiam Dei, & sacras scripturas audiunt, non autem cum populo in oratione communicant, & auersantur sanctã assumtionẽ Dominici Sacramenti, secundum aliquam propriam disciplinam, hos ab Ecclesia abijci oportet.

Pontifex, cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & quæ antè laudauerat, venerandis operta atque abdita signis, in conspectum agit, diuinaque munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum cõmunionem & ipse conuertitur, & reliquos, vt communicent, hortatur, sumta deniq;, atq; omnibus tradita communione diuina, gratias referens, finem mysterijs imponens.

Arbitramur igitur necessarium esse, vt ad conseruandam in celebratione Eucharistiæ institutionem Christi, & ad sectandum exemplum veteris ac verè Catholicæ Ecclesiæ, abrogentur priuatæ sacrificulorum Missæ, & restituatur Ecclesiæ publica Cœnæ Dominicæ communio.

Alius error est, quòd Eucharistia sit tale sacrificium, quod debeat iugiter in Ecclesia, ad expianda peccata viuorum & mortuorum, & pro impetrandis alijs beneficijs, tam corporalibus, quàm spiritualibus, offerri.

Hic error manifestè pugnat cum Euangelio Christi, quod testificatur, Christum VNA oblatione, semel tantùm facta, consummasse in sempiternũ sanctificatos. Et quia Christus passione ac morte sua impetrauit nobis remissionem peccatorum, quæ & nobis per Euangelion in nouo Testamento annunciatur, idcirco non licet amplius pro peccato sacrificare. Vbi enim est peccatorum remissio, iam non est oblatio pro peccato.

Nam quod Christus dicit, Hoc facite in mei commemorationem: non iubet corpus & sanguinem suum in Cœna Deo, sed Ecclesiæ offerre, vt Ecclesia, edendo corpus & bibendo sanguinem Christi, ac prædicando beneficium mortis eius admoneatur de ea corporis & sanguinis Christi oblatione, quæ semel tantùm in cruce, in expiationem peccatorum nostrorum, facta est. Sic enim Paulus hoc dictum Christi interpretatur, Quotiescunque, inquit, manducabitis (non ait, obtuleritis) panem hunc, & bibetis calicem, mortem Domini prædicate, donec veniat.

Ac fatemur quidem, quòd veteres Ecclesiastici scriptores vocauerint Eucharistiam, sacrificium & oblationem: sed se ipsi exponunt, quòd nomine sacrificij intelligant memoriam, annũciatio.

clationem seu prædicationem sacrificij, quod Christus semel in cruce peregit: Sicut & memoriam Paschæ & Pentecostes, vocant Pascha & Pentecosten.

Alius error est, quòd nõnulli sentiunt oblationem (quam ita vocant) Eucharistiæ, non esse quidem per se propitiationem pro peccatis: applicare autem propitiationem ac meritum Christi, viuis ac mortuis.

Sed iam demonstratum est, quòd Eucharistia propriè non sit oblatio, sed sic vocetur, quòd sit memoria oblationis, semel in cruce factæ. Deinde applicatio meriti Christi non fit alio externo organo, quàm prædicatione Euangelij Christi, & dispensatione eorum Sacramentorum, quæ Christus in hunc vsum instituit. Et meritum Christi oblatum & applicatum, non recipitur, nisi Fide.

Marci vltimo. Prædicate Euangelion omni creaturæ. Ministerio enim Euangelij offeruntur & applicãtur creaturis, hoc est, siue Iudæis, siue Gentibus, beneficia Christi. Et sequitur. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: quia sumtione Sacramentorum & fide, accipiuntur oblata & applicata beneficia.

Rom. 1. Euangelion est potentia Dei, ad salutem omni credenti, h. e. ministerium Euangelij est organon diuinitus institutum, quo Deus est potens & efficax, ad saluandos omnes eos, qui Euangelio credunt. Itaque prædicatio Euangelij offert, aut, si ita loqui libet, applicat omnibus salutem: Fides autem oblatam & applicatam salutem accipit.

In priuata autem Missa, panis & vinum ita tractantur, vt sacrificulus neque annunciet publicè Euangelion Christi, sed sibi ipsi quiddam, ac præsertim verba Cœnæ seu cõsecrationis tacitè recenseat, neque dispenset alijs panem & vinum, sed solus ipse ea sumat. Quare nulla potest esse applicatio meriti Christi in priuata Missa. Hoc senserunt veri Catholici, maiores nostri, qui tam seueriter, quemadmodum suprà indicauimus, exegerunt, vt, qui in Missa præsens non communicauerit, excommunicetur.

Alius error est, quem iam attigimus, quòd exigitur, vt verba Cœnæ seu consecrationis in Eucharistia tacitè recitentur, cùm hæc verba sint pars Euangelij, quod iuxta mandatum Christi omnibus creaturis est prædicandum. Etsi enim maiores vo-

carunt aliquoties Eucharistiam mysterium, non tamen hoc consilio sic vocarunt, quòd verba Cœnæ non sint coram Ecclesia, in Eucharistia, publicè, & lingua vulgo nota, recitanda: Sed quòd in Eucharistia aliud videatur, aliud intelligatur. Nam & Christus ipse vocatur Mysterium, qui tamen non est occultandus, sed omnibus creaturis prædicandus.

Et quia in sumenda Eucharistia exigitur fides, Fides autem est ex auditu, Auditus autem per verbum Dei: Maximè omnium necessarium est in Eucharistia, vt verbum Cœnæ, quod est verbũ Filij Dei, publicè recitetur. Hoc enim verbum est prædicatio Euangelij & annunciatio mortis Christi. Quare vt Ecclesia intelligat, quid in Eucharistia agatur, quid ipsi sumendum offeratur, & vt fidem suam confirmet, necessaria est, in Eucharistia, publica recitatio verborum Cœnæ Dominicæ.

Alius error est, quòd vna pars Eucharistiæ soleat in singularem cultum Dei circumgestari & reponi. Vetat autem Spiritus sanctus, ne cultus Dei sine certo verbo Dei instituatur. Deut. 12. Non facietis singuli, quod sibi rectum videtur.

Et iterum: Quod præcipio tibi, hoc tantùm facias Domino, ne addas quicquam, nec minuas. Matth. 15. Frustra colũt me, docentes doctrinas, mandata hominum, &c.

Clemens Epistola 2. ad Iacobum, & de consecra. dist. 2. cap. tribus.

Certè tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quòd si remanserint in crastinum, non reseruentur, sed cum timore & tremore, clericorum diligentia consumantur.

Non ignoramus, quomodo hæc Clementis verba eludi soleant, conficto discrimine inter opus morientium, & opus consecrantium. Sed manifestum est, quòd panis, qui circumgestari, & in adorationem reponi solet, non reseruetur pro infirmis, sed tandem à consecrantibus ipsis sumatur.

Cyrillus, vel, vt alij sentiunt, Origenes in Leuit. cap. 7.

Nam & Dominus panem, quem discipulis dabat, dicẽs ijs, Accipite & manducate, &c. non distulit, nec seruari iussit in crastinum. Hoc fortasse mysterij continetur etiam in eo, quòd panem non iubet portari in via, vt semper recentes, quos intrate geris, verbi Dei panes proferas.

DE

DE ORDINE.

NOn est obscurum è sacris literis, quòd omnes verè Christiani consecrentur in Baptismo, per Christum filium DEI, in spirituales sacerdotes, & debeant semper offerre DEO spiritualia sacrificia.

Nec est obscurum, quòd Christus instituerit in Ecclesia sua ministros, qui annuncient Euangelion suum, & dispensent Sacramenta eius.

Nec permittendum est cuiuis, quamuis spirituali Sacerdoti, vt sine legitima vocatione vsurpet publicum ministerium in Ecclesia. Dicit enim Paulus, Omnia honestè & decenter fiant, inter vos. Et iterum, Nemini citò manus imponas. Quare non inutile iudicamus, vt fides eorum, qui ad publicum ministerium accessuri sunt, quasi gradibus quibusdam probetur.

Et inter ministros Ecclesiæ suum seruare ordinem, videtur concordiam non nihil adiuuare.

Sed sacra Scriptura non tradit, quòd Christus in Ecclesia sua instituerit tales Sacerdotes, qui sint mediatores inter Deum & homines, & placent iram Dei erga homines Sacrificijs suis, aut applicent meritum Christi viuis ac mortuis, absque prædicatione Euangelij & dispensatione Sacramentorum.

Nam si de summo & vero mediatore dicendum est, vnus solus est mediator inter Deum & homines, Iesus Christus filius Dei.

Si loquendum est de mediatore precationis, vnusquisque pius factus est alterius mediator, per Iesum Christum, propterea, quòd officium exigit, vt alter alterius salutem precibus Deo commendet: quod etiam officium nunc singuli exercent, cùm recitant ex fide Orationem Dominicam.

Si loquendum est de sacrificijs expiantibus peccata nostra, & placantibus iram Dei, tunc vnum solum sacrificium est expiatorium & placatorium, videlicet Sacrificium Domini nostri Iesu Christi, quod semel in cruce peractum est. Et sicut Christus non ampliùs moritur, mors illi ampliùs non dominatur: ita hoc Sacrificium eius nunquam ampliùs peragetur, sed effecit vnica oblatione, quemadmodum Epistola ad Hebræos scribit, perfectos in perpetuum eos qui sanctificantur.

Si loquendum est de commemoratione huius vnius sacrificij, & de applicatione meriti eius, tũc publici ministri Ecclesiæ, qui Euangelion publicè docent, & Sacramenta iuxta institutionem Christi dispensant, non solùm faciunt veram & rectam expiatorij sacrificij commemorationem, sed etiam applicant dispensatione sua, meritum huius sacrificij, omnibus ijs, qui Euangelion & Sacramenta fide accipiunt.

Non possumus igitur videre, quis sit vsus id genus hominum in Ecclesia, qui in hoc instituuntur, vt habeant potestatem sacrificandi pro viuis & mortuis.

Paulus, cùm ad Corinthios & Ephesios recẽset officia & ministeria ad ædificationem & cõseruationem Ecclesiæ necessaria, recensetProphetas, Apostolos, Euangelistas, Pastores, Doctores, & id genus alios: sed in hoc catalogo nullam prorsus facit mentionẽ talium priuatorum Sacerdotũ, qualium nunc plenus est orbis. Nec verisimile est, quòd omisisset hoc genus Sacerdotũ, si vel Christus instituisset, vel Ecclesiæ vtile & necessarium esset.

Et scribit Paulus, Episcopũ oportere esse didacticon: Docet autem Hieronymus eundem esse, Episcopum & Presbyterum.

Quare manifestum est, quòd, nisi Presbyter instituatur in Ecclesia, ad ministerium docendi, nec Presbyteri nec Episcopi nomen rectè vsurpare queat.

DE CONIVGIO.

FAtemur coniugiũ esse genus vitæ diuinitus institutũ & approbatũ, & esse Mysterium, hoc est, vt vulgò exponi solet, Sacramẽtum magnum in Christo & Ecclesia, sicut Paulus ait.

Et quia Christus palàm affirmat, coniugium pertinere ad hoc præsens seculum, administratio autem rerum huius seculi constat politicis legibus, recta & probabili ratione constitutis: idcirco docemus, quòd liceat coniugium inire in his gradibus consanguinitatis, & affinitatis, quos politicæ leges, quæ sunt diuinæ ordinationes, permittunt.

Docemus etiam, quòd iuuenes non debeãt temerè, sine parentum suorum auctoritate coniugium inire, & quòd coniugiũ temerario & illegitimo iuuenum consensu, absq; eorum, in quorum potestate sunt, autoritate contractum, nondum habendum sit ratum: Etsi enim nonnulli casus sunt, in quibus licitum est cõ

iugium

lugium absq; parentum consensu contrahere, tamen nõ videtur faciẽda generalis regula, quòd quiuis iuuenum consensus faciat contractum matrimonij ratum, & clandestina matrimonia simpliciter sint approbata. Non solùm enim diuinum præceptũ exigit, vt liberi honorent parentes suos, verùm etiam naturalis ratio iubet, in contrahendo matrimonio consensum parentum requirere. Huc vocantur etiam liberi legibus politicis: & extat decretum Pontificis Euaristi, cuius hæc verba scribuntur: Aliter legitimum, vt à Patribus accepimus, & à sanctis Apostolis eorumque successoribus traditum inuenimus, non fit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus propinquioribus sponsetur.

Præterea nõ dubitamus, quin, qui sunt veræ honestatis amãtes, sentiãt coniugiũ non tantùm laicis, vt vocant, verũ etiã ministris Ecclesiæ liberum esse, Dicit. n. Epistola ad Hebræos, Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus.

Et Paulus probat coniugium in Episcopo, & affirmat prohibitionẽ cõiugij esse Spiritum erroris, & doctrinam dæmoniorũ. Etsi. n. hoc Pauli dictũ exponi solet de Tacianis & Encratitis, qui coniugium nihil à scortatione differre sentiebant: Tamen cùm coniugium prohibetur in decretis Pontificijs, prohibetur ijs rationibus, quibus cõiugium non in vno tantùm hominũ genere, sed in vniuersum damnatur. Allegatur enim illud Leuitici, Sancti estote, quia ego sanctus sum, & illud Pauli, Non in cubilibus aclasciuijs, & iterum, Qui in carne sunt, Deo placere nõ possunt. Cùm autem hæc Scripturæ dicta ad omnes pertineant, certè arcerent omnes pios à coniugio, si rectè ad prohibendum Sacerdotibus coniugium, accommodarentur. Sed speramus bonos quosque viros, de coniugio honestiùs sentire, & quod in Ecclesia ipsa probant, in ministris eius non improbare: Præsertim cùm manifesta sint exempla recentis & adhuc purioris Ecclesiæ, in qua, & Apostolis, qui fuit summus gradus in Ecclesia, & Episcopis licuit habere vxores. Hoc autem ita intelligẽdum existimamus, quòd ministris Ecclesiæ non solùm licuerit coniugio ante ordinationem inito, vti: verùm etiam coniugium post ordinationem inire: Cuius sententiæ haud obscura argumenta extant.

Nec

Nec obstare debet votum castitatis, propterea quòd tale votum humana superstitione, sine auctoritate verbi Dei, & contra fidem susceptum, non agnoscatur à Deo, & in coniugio sua quoque sit castitas, vt, qui, cùm antea castitatem vouerit, vxorẽ in DOMINO ducit, castitatis votum verè adimpleat.

Cùm igitur manifestum sit verbum DEI de honestate coniugij, manifesta sint exempla Apostolorum & Episcoporum recentis Ecclesiæ, manifesta sit imbecillitas humanæ naturæ, manifesta sint pericula cœlibatus, manifesta sint offendicula, quæ præbent impuri Sacerdotes: omnino futurum speramus, vt hi, qui ad gubernacula Ecclesiæ sedent, non pergant hanc de coniugio Sacerdotum constitutionem, seueriter tueri & propugnare, sed clementer interpretari. Sic enim fiet, vt & minora & pauciora in Ecclesia sint offendicula, & multorum optimorum virorum conscientijs succurratur.

Speramus etiam futurum, vt optimi quique Episcopi & Principes permittant ijs, qui ab adulteris suis coniugibus, legitimo diuortio separati sunt, ea iterum contrahendi in Domino coniugij libertate vti, quam concessit ijs filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, Matth. 5. & 19.

DE EXTREMA VNCTIONE.

FAtemur Apostolos vnxisse ægros oleo, qui & corporalem sanitatem consecuti sunt.

Fatemur etiam Epistolam quæ inscribitur Iacobo, iubere Presbyteros Ecclesiæ ad ægrotos vocari, vt vngant eos oleo, & orent pro ipsis ad consequendam sanitatem.

Sed hæc tum vtiliter exercebantur, cùm ministri Ecclesiæ adhuc ornati erant dono ægrotos corporaliter & admirabiliter sanandi: Postquam autem hoc donum, confirmato Euangelio in Ecclesia, desijt, res ipsa testatur, hanc vnctionis ceremoniam odiosè nunc & inutiliter vsurpari: Qui enim nunc vnguntur, nõ solent ex hac vnctione corporalem sanitatem consequi, imò hæc vnctio non solet adhiberi, nisi his, de quorum corporali vita desperatum est. Nec extat vllum verbum Dei, quod promittat, diuulgato Euangelio Christi externam vnctionem valere ad delẽda peccata, & ad conferendam spiritualem ac cœlestem sanitatem.

Nihilo-

Nihilominus tamen officium exigit, vt ministri Ecclesiæ ægrotos visitent, ac orent vnà cum Ecclesia pro salute eorum, & consolentur ipsos tam prædicatione Euangelij, quàm dispensatione Cœnæ Dominicæ. Hæc est verè pia vnctio, qua Spiritus sanctus efficax est in credentibus.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

NOn est dubium, quin memoria eorum sanctorum, qui, cùm essent in hac corporali vita, Ecclesiam vel doctrina, vel scriptis, vel miraculis, vel exemplis iuuerunt, & siue martyrio testificati sunt veritatem Euangelij, siue tranquillo mortis genere, in Christo obdormierunt, debeat apud omnes pios sacrosancta esse: & commendandi sint Ecclesiæ, vt doctrina & exemplis ipsorum in vera fide confirmemur, & ad sectandam veram pietatem inflammemur.

Fatemur etiam, quòd Sancti in cœlis suo quodam modo pro nobis coram Deo orent, sicut & Angeli pro nobis sunt solliciti, & omnes creaturæ pro salute nostra cœlesti quodam modo ingemiscũt, & nobiscum, quemadmodum Paulus loquitur, parturiunt.

Sed sicut ex gemitu reliquarum creaturarum non est instituendus cultus inuocandi eas, ita ex oratione Sanctorum in cœlis, non est approbandus cultus inuocandi eos: de his enim inuocandis nullum extat in sacris literis vel mandatum, vel exemplũ. Cùm enim omnis spes salutis nostræ collocata sit non in Sanctis, sed in solo DOMINO Deo nostro, per filium eius Iesum Christũ: manifestum est, quòd non Sancti, sed solus Deus sit inuocandus. Quomodo inuocabunt, inquit Paulus, in quem non credunt? Non est autem in Sanctos credendum, Quomodo igitur essent inuocandi?

Et cùm necesse sit, vt, qui inuocatur, sit scrutator cordis, nõ debent Sancti inuocari, quia non sunt cordis scrutatores.

Epiphanius contra Collyridianos.

Reuera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus: reuera virgo erat ipsa virgo, & honorata, non autem proposita est

ad

ad adorationem, sed ipsa adorans eum qui carne genitus est ex ea.

Augustin. de vera relig. cap. vltimo.

Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si piè vixerint, non sic habentur, vt tales quærant honores, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminati lætantur, meriti sui nos esse conseruos. Honorandi igitur sunt propter imitationem, nō adorandi propter religionem.

Et iterum ibidem.

Honoramus eos charitate, non seruitute. Nec ijs templa construimus, nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos, cùm boni sumus, templa summi Dei esse nouerunt.

Ac rursus de Ciuit. Dei, lib. 8. cap. 27.

Nec tamen nos ijsdem martyribus templa, Sacerdotia, Sacra & Sacrificia constituimus, cùm non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus, &c. Martyribus nostris neque Sacerdotes instituimus, neque offerimus Sacrificia.

Ambrosius ad Rom. cap. 1.

Solent misera vti excusatione dicentes, per ipsos posse iri ad Deum, sicut per comites peruenitur ad Regem, Age nunquid tam demens est aliquis & salutis suæ immemor, vt honorificentiā Regis vendicet comiti? &c. Et mox. Isti non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conseruos adorant.

At enim non adoramus, inquiunt, sanctos, sed tantùm petimus orationibus eorum apud Deum iuuari. Sic autem petere, quemadmodum cultus Litaniarum ostendit, & vulgo vsitatum est, nihil aliud est, quàm inuocare & adorare sanctos. Talis enim petitio exigit, vt is, qui rogatur, sit vbique præsens, & exaudiat petitionem. Hæc autem maiestas soli Deo competit, & si tribuitur creaturæ, creatura adoratur.

Fingunt quidam sanctos videre in verbo Dei, quæ Deus promittit, & quæ nobis vtilia videntur. Quod etsi diuinæ maiestati non est impossibile, tamen Iesaias manifestè affirmat, Abraham nesci-

nescire nos, & Israël ignorare nos, vbi glossa ordinaria citat Augustinum dicentem, Quòd mortui, etiam sancti, nesciunt quid agant viui, &c.

Nam quod veteres scriptores vertunt se aliquoties precibus suis ad sanctos, isti aut vulgi errorem, sine exacto iudicio, simpliciter secuti sunt, aut vsi sunt tali forma loquendi, non vt cultu Theologico, sed vt figura Grammatica, quam Prosopopœiam vocant, qua homines pij & diserti non significant se colere & inuocare sanctos, sed exprimere inenarrabilem illum gemitum sanctorum & omnium creaturarum pro nostra salute: & significant pias preces, quas sancti in hoc seculo, è spiritu sancto, coram Deo effuderunt, adhuc in auribus Dei sonare, sicut & sanguis Abel post mortem eius ad Deum vociferabatur, & in Apocalypsi clamant animæ sanctorum interfectorum, vt sanguis ipsorum vindicetur, non quòd iam in DOMINO acquiescentes, cupidi sint vindictæ humano more, sed quòd DOMINVS, etiam post mortem ipsorum, memor sit precum, quas, dum adhuc in hac terra viuerent, pro sua & totius Ecclesiæ salute effuderunt.

Epiphanius contra Arrium, etsi & ipse nonnihil hæret in communi errore, tamen perspicuè docet, sanctorum in Ecclesia mentionem fieri, non vt inuocentur, sed potiùs vt non inuocentur, ne Christo in honore æquentur. Mentionem, inquit, facimus iustorum Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Confessorum, Episcoporum, & Anachoretarum, & totius agminis, vt Dominum Iesum Christum separemus ab hominum agmine, per honorem, quem ipsi exhibemus, & vt præstemus ei cultum, quo sentire nos significemus quòd Dominus non sit æquandus vlli hominum, etiamsi vnusquisque eorum millies, aut vltrà in iusticia existat.

DE MEMORIA DEFVNCTORVM.

ETsi reipsa idem est, Sanctus in Christo quiescens, & fidelis defunctus, Omnis enim qui in fide Christi hac vita defungitur, sanctus est: Tamen quia libuit nonnullis discrimen inter hos ponere, visum est & nobis duo diuersa capita de his adscribere.

Ac pri-

Ac primùm sentimus, piæ mentis esse, maiorum suorum in fide Christi defunctorum, honestam mentionem facere, & gratitudinem ijs beneficijs, quæ ab ipsis accepimus, debitam erga posteros & amicos eorum adhuc superstites, quibus possumus officijs, declarare.

Deinde exigit fides, vt sentiamus, mortuos non esse nihil, sed verè coram Deo viuere, pios quidem in Christo feliciter, impios verò in horribili expectatione reuelationis diuini iudicij.

Exigit etiam charitas, vt optemus defunctis omnẽ in Christo tranquillitatem & felicitatem.

Accedit & hoc, quòd debeamus defunctos nostros honestè sepulturæ, quoad eius fieri potest, & tempus ac hominum conditiones ferunt, ad testificandam spem resurrectionis nostræ, mãdare. Itaque iudicamus vtile esse, vt in funeribus ea è sacris literis recitentur, & explicentur, quæ ad corroborandam fidem in horrore mortis, & ad confirmandam spem resurrectionis, conducunt.

Sed quòd mortui iuuentur vsitatis illis vigilijs, precationibus & sacrificijs, ac meritis horum, aut è pœnis liberentur, aut maiorem felicitatem in cœlis consequantur, nullum extat testimonium verè Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ. Vnum enim tantùm est meritum æternæ vitæ, vna sola est redemtio & liberatio nostra, videlicet passio & mors DOMINI nostri Iesu Christi. Et hoc meritum fit nostrum, cùm credimus in Christum: fit autem à nobis alienum, cùm Euangelio Christi non credimus.

Ioh. 3. Non misit Deus filium in mundum, vt condemnet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non condemnatur: Qui autem non credit, iam condemnatus est, quia non credit in nomen vnigeniti filij Dei.

Quare si quis ex hac vita in fide Christi excesserit, omne habet meritum Christi, nec indiget alieno: Deus enim qui donat filium suum, donat etiam cum eo omnia, vt Paulus ait. Qui autem hinc emigrauerit sine Christo, nullis potest hominum meritis iuuari, quia sine Christo nulla est salus.

Cyprianus contra Demetr. tract. 1.

Quando istinc discessum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus: hic vita aut amittitur, aut tene-

tenetur: hîc saluti æternę, cultu Dei, & fructu fidei prouidetur.

Hieronymus in Epistolam ad Gal. cap. 6.

Obscurè licet, docemur per hanc sententiolam, nouum dogma, quod latitat, dum in præsenti seculo sumus, siue orationibus, siue consilijs, posse nos inuicem coadiuuare. Cùm autem ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, nec Noe, rogare posse pro quoquam, sed vnumquenque portare onus suum.

Nam quod ex Machabæis citatur, sacrificia pro peccatis mortuorum esse oblata, dubitat auctor ipse libri in fine eius, num rectè scripserit, & precatur veniam si ubi errauerit. Demus ergo ei veniam, quòd sine vlla diuinæ scripturæ autoritate affirmet, mortuos solui à peccatis, sacrificijs & orationibus viuorum.

Et Tertullianus dicit, oblationes pro defunctis annua die fieri; Sed hoc aut receptum fuit sine auctoritate verbi Dei, ex moribus Ethnicorum, sicut multa alia: aut nomine oblationis intelligenda est publica commemoratio defunctorum in fide Christi, & gratiarum actio pro beneficijs, quæ Deus in ipsos contulerit.

DE PVRGATORIO.

ETsi dubitari non debet, quin suus sit sanctis, in hac vita, purgatorius ignis, quemadmodum testantur exempla Dauidis, Ezechiæ, Ionæ, & aliorum: tamen haud immeritò dubitatur, Num post hanc vitam tale sit purgatorium, quale vulgus hominum putat, in quo animæ tantisper crucientur, dum vel supplicio satis pro peccato faciant, vel indulgentijs redimantur.

Si enim tale est purgatorium, valde mirandum videtur, quòd nec Prophetica nec Apostolica scripta, aliquid certi & perspicui de eo tradiderint, sed potiùs diuersum haud obscurè doceant.

Marci vltimo, Prædicate Euangelion omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui nō crediderit, condemnabitur.

Hîc ponuntur duo ordines hominum, vnus eorum, qui

credunt Euangelio; & hi pronunciantur salui: alter eorum, qui non credunt Euangelio; & hi pronunciantur damnati. Inter hos non est aliud medium: Aut enim excedis ex hac vita in fide Iesu Christi; tunc habes remissionem omnium peccatorum, propter Christum, & imputatur tibi iusticia Christi: Quare qui Christo comitatus in mortem ingreditur, ei nihil deest ad consequendam veram & æternam vitam, Qui autem hinc sine Christo egreditur, emigrat in perpetuas tenebras.

Ac si, præter hos duos ordines, alius esset tertius quispiam status animarum in altero seculo, certè Paulus, qui ad Paradisum & in tertium cœlum raptus erat, & multa arcana viderat, non inuidisset Ecclesiæ hanc cognitionem. Ecce autem, cùm ad Thes. salonicenses ex professo de Christianis dormientibus scriberet, nullam prorsus facit mentionem alicuius purgatorij: sed iubet potiùs, ne contristemur, sicut cæteri, qui spem non habent. Itaque si talis quispiam esset animarum status, in altero seculo, qualem vulgus cogitat, non potuisset Paulus teneri, quò minùs loco tam oportuno, hunc animarum statum perspicuè explicasset, & Ecclesiæ rationem præscripsisset, qua posset animas miseras, à cruciatu suo liberare.

Sed & vetus & verè Catholica Ecclesia apertè significauit, sibi de hoc tertio genere status animarum, in altero sæculo, nihil constare.

Chrysostomus in concione secunda de Lazaro.

Si quid cui rapuisti, redde & dicito iuxta Zachæum, do quadruplum si quid rapui; si cui factus es inimicus, recõciliare, priusquam veneris ad iudicium: omnia hîc dissolue, vt citra molestiam illud videas tribunal. Donec hîc fuerimus, spes habemus præclaras: simulatque verò discesserimus illac, non est postea situm in nobis pœnitere neque commissa diluere. Et iterum. Neque enim, qui in præsenti vita peccata non abluerit, postea consolationem aliquam inuenturus est.

Augustinus etsi ponit inter valde bonos & valde malos, medios quosdam, quorum alteris videtur locum purgatorium assignare, tamen de ea re aliâs dubitat, nec quicquam certi definit. De hac igitur sententia Augustini sciendum erit, quod ipse exigit,

git, videlicet vt id recipiamus, quod vel autoritate Scripturæ, vel probabili ratione, confirmatum fuerit. Manifestum autem est, quòd, quæ dicta Scripturæ ad stabiliendum purgatorium, citari solent, à genuino sensu, ad alienum torqueantur, & ab ipsis etiam veteribus interpretibus longè aliter exponantur. Et quas Augustinus habet sententiæ suæ rationes, hoc fundamento niti videntur, quòd consequamur remissionem peccatorum & vitam non tantùm propter Christum per fidem, sed etiam propter merita nostrorum operum. Sed quàm conueniat hoc cum vera Apostolica doctrina, suprà indicauimus. Quare arbitramur hanc theoriam de purgatorio suis auctoribus relinquendam esse, & hoc maximè omnium agendum, vt, quod Paulus monet, confirmemus nos inuicem sermonibus de certa spe resurrectionis, & salutis nostræ in Christo Iesu, propter quem Deus credentibus ita fauet, vt conseruet ipsos in media morte, & donet eos vera tranquillitate.

DE VOTIS MONASTICIS.

NOn est dubium, quin vota pia, iusta & legitima sint seruanda ac soluenda, & vota impia sint rescindenda.

Sed haud immeritò disputatur, in quo votorum genere collocanda sint vota monachorum, de virginitate seu cœlibatu, paupertate, & obedientia.

Nam manifestum est quòd cœlibatus non sit verbo Dei præceptus: Manifestum etiam est, quòd, etsi cœlibum status sit in publicis periculis tranquillior, & ad peragenda publica ministeria Ecclesiæ, his, qui non vruntur, aptior & accommodatior: tamen non est sentiendum, quòd hoc genus vitæ, per se sit coram tribunali Dei excellentius & sanctius quàm coniugium.

Sicut enim in Christo non est Iudæus, neq; Græcus, non seruus, neq; liber, vt Paulus ait: ita in Christo nec est cœlebs, nec maritus. Et quemadmodum in Christo Iesu circumcisio nihil est, præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei, & noua creatura: ita & cœlibatus nihil est, coniugium nihil est, sed in Christo Iesu renatũ esse, & Christi vocationi obedire. In Concilio Gangrensi extat Canon, Si quis, inquiens, ex his, qui virginitatẽ, propter Dominum seruant, extollitur aduersus coniugatos, anathema sit. Et alius canõ dicit: Si quis virorũ, propter continentiã, quę putatur,

amictu pallij vtitur, quasi per hoc habere se iusticiam credens, & despicit eos, qui cum reuerentia birris, & alijs communibus & solitis vtuntur, anathema sit. August. de bono coniug. cap. 21. non audet virginitatem Baptistæ, præferre coniugio Abrahæ.

Quare qui vouet virginitatem vel cœlibatum, aut vouet eum, vt singularem cultum Dei; Tunc, quia status cœlibum non est verbo Dei mandatus, pertinet hoc votum ad mandata hominum, de quibus Christus dicit, Frustra colunt me, docentes doctrinas, præcepta hominum: Aut vouet eum, vt meritum remissionis peccatorum, & vitæ æternę; tunc est manifestè impium votum, cui nullus est obnoxius.

Nihilò rectius est paupertatem vouere. Aut enim conditione pauper es, & nihil terrenarum facultatum possides: tunc hæc crux diuinitus tibi imposita, patienter est ferenda: quam si præterea voues, nihil aliud facis, quàm si in morbo voueas, te perpetuò ægrotaturum, vel in infamia, te perpetuò fore infamem. Quod genus voti furor magis est, quàm pietas. Aut possides facultates, & voues te, ijs relictis, acturum vitam pauperem, vt victum quæras mendicitate, & consequaris, huius voti merito, vitam æternam: tunc hoc votum primùm quidem pugnat cum charitate proximi, quæ exigit, ne cui sis, præter necessitatem, mendicimonio molestus: deinde pugnat cum fide in Christum, quòd is solus sit meritum æternæ vitæ. Manifestum igitur est, hoc genus voti esse illegitimum & impium.

Facultates autem tuas sic deserere, vt eas in commune conferas, non est paupertatem sectari, sed de certiori & copiosiori victu tibi prospicere. Qui qualis sit coram Deo cultus, obscurum esse non potest.

Obedientia verò aut refertur ad Deum; tunc non est arbitrarij voti, sed debitæ necessitatis, de qua obedientia dicitur, Melior est obedientia, quàm victimæ: Aut refertur ad hominem; tunc sua sunt obedientiæ officia: quæ subditus Magistratui, liberi parentibus, serui dominis, discipuli præceptoribus debent. Hæc siue voueantur, siue non voueantur, certè diuinitus exiguntur, sed hac conditione, vt Deo semper magis obediamus, quàm hominibus.

Vouere autem homini obedientiam sine certa vocatione Dei, vt operibus talis obedientiæ, nõ solùm præstes Deo singula-

rem

rem cultum, sed etiam expies coram Deo peccata tua, superuacaneum est, quia Christus dicit, frustra se coli humanis traditionibus: & impium, quia solius Christi obedientia, quã præstitit Deo patri suo, expiauit peccata nostra, & reconciliauit nos Deo.

Ex his omnibus manifestum est, quòd genus vouendi cœlibatus, paupertatis & obedientiæ, non consentiat cum doctrina verè Catholica, præsertim cùm quidam non sint veriti hoc vouendi genus æquare baptismo.

DE HORIS CANONICIS.

AVgustinus scribit alicubi, Ambrosium Episcopum Mediolanensem instituisse, vt cœtꝰ Ecclesiæ cantaret Psalmos, quibus sese mutuò in expectatione malorum consolarentur, & ad ferendam crucẽ excusciterent, ne populus, inquit, mœroris tędio contabesceret. Hic cantus quia factus est lingua vulgo nota, & habuit pium vsum, commendatione dignissimus erat. Et ex decretis Canonicis apparet, Horas, quas vocant, Canonicas, fuisse ordinationes temporum, quibus percurrenda esset publicè, singulis annis, vniuersa Sacra Scriptura, quemadmodum in scholis suæ solent horæ explicationibus auctorum constitui. Talis horarum distributio fuit fortasse suo tempore non inutilis, & per se non est damnanda: sed instituere singulare genus Sacerdotum, ad cantandas horas Canonicas, & canere eas aliena lingua, quæ vulgo Ecclesiæ non sit nota, aut vernacula: & quidem alicubi noctu diuq;, sine vlla intermissione, succedentibus subinde sibi alijs atq; alijs Cantoribus: ac facere hoc sacrum, non vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus, quemadmodum Paulus ait, sed vt merito huius operis mitiges iram Dei & expies peccata hominum coram Deo: hoc demum pugnat cum sententia verè Catholicæ Ecclesiæ.

1. Corinth. 14. Cùm conuenitis, vnusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsin habet, linguam habet, interpretationẽ habet: OMNIA AD AEDIFICATIONEM fiant.

Hieronym. in Epist. ad Eph. cap. 5.

Cantantes & psallentes in cordibus vestris **Domino**. Au-

diant hæc adoleſcentuli, audiant hi, quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt: Deo non voce, ſed corde pſallendum, nec in tragœdiarum modum, guttur & fauces dulci medicamine collinendas.

Quod autem iam dictum eſt, de vſu linguæ vulgo notæ: intelligendum eſt, non tantùm de cantu Pſalmorum, ſed etiam de omnibus partibus Eccleſiaſtici miniſterij: Sicut enim conciones & precationes lingua Eccleſiæ nota habendæ ſunt: ita & Sacramenta noto ſermone diſpenſanda ſunt. Etſi enim licebit aliquoties peregrina lingua propter ſtudioſos vti, tamen conſenſus Catholicæ Eccleſiæ hoc exigit, vt neceſſaria miniſteria Eccleſiæ fiant ſermone vernaculo.

1. Corinth. 14. In Eccleſia volo quinque verba mente mea loqui, vt & alios inſtituam, potiùs quàm decem millia verborum lingua.

Innocentius tertius de off. iud. ord. c. quoniam.

Quoniam in pleriſque partibus infra eandem ciuitatem atque diœceſin permixti ſunt populi diuerſarum linguarum, habentes ſub vna fide, varios ritus & mores: diſtrictè præcipimus, vt pontifices huiuſmodi ciuitatum ſiue diœceſium, prouideant viros idoneos, qui ſecundum diuerſitates rituum & linguarum, diuina illis officia celebrent, Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrent, inſtruendo eos verbo pariter & exemplo.

Quare piè & Catholicè facere dicendi ſunt hi, qui diſpenſationem Sacramentorum, Carmina Pſalmorum, & Lectiones ſacræ Scripturæ ſic conſtituunt, vt Eccleſia intelligat, quod dicitur, legitur & canitur, & fructum Spiritus ad conſolandam mentem, & confirmandam fidem, ac excitandam charitatem capiat.

DE IEIVNIO.

IEiunium habet ſuam laudem & vſum. Non eſt autem nobis nunc ſermo vel de neceſſario ieiunio, cùm neceſſe habes obinopiam cibi ieiunare, vel de allegorico ieiunio, quod eſt, ab omnibus vicijs abſtinere: Sed eſt ſermo de duobus vſitatis generibus ieiunij, quorum aliud eſt ieiunium perpetuum, (Hęc eſt Sobrietas,

brietas, quæ semper toto vitæ tempore in cibo & potu seruanda est: Nunquam enim licet helluari, & crapulam ac ebrietatem sectari:) Aliud est ieiunium diarium, cùm aliquoties toto die abstinetur à cibo, quale vsitatum fuit in Veteri Testamento, Leuit. 16. Et testantur exempla Iosaphat, Niniuitarum, & alia. Hoc genus ieiunij, receptum est etiam in vsum, post diuulgationem Euangelij, vt apparet ex Actis Apostolicis, cap. 13. & 14.

Secuta autem est postea magna varietas obseruationis id genus ieiunij in Ecclesijs. Sed hæc varietas sicut non attulit Ecclesiæ vllum incommodum, ita testificata est libertatem vsus huius ieiunij. Et extat apud veteres obseruabile dictum, de hac varietate ieiuniorum, inquiunt, discrepantia non rumpit fidei consonantiam.

Etsi autem nonnulli sentiunt, Christum dedicasse exemplo suo ieiunium Quadragesimale, tamen manifestum est, quòd Christus non mandauerit hoc ieiunium, nec rerum natura ferat, vt exemplum ieiunij Christi, qui totis 40. diebus & noctibus ab omni cibo & potu abstinuit, imitemur.

Et non obscurè significat Eusebius, vsum huius quadragesimalis ieiunij fuisse in Ecclesia liberrimum.

Dicit & Chrysostom. in Genes. cap. 2. hom. 11.

Si ieiunare non potes, potes tamen abstinere à delictis; hoc autem nō minimum est, nec à ieiunio multum distans, sed ipsum quoque diaboli furorem prosternere idoneum.

Nec erat institutus delectus ciborum, quòd Apostolus dixisset mundis omnia esse munda.

Sed in talium ieiuniorum obseruatione maximè omnium considerandus est finis. Veteres ieiunarunt aliquoties totis diebus, vt vacarent publicæ precationi, & hac disciplina admonerēt Ecclesiam suam, ac præsertim iuuentutem de præteritis vel de præsentibus, vel de imminentibus periculis, ac excitarent eam ad agendam pœnitentiam, qua ira Dei mitigaretur. Hic est pius & vtilis horum ieiuniorum finis.

Alij ieiunant, vt merito huius operis, expient peccata coram Deo, vel, sicut nonnulli loquuntur, applicent sibi ieiunio suo meritum Christi. Sed hic finis omnino refutandus est:

Primùm enim sola mors Christi, est expiatio peccatorum nostrorum, Deinde ieiunium non est in hunc vsum ordinatum, vt sit opus, quo applicetur nobis meritum Christi.

Aut enim ieiunium coniunctum est cum vera pœnitentia; tunc meritum Christi applicatum est pœnitenti per fidem, quæ est præcipua pars pœnitentiæ, antequam suscipiat vel perficiat ieiunium: Aut ieiunium est sine pœnitentia, tunc est in conspectu Dei abominandum, tantum abest, vt applicet ieiunanti meritum Christi.

Iesai. 58. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? nunquid contorquere quasi circulum caput suum?

Augustin. Epistol. 86. ad Lasulanum.

Ego in Euangelicis & Apostolicis literis, totoque Instrumento, quod appellant Testamentum Nouum, animo id reuoluēs, video præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, vel quibus oporteat, præcepto DOMINI vel Apostolorum non video definitum. At per hoc sentio, non quidem ad obtinendum, quam FIDES obtinet IVSTITIAM, in qua est pulchritudo filiæ regis intrinsecus.

Chrysostomus, tom. 4. de ieiunio quadragesimali, hom. 73.

Si quotidie huc conuenimus, ac totam ieiunamus quadragesimam, & non MVTAMVS vitam in melius, maioris damnationis occasio nobis fieret.

Ex his manifestum est, quòd sentire, ieiunium esse opus, quo vel peccata coram Deo expientur, vel meritum Christi applicetur, nec sit Apostolicum, nec Catholicum.

DE CONSECRATIONE AQVAE, SALIS, VINI, HERBARVM ET Aliarum rerum.

AGnoscimus in Veteri Testamento diuinitus fuisse institutam aquam aspersionis, qua Leuiticæ immundiciæ purgabantur.

Agnosci-

Agnoscimus etiam miraculum, quo Propheta Elizæus sanauit sterilesaquas Iericho,iniecto sale.

Et amplectimur, quod Paulus ad Timotheum scribens, Omnis,inquit,creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbū Dei & precationem.

Sed vt consecretur in Nouo Testamento Aqua, quam vocant, benedicta, cuius aspersione deleantur peccata venialia, & pellantur dæmones, & consecretur etiam Sal, qui faciat res alioquinoxias,salutares: non videtur nec Apostolicum, nec Catholicum esse. Nam imitatio Leuiticæaspersionis & miraculi Elizæi, non est verbo Domini mandata,sed humano arbitrio vsitata. Pertinetigiturad hoc dictum Christi: Frustra colunt me docētes doctrinasmandata hominum. Et manifestum est,quòd aspersio sanguinis Christi, quæ fit per verbum Euangelij, per Baptismum,per Cœnam Dominicam, excipiturautem per fidem, emundet nos à peccatis. Quod igitur est solius sanguinis Christi, diuina ordinatione pro peccatis nostris effusi, hoc non debet tribui aquæ, humana ordinatione consecratæ.

Quòd autem Elizæus sanauit aquas steriles sale, proponiturnobis admirandum, vt confirmemus ex eo fidem, quam debemus Propheticæ concioni adhibere, non proponitur nobis, sine certa vocatione Dei imitandum: Propterea,quòd miracula Sanctorum non solcant esse generalia, sed personalia.

Quod autem Paulus dicit, creaturas sanctificari verbo Dei & precatione, nō sentit creaturas,exempli gratia,salem, carnem, oua,herbas,esse exorcizandas, vt vsu eorum fugetur Satan: Sed quòd omnes creaturæ sint verbo Dei,in suum quæque externum vsum, ordinatæ, quæ nobis tum in bonum cedunt, cùm ipsis ex fide & inuocatione Dei rectè vtimur. Sic creauit Deus salem, ad condiendum cibum, & ad conseruandam carnem à putrefactione, aquam ad potum, aut lauationem, aut rigationem, non ad fugandum Dæmonem. Ordinauit quidem in Baptismo aquam ad abluenda peccata, hæc autem non est generalis creatio Dei, sed specialis ordinatio, certo verbo Dei definita. Nam quantum attinet ad generalem Dei creationem & sanctificationem, non extat verbum Dei, quod testificetur creaturas, quas antè commemorauimus, exorcismis ad hoc vtiles fieri, vt deleant peccata, &

fugent Dæmones. Quod autem suscipitur sine verbo Dei, in alienum à diuina ordinatione vsum, nō potest fieri ex fide, sed fit abusus, & adfert magis perniciem quàm salutem.

Rom. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est.

Cyprian. Epist. 3. lib. 2.

Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid prior Christus, qui ante omnes est, fecerit: Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.

DE SACRA SCRIPTVRA.

SAcram Scripturam vocamus, eos Canonicos libros, Veteris & Noui Testamenti, de quorum auctoritate in Ecclesia nunquam dubitatum est.

Hanc Scripturam credimus & cōfitemur esse oraculum Spiritus sancti, cœlestibus testimonijs ita confirmatum, vt, si angelus de cœlo aliud prædicauerit, anathema sit: Quare detestamur omnem doctrinam, cultum, & religionem, pugnantem cū hac Scriptura.

Sed quòd nonnulli sentiunt, in hac Scriptura non cōtineri omnem doctrinam, nobis ad veram & perpetuam salutem cognitu necessariam: & ius interpretandæ huius Scripturæ, in potestate summorum pontificum ita situm esse, vt, quod hi pro suo arbitrio pronunciant, amplectendum sit pro sententia Spiritus sancti, videtur faciliùs posse dici quàm probari.

2. Timot. 3. Omnis Scriptura diuinitus inspirata est vtilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

Iohan. 15. Vos dixi amicos, quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota vobis feci. Quæ autem Apostoli acceperunt à Christo, ea vulgauerunt prædicatione sua in toto orbe terrarū, & tradiderunt ea posteritati scriptis suis. Manifestum igitur est, quòd omnia, quæ ad salutem cognitu necessaria sunt, in scriptis Propheticis & Apostolicis contineantur.

Chryso-

Chryſoſtom. ad Titum, homil. 1.

Manifeſtauit temporibus ſuis verbum ſuum in prædicatione quæ credita eſt mihi. Hæc eſt prædicatio: omnia enim Euangelion continet, & præſentia & futura, honorem, pietatem, fidem, ſimul omnia prædicationis verbo concluſit.

Hieronymus ad Titum, cap. 1.

Sine auctoritate Scripturarum garrulitas non habet fidem.

Auguſt. ſuper Ioan. cap. 11. tract. 49.

Nam cùm Dominus Ieſus multa feciſſet, non omnia ſcripta ſunt, ſicut idem ipſe ſanctus Euangeliſta teſtatur, multa Dominum Chriſtum & feciſſe & dixiſſe, quæ ſcripta non ſunt. Electa autem ſunt quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur.

Nam quòd aiunt, ius interpretandæ Scripturæ eſſe penes ſummos Pontifices, non eſt obſcurum, quòd donum interpretandæ Scripturæ non ſit humanæ prudentiæ, ſed ſancti Spiritus. Vnicuique, inquit Paulus, datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem: Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, &c. Spiritus ſanctus autem eſt liberrimus, nec eſt ad certum genus hominum alligatus, ſed diſtribuit dona hominibus, pro ſuo ipſius beneplacito.

Numer. 11. Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det ijs omnibus Spiritum ſuum?

Iud. 4. Debora mulier, vxor Lapidoth, excitatur in Prophetã.

Amos 7. Non ſum Propheta, & non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros, &c. Et tamen Amos accepit Spiritum ſanctum, & factus eſt Propheta.

1. Corinth. 12. Hæc omnia operatur vnus & idem Spiritus, diſtribuens vnicuique prout vult.

Teſtantur etiam exempla, quòd ſummi Pontifices ſæpè ac multum fœdè errauerint.

Quare donum interpretandæ Scripturæ, non eſt in ordinẽ ſummorum Pontificum ita concludendum, vt, quiſquis Pontifex fuerit, Scripturam rectè interpretetur. Sed vera ſentẽtia Scripturæ quærenda eſt in ipſa Scriptura, & apud eos, qui diuino Spiritu excitati, Scripturam per Scripturam interpretantur.

DE

DE SVMMO PONTIFICE.

SVnt, qui tribuunt Romano Pontifici, quòd sit caput vniuersalis Ecclesiæ, & habeat potestatem non in terris tantùm, constituendi regna Politica, & gubernandi Ecclesiastica, verùm etiam in cœlis, mandandi angelis, liberandi animas è purgatorio, & beandi aut liberandi quoslibet.

Nos autem agnoscimus, quòd, siquidem Romanus Pontifex fuerit vir pius, & docuerit Euangelion Christi, iuxta Prophetica & Apostolica scripta, habeat ministerium summæ in terra potestatis, videlicet ministerium remittendi & retinendi peccata, quo ministerio, non est in his terris, nec maius, nec excellentius.

Habet autem hoc ministerium non solus, sed habet commune cum omnibus ijs, qui legitima vocatione annunciant Euangelion Christi: ministerium enim remittendi aut retinēdi peccata, quod aliâs vocatur Claues regni cœlorum, non est liberæ potestati personæ hominum traditum: sed est in ipsum Euangelij verbum ita inclusum, vt, quotquot Euangelion annunciant, dicantur verè peccata remittere, & retinere, illud quidem his, qui Euangelion fide accipiunt, **hoc autem his**, qui Euangelion contemnunt.

Marci vltimo: Prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.

Hilarius de Trinit. lib. 6.

Petro reuelauit Pater vt diceret, Tu es filius Dei: super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est: hæc fides Ecclesiæ est fundamentum, hæc fides regni cœlestis habet claues, **hæc fides quæ in terra soluerit vel ligauerit, ea ligata sunt in cœlis & soluta.**

Chrysostomus.

Clauicularij sunt Sacerdotes, quibus creditum est verbum docendi & interpretandi Scripturas. Clauis autem est verbum scientiæ Scripturarum, per quam aperitur hominibus ianua veritatis.

Augustſ.

Auguſt. de doctrina Chriſtiana, lib. 1. cap. 18.

Has claues dedit Eccleſiæ ſuæ, vt, quæ ſolueret in terra, ſoluta eſſent in cœlis, quæ ligaret in terris, ligata eſſent in cœlis: ſcilicet vt, quiſquis in Eccleſia eius dimitti ſibi peccata non crederet, non ei dimitterentur: quiſquis autem crederet, ſeque ab his correctus auerteret, in euſdem Eccleſiæ gremio conſtitutus eadem fide atque correctione ſanaretur.

Ambroſius.

Peccata per verbum dimittuntur, cuius interpres ſeu expoſitor eſt Leuita.

Bernhard. in Epiſt. ad Eug.

Verus ſucceſſor Pauli dicet cum Paulo: Non quòd dominemur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij. Petri hæres audiet Petrum dicentem, neque vt dominantes in clerum, ſed forma facti gregis.

Thomas in ſumma ſua, part. 3. in addit. q. 6. Art. 6.

Quia Eccleſia fundatur in fide & in Sacramentis: Ideò ad miniſtros Eccleſiæ, nouos articulos fidei edere, aut editos remouere, aut noua Sacramenta inſtituere, aut inſtituta remouere, nõ pertinet: ſed hoc eſt poteſtatis excellentiæ, quæ ſoli debetur Chriſto, quæ eſt Eccleſiæ fundamentum. Et ideo ſicut Papa non poteſt diſpenſare, vt aliquis ſine baptiſmo ſaluetur: ita nec quod ſaluetur ſine confeſſione, ſecundum quod obligat vi Sacramenti.

Etſi autem Thomas ſuas habet opiniones de confeſſione, tamen hoc, quod dixit, ad miniſtros Eccleſiæ (inter quos etiam Papam numerat) non pertinere, nouos articulos fidei condere, & noua Sacramenta inſtituere, verè eſt Apoſtolica & Catholica ſententia. Nam ad miniſtros Eccleſiæ non pertinet ex vocatione Chriſti, aliud miniſterium, quàm quod ſuprà, de remittendis & retinẽdis peccatis, commemorauimus, & quo Apoſtoli ipſi functi ſunt: Quòd ſi præter hoc miniſterium aliquid amplius Romano Pontifici tribuitur, hoc aut conceditur ei humanis ordinationibus, aut confictum eſt à Monachis & adulatoribus contra verbi Dei auctoritatem.

De

DE ECCLESIA.

I.

CRedimus & confitemur, quòd vna sit sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia, iuxta Symbolon Apostolorum & Nicenum.

II.

Quòd hæc Ecclesia à Spiritu sancto ita gubernetur, vt, etsi sinit eam in his terris esse imbecillem, conseruet tamen eam perpetuò, ne vel erroribus vel peccatis pereat.

III.

Quòd huic Ecclesiæ in hac terra multi mali & hypocritæ admixti sint.

IIII.

Quòd hi mali & hypocritæ, si ministerium Ecclesiæ legitima vocatione susceperint, veritati Sacramentorum per se nihil incommodi afferant, nisi institutionem Christi peruertant, & impia doceant.

V.

Quòd in hac Ecclesia sit vera peccatorum remissio.

VI.

Quòd hæc Ecclesia habeat ius testificandi de sacra Scriptura.

VII.

Quòd hæc Ecclesia habeat ius iudicandi de omnibus doctrinis, iuxta illud, Probate Spiritus, num ex Deo sint: &, Cæteri iudicent.

VIII.

Quòd hæc Ecclesia habeat ius interpretandæ Scripturæ.

Sed

Sed vbi hæc Ecclesia sit quærenda? & an iura eius sint certis terminis circumscripta? alij aliter sentiunt.

Arbitramur tamen auctoritate sacræ Scripturæ & veterum Patrum, sentiendum esse, verè Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, non ad vnum certum locum, aut gentem, nec ad vnum certum hominum genus, alligatam esse: Sed in eo esse loco aut gente, vbi Euangelion Christi sincerè prædicatur, & Sacramenta eius rectè, iuxta institutionem Christi, administrantur.

Iohan. 10. Scriptum est: Ego dixi, Dij estis. Illos dixit Deos ad quos factus est sermo Dei, &c. Ergo ibi est populus seu Ecclesia Dei, vbi sermo Dei prædicatur.

Iohan. 15. Iam vos mundi estis, propter sermonem, quem locutus sum vobis: Sermo igitur Christi, qui est Euangelion, demonstrat, vbi sit Ecclesia, quæ coram Deo sit munda.

Rom. 1. Euangelion est potestas Dei ad salutem omni credenti. Vbi igitur est Euangelion, quod agnoscitur fide, ibi Deus habet Ecclesiam, in qua est efficax, ad æternam salutem.

Chrysost. in comment. in Euang. Matth. cap. 24. Hom. 49.

Quare hoc tempore omnes Christiani conferre se ad Scripturas debent, quia ex tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, nequerefugium potest esse Christianorum aliud, volentiũ cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturæ diuinæ.

Et postea.

Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas?

August. Tom. 2. Epist. 166.

In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam: has Scripturas communiter habemus, quare non in ijs, & Christum & Ecclesiam communiter retinemus?

Et iterum Tom. 7. in Epist. contra Epistol. Petiliani Donatistæ, cap. 2. 3. & 4.

Inter nos & Donatistas quæstio est, vbi sit Ecclesia. Quid ergo facturi sumus? in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui, Domini nostri Iesu CHRISTI? puto, quòd in illius potiùs

potiùs verbis quærere debemus, qui veritas est, & optimè nouit corpus suum.

Quòd autem affirmatur, Ecclesiam habere ius testificandi de sacra Scriptura, interpretandi Scripturam, & iudicandi de omnibus doctrinis, non sic intelligendum est, quòd Ecclesia habeat liberam potestatem quiduis statuendi, ac etiamsi libeat mutandi Scripturam, & fingendi nouam doctrinam, ac instituendi nouos cultus Dei: Sed quòd Ecclesia, vt sponsa Christi, agnoscat vocem sponsi sui, & acceperit à sponso suo certam regulam, Propheticam videlicet & Apostolicam prædicationem, cœlestibus miraculis confirmatam, iuxta quod debeat obscura, si quæ videtur, loca Scripturæ interpretari, & de doctrinis iudicare.

Psal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Rom. 12. Habentes dona iuxta gratiam datam nobis, varia, siue Prophetiam, iuxta analogiam fidei.

1. Petr. 1. Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui cùm attenditis, ceu lucernæ, apparenti in obscuro loco, rectè facitis, &c.

Origenes, in Ierem. Homil. 1.

Necesse est nobis Scripturas sanctas in testimonium vocare, sensus quippe nostri & enarrationes, sine his testibus, non habent fidem.

Hiero. in Matth. 23.

Quod sine autoritate Scripturæ dicitur, eadem auctoritate contemnitur, qua dicitur.

August. de nupt. & concupisc. lib. 2. cap. 23.

Ita controuersia iudicem quærit, iudicet ergo Christus, & cui rei mors eius profecerit, ipse dicat. Hic est, inquit, sanguis meus.

Et mox.

Iudicet cum illo & Apostolus, quia & in Apostolo ipse loquitur Christus, clamat & dicit de Deo patre, qui proprio filio, &c.

Quare Ecclesia sic habet auctoritatem iudicandi de doctrinis,

nis, vt tamen contineant se intra metas sacræ Scripturæ, quæ est vox sponsi sui, à qua voce nulli, ne angelo quidē fas est recedere.

DE CONCILIIS.

FAtemur sua debere esse in Ecclesia de dogmatis & doctrinis iudicia, & magnam esse legitimorum Conciliorum auctoritatem.

Sed longè omnium maxima sit autoritas verbi Dei, necesse est. Etsi enim Ecclesia habet certam promissionem perpetuæ præsentiæ Christi, & gubernatur à Spiritu sancto, tamen non quiuis hominum cœtus, pro vera Ecclesia haberi potest: Et vt maximè multi aliquoties in nomine Christi cōuenire vidētur, tamē pauci sunt electi, & nō est omniū fides. Et quod in Politicis, idē in Ecclesiasticis cœtib⁹ fieri solet, vt plerunq; maior pars vincat meliorē.

Huc accedit, quòd Spiritus sanctus non faciat populum suum ἀναμάρτητον, hoc est, impeccabilē, sed relinquat in ipso multas & varias imbecillitates.

Testantur quoque exempla, non Pontifices tantùm, sed etiam Concilia errasse.

Quare postquā Prophetica & Apostolica doctrina diuinit⁹ confirmata est, nullius vel hominis vel hominum cœtus sentētia simpliciter pro oraculo Spiritus sancti, sine iudicio recipiēda est: sed exigenda ad normā doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, vt, cum hac cōuenit, agnoscatur: quod cum hac pugnat, refutetur.

Galat. 1. Si nos, aut Angelus de cœlo, prædicauerit vobis Euangelium, præter id, quod prædicauimus vobis, anathema sit.

1. Iohan. 4. Nolite cuiuis Spiritui credere, sed probate Spiritus, num ex Deo sint.

1. Thess. 5. Omnia probate, quod bonum est, tenete.

Augustin. contra Maximium Ariano. Episc. lib. 3. cap. 14.

Sed nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præiudicaturus, proferre Concilium, nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumcunque proprijs, sed vtrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione vtrique, &c.

Panormitanus in c. significasti, ext. de electio.

In concernentibus fidem, etiam dictum vnius priuati, esset præferendum Papæ, si ille moueretur melioribus autoritatibus Noui & Veteris Testamenti, quàm Papa.

Gerson parte 1. de examinatione doctrinarum.

Prima veritas staret, quòd aliquis simplex non autorizatus, esset tam excellenter in sacris literis eruditus, quòd plus esset credendum in casu doctrinali, siue assertioni, quàm Papæ declarationi. Constat enim, plus esse credendum Euangelio, quàm Papæ: Si doceat igitur talis eruditus veritatem aliquam in Euangelio contineri, vbi & Papa nesciret, vel vltrò erraret, patet cuius sit præferendum iudicium.

Et mox.

Talis eruditus deberet in casu, si & dum celebraretur generale Concilium, cui & ipse præsens esset, illi se opponere, si sentiret maiorem partem ad oppositum Euangelij, malitia vel ignorantia, declinare.

DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

COram cano capite, inquit Scriptura, assurge, & personã senis venerare. Veneramur igitur canitiem maiorum nostrorum, qui iam inde ab initio reuelati, & propagati Euangelij, in orbe terrarum, susceperunt studium iuuandæ Ecclesiæ, non solùm vocali prædicatione, sed etiam publicis scriptis, vt posteritas habeat, ab Apostolicis temporibus vsque ad hæc tempora, manifesta & certa piæ doctrinæ testimonia.

Horum autem scripta sic amplectimur, quemadmodum & sacra Scriptura permittit nobis humana autoritate vti, & sua ipsi scripta agnosci voluerunt.

Iob. 12. (Vos amici dicitis) quòd in antiquis sit sapiẽtia, & in multo tempore prudẽtia (Ego autem dico vobis) apud ipsum (videlicet DOMINVM Deum nostrum) & sapientia & fortitudo, ipse habet consilium, & intelligentiam.

1. Corint.

1.Corinth.14. Prophetæ duo aut tres loquantur, cæteri dijudicent.

1.Thess.5. Omnia probate, quod bonum est, tenete.

Tertull. de præscript. Hæreticorum.

Nobis nihil licet ex nostro arbitrio inducere, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus autores, qui nec ipsi quicquam de suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed accceptam à Christo fideliter disciplinam, nationibus assignarunt.

August. in Epist. ad Fortunat. dist. 8.

Neque quorumlibet disputationes, quanquam Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis nō liceat, salua honorificētia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in scriptis eorū improbare, atq; respuere, si forte inuenerimus, quòd aliter senserint, quā veritas habet, diuino adiutorio ab alijs intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales ego volo esse intellectores meorum.

Et iterum in Proœm. lib. 3. de Trinit.

Noli meis literis quasi Canonicis Scripturis inseruire: sed in illis, & quod non credebas, cùm inueneris, incunctanter crede, in istis autem, quod certum habebas, nisi certum intellexeris, noli firmè tenere.

Ac rursus ad Vincent. lib. 2.

Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio & nulla temeritate culpari.

Et iterum in Epist. ad Hieron.

Ego solis ijs scriptoribus, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, &c.

Ac mox.

Alios autem ita lego, vt, quantalibet sanctitate, quantáue doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt,

runt, sed quia mihi per alios autores, vel per Canonicas, vel probabiles rationes, quæ à vero non abhorreant, persuadere potuerunt.

Et aliâs de vnico Baptis. in Epistol. ad Vincent.

Quis nesciat sanctam Scripturam, &c. Noli frater contra diuina, tam multa, &c. Nam hi loci, vel ex ipsis Pontificum decretis noti sunt.

DE CEREMONIIS ECCLESIASTICIS.

AGnoscimus à Christo filio Dei duas ceremonias in Ecclesia institutas esse, Baptismum & Cœnam Dominicam, quæ & iuxta institutionem Christi necessariò sunt obseruandæ.

Fatemur etiam, Apostolos instituisse quasdam ordinationes in Ecclesia, vt omnia decenter & secundum ordinem, sicut Paulus loquitur, fierent: quales sunt quæ describuntur, 1. Corin. 14. & 1. Timoth. 2.

Vsurparunt quoque Apostoli in designandis ministris Ecclesiæ, impositionem manuum, quæ retenta ex consuetudine veteris legis, non autem mandata Ecclesiæ, liberè seruari potest.

Instituerunt etiam in Actis Apostolicis, vt gentes cauerent ab esu suffocatorum & sanguinis: non vt hæc obseruatio intergentes esset perpetua, sed temporalis, & tantisper duratura, dum hic esus non esset ampliùs offendiculum.

Fatemur & hoc, quòd Episcopis liceat cum Ecclesiæ suæ consensu, ordinationes dierum festorum, & lectionum, seu concionum, ad ædificationem & eruditionem veræ fidei in Christum, instituere.

Sed non licet obtrudere Ecclesiæ ritus veteris legis, p sacro diuino, quo Deus singulariter per se colatur. Nec licet vel veteres ritus legis restaurare, vel nouos comminisci ad adumbrandi veritatem, Euangelio iam patefactam & illustratam: quales sunt, interdiu accendere cereos, ad significandam lucem Euangelij, aut vti vexillis & crucib. ad significandā victoriā Christi per crucē: Quod genus est vniuersa panoplia vestium Missaliū, quam aiunt adumbrare totam passionem Christi, & multa id genus alia.

Multò

Multò minùs licet instituere ceremonias aut sacra, quorũ meritis expientur peccata, & accipiatur regnum cœleste.

Nam de priori illo genere ceremoniarum, & sacrorum, Christus ex Iesaia concionatur: Frustra, inquit, colunt me, docẽtes doctrinas, præcepta hominum. Et Paulus: Ne quis vos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, &c. His accedunt testimonia Augustini, & aliorum, de libera talium ceremoniarum obseruatione.

De posteriori autem genere ceremoniarum manifestum est, quòd sint impia sacra, & contumelioſa in mortem & resurrectiõnem Christi, cuius solius merito habemus expiationem peccatorum, & hæreditatem æternæ vitæ, per fidem.

REcensuimus, quæ videntur in doctrina Ecclesiastica, & in vniuersa Ecclesiæ administratione, tum probanda, tum refutanda, aut emendanda: Ac si quid breuiùs, aut obscuriùs, quàm res tanta postulet, dictum est, recipiunt se concionatores nostri, copiosiùs & magis perspicuè explicaturos.

Quod reliquum est, oramus per Iesum Christum, filium Dei, vnicum seruatorem nostrum, omnes pios, vt, quod ipsos sua sponte facere speramus, pro suo quisque officio & vocatione, verum ac serium instaurandæ Ecclesiæ studium suscipiat.

Negari non potest, quin hactenus multis annis non solùm disciplina Ecclesiæ collapsa sit, ac mores eius magnis ac horribilibus vitijs conspurcati sint, ac à maiorum nostrorum honestate plurimum degenerauerint, verùm etiam doctrina Ecclesiæ intolerandis corruptelis deprauata fuerit: Quæ si deinceps aut dissimulantur, aut confirmantur, cogitare quisque, vel mediocri præditus prudentia, potest, quanta mala sint in Ecclesia Domini secutura.

Notæ sunt diræ maledictiones, quibus diuina lex violatores verbi Dei deuouet. Et Iosias rex Iudæ, in instauranda Ecclesia, planè heroico animo præditus, etsi inuento & perspecto libro legis, pia sua pœnitentia & obedientia, iram Dei ita mitigabat, vt supplicia, quæ tunc Ecclesia Dei, neglectione verbi eius, & impietate, merita erat, in aliud tempus reijcerentur, ea tamen fuit seueritas Dei aduersus contemtores verbi sui & impœnitentes, vt rex, quantumuis pius, non potuerit eam prorsus è medio tol-

lere & placare. Existimamus autem iram Dei his temporibus, propter tot horrendas impietates, propter tot infanda scelera & offendicula, quæ in populo ipso, qui Dei nomine gloriatur, manifestiora sunt, quàm vt negari, & illustriora sunt, quàm vt excusari queant, non minùs, imò multò grauiùs, aduersus cœtum Ecclesiæ suæ inflammatam & accensam esse, quàm olim, cùm Filius Dei nondum esset per Euangelion suum orbi patefactus: Ac tantò seuerius erit iudicium Dei, quantò maiora sunt beneficia, quæ & superioribus & his præsentibus temporibus in ingratos contulisse videtur.

Sed cùm alia multa in Ecclesia & ministerio eius correctione indigent, tum præcipuè doctrina de pœnitentia, iustificatione, vsus item Sacramentorum, & cœlibatus ministrorum Ecclesiæ, piam exigunt emendationem. Hæc si iuxta Prophetica & Apostolica scripta, ac iuxta verè Catholicum veteris & purioris Ecclesiæ consensum, beneficio Dei, & diligentia & cura optimorũ quorumque virorum restituta fuerit, non solùm præstabitur cultus Deo patri Domini nostri Iesu Christi gratissimꝰ, verùm etiam vniuersus Christianus orbis excitabitur, vt, quibus possit officijs, gratitudinem & obedientiam suam sit declaraturus. Nos quidem non sumus de nostris Concionatoribus alicuius erroris, vel in doctrina vel in reliqua Ecclesiæ administratione conscij, attamẽ non dubitamus, eos tanta pietate & modestia præditos, quin, si testimonijs cœlestis doctrinæ, & vero consensu Catholicæ Ecclesiæ, admoniti fuerint, ædificationi Ecclesiæ haudquaquam sint defuturi. Quod autem in nobis & in nostra est gubernatione, summam dabimus operam, vt adiuuante diuina clementia, nihil eorum officiorum à nobis prætermittatur, quibus speramus veram Ecclesiæ tranquillitatem, & salutem in Iesu Christo, filio Dei, conseruari posse.

CON-

CONFESSIO DOCTRINAE SAXONICARVM ECCLESIARVM,

SCRIPTA ANNO DOMINI M. D. LI.

VT SYNODO TRIDENTINÆ

EXHIBERETVR.

M. D. LXXVIII.

CONFESSIO SAXONICA.

NEcesse est interrogatos recitare doctrinam, præsertim cùm accusantur Ecclesiæ, quòd vel errore falsa dogmata sparserint aut receperint: vel petulātia moueant seditiones, & à cōmuni cōsensu temere discedant propter ambitionem, odia, auaritiam, cupiditatem vindictæ, aut alios prauos affectus. Itaq; & nos iussi, verè & bona fide, iterum recitabimus doctrinam in Ecclesijs nostris sonantem: quam etsi alij magis, alij minùs eruditè aut perspicuè tradunt, tamen sine discordia in fundamento omnes pastores in Ecclesijs nostris amplectuntur.

Quanquam autem scimus periculosam esse veritatis confessionem: tamen propter multas honestas causas eam nō grauatim repetimus: Primùm, quia, cùm multa falsa crimina apud Reges, & apud exteras nationes in nos conferantur, & odia contra nos varijs calumnijs accensa sint, hæc commemoratio mendacia illa refutabit, & aliquorum iracundiam lenier: Deinde sæpius repetere veram doctrinæ explicationem, Deo gratum est: & aliqui cognitis fontibus ad veritatem inuitantur.

Necesse est nos etiam ad posteros relinquere publica testimonia, digna fide, opposita falsis criminationibus, ne posteritas de nobis secus iudicet: & vt aliqui his nostris testimonijs commonefacti, veritatem inquirant, & in veris sententijs confirmentur.

Speramus etiam eos, qui considerabunt historiæ seriem, & initia horum certaminū, intellecturos esse, nos nec errore, nec vlla praua cupiditate hanc doctrinam amplexos esse, & tueri.

Nullum maius scelus est, quàm agnitæ veritati aduersari, sic vt scriptum est: Blasphemia spiritus non remittetur.

Nos igitur cùm audiuissemus perspicuam veritatem de rebus necessarijs, de pœnitentia, de Fide accipiente remissionem peccatorum, de lege, de gratia, de vera inuocatione, de discrimine verorum & falsorum cultuum, de vsu Sacramentorum, & alijs necessarijs doctrinæ partibus: assentiri, & Deo gratias agere pro hoc immenso beneficio oportuit, quòd reddita Euangelij luce, plures ad se conuertit.

Cùm enim scriptum sit, Pater sanctifica eos in veritate tua, Sermo tuus est veritas: Ecclesia colligitur non falsis opinionibus & superstitionibus, sed incorrupta Euangelij voce. Itaque si constabit, genus doctrinæ, quod amplexi sumus, verũ & necessarium esse Ecclesiæ, non sophisticum, non seditiosum: non existimemur aut errore lapsi, aut curiositate, aut odio disciplinæ, ac leuitate, & licentiæ dulcedine, aut alijs prauis cupiditatibus impulsi, vt nouis opinionibus applauderemus.

Initium autem his disputationibus præbuit contentio de indulgentijs, quas cùm monachus Tecelius in his regionibus venales circumferret, & in earum præconijs multa tetra mendacia scurrili impudẽtia spargeret, officij ratio pios doctores cogebat, hos furores taxare & reprimere.

Edidit igitur D. Lutherus propositiones piè & modestè scriptas, ad erudiendas & commonefaciendas Ecclesias de tota doctrina pœnitentiæ. Hîc pugnare Tecelius incepit, non solùm clamosis concionibus, & suorum satellitum scriptis, sed etiam fulminibus condemnationum & excommunicationum.

Ac citò ex Germania Romam perlata est fama horum certaminum, & duos statim belli socios habuit Tecelius: Romæ Magistrum Palatij, & in Germania Eccium, qui Leonis bullã Roma attulit. Lutherus, quia veritatis defensionem abijcere nõ potuit, & tot modis irritabatur, edidit Defensiones copiosè scriptas, in quibus, vt causarum magnitudo & varietas poscebat, de multis partibus doctrinæ Ecclesiasticæ dici necesse fuit.

Cùm igitur multi errores & abusus in Ecclesia multis iam seculis hæreant, quos multi docti & pij etiam ante hæc tempora & deplorarunt & taxauerunt, fieri non potuit, quin hi errores & abusus reprehenderentur, cùm de fontibus harum controuersiarum dicendum esset.

Quanquam autem & fuerunt, & sunt, & erunt dissimilia hominum iudicia: tamen res ostendit, Deum voluisse depulsis tenebris apud multos restituere ministerium Euangelij, & veram inuocationem, & hac repurgatione doctrinæ passim sibi æternam Ecclesiam colligere. Neq; verò dici potest, nullos fuisse aut esse errores in doctrina & traditionibus aduersariorum.

Maximè necessarium est in Ecclesia extare doctrinam de POENITENTIA, & de FIDE accipiente remissionẽ peccatorum incor-

incorruptam & perspicuam. Manifestum est autem, de hac præcipua parte doctrinæ Ecclesiasticæ, multos pernicioſos errores & labyrinthos tradi & confirmari ab aduersarijs. Extant enim libri, qui inde vsque à trecentis annis in multorum manibus sunt.

Quanta contumelia est aduersus filium Dei, quòd dicunt homines mereri remissionem peccatorum proprijs operibus, & iustos esse impletione legis? Deinde cumulāt errores: Cùm nemo sciat, quando satis habeat operum, iubent homines perpetuò dubitare, an habeant remissionem peccatorum, & an placeant Deo.

Hîc de Mediatore Filio Dei, & de fide accipiente gratuitam remissionem peccatorum, & vincente dubitationem, silentium est in aduersariorum scriptis. Hi errores prorsus Ethnica somnia sunt, & complectuntur aliud magnum chaos errorum.

Fingunt deprauationem in natura humana, quæ nominatur mala concupiscentia, non esse peccatum: id est, non esse malum pugnans cum lege Dei. Fingunt obedientiam, quæ præstari potest in hac vitą, esse impletionem legis, & hominem hac impletione legis coram Deo iustum esse. Postea in doctrina pœnitentiæ finxerunt inextricabilia deliramenta, oportere contritionem sufficientem esse, & hanc mereri gratiam.

De confessione flagitant enumerationem singulorum delictorum, quæ est carnificina coæscientiarum, impediens fidem & inuocationem.

Nomen satisfactionum non intellectum, falsò transtulerunt ad compensationes pro peccatis: & finxerunt opera non debita cultus Dei esse, & compensationes.

Postea res ad quæstum translata est. Excogitatæ sunt indulgentiæ, ne ab ipsis quidem intellectæ, qui venales circumferebāt. Et hæ præstigiæ obscurabant doctrinam de filio Dei, de vera conuersione, de fide, de inuocatione, de veris cultibus.

Erat ignota tota hæc consolatio, necessaria omnibus, quomodo conuersus ad Deum sit iustus, & placeat Deo: qua de re in scriptis Monachorum leguntur tantùm Pharisaicæ opiniones, nec ostenditur discrimen iusticiæ fidei & disciplinæ.

Prætera in multis regionibus aut silent conciones ferè toto anno, aut si quæ fiunt, plenæ sunt vanitatis. Non enim continent doctrinā de beneficijs filij Dei: sed indocti recitant fabulosas historias de sanctis, aut superstitiosas nænias traditionū, doctiores osten-

ostentant philosophiam: nunc vtrique, docti & indocti, tantùm conuiciantur Lutheranis, & damnant incognita.

Præterea intueantur oculi ea quæ fiunt in ipsorum templis. Omnia plena sunt inuocatione mortuorum hominum. In multis locis adhuc prostrati ad statuas, inuocant alij alia numina, & alijs de causis: Ab Anna petuntur diuitiæ, vt à Iunone: à Georgio victoriæ, vt à Marte: denique ab alijs alia. Hi furores manifestè contumelioſi sunt contra Deum. Quantum manifestæ turpitudinis oritur ex lege de cœlibatu? Quàm multi homines tot seculis, alioqui amantes virtutem, polluti sunt horrendis peccatis, propter hoc vinculum, qui tandem desperatione & æternis pœnis oppressi sunt.

Vita monastica plena est falsarum opinionum & superstitionum, & multæ bonæ mentes pereũt ibi, ignorantes Euangelium, & implicitæ laqueis stultarum & impiarum traditionum. Ita & in reliqua Ecclesia, multę falsę opiniones de humanis traditionib. à Monachis & sparsæ sunt antea, & nunc confirmantur, quę fidem, inuocationem, & veros cultus alios à Deo mandatos obscurant.

In templis etiam palàm cernitur multiplex prophanatio Cœnæ Domini, quam summa reuerentia administrari oportuit. Leguntur Missas, & offerunt, vt loquuntur, plurimi sacrificuli, prorsus ignorantes quid agant. Tantùm consuetudini obtemperant aut seruiunt ventri.

Alij superstitioſi, qui plus cogitant de hoc suo opere, fingunt se opus facere toti Ecclesiæ necessarium, quod mereatur facienti & alijs remissionem peccatorum. Postea fit aucupium maximi quæstus, fiunt sacrificia pro mortuis. Et templa magis occupata sunt funerum ceremonijs, quàm voce concionum, aut exercitijs viuentium.

Nec populus rectè docetur apud aduersarios de vsu Sacramenti: quia docent monachi, sumentes ex opere operato, vt loquuntur, accipere remissionem peccatorum. Et vna pars Sacramenti populo adimitur: altera pars etiam extra vsum institutum circumfertur, & adoratur contra rationem Sacramenti: & additæ sunt falsæ opiniones multæ. Nihil dicunt hîc de iusticia fidei, & de vero vsu Sacramentorum: quæ non sunt merita, sed testimonia confirmantia fidem, vt suo loco dicemus.

Hos morbos in Ecclesia si quis aut dissimulare, aut excusare vult,

vult, facit iniustè: & inter eos est, quibus dicitur: Væ vobis, qui dicitis malum bonum, &c. Sunt enim publicè noti omnibus, non fascinatis tetra hypocrisi.

Diximus pauca de erroribus doctrinæ, & cultuum. Iam & Episcoporum aulæ aspiciantur, vbi non de communibus aularum vicijs & miserijs querimur, quales sunt in omnibus etiam paruis familijs, sed de neglectione præcipuorum officiorum, quæ sunt, ordinatio ministrorum, inspectio Ecclesiarum, gubernatio studiorum doctrinæ, cura disciplinæ, legitima dijudicatio controuersiarum coniugalium. Hæ summæ res initio commendatæ fuerunt Episcopis, quas ferè vbiq; ab eis negligi manifestum est. Intenebræ, idola, disciplinæ laxatio peruaserunt in Ecclesiam, Episcopis negligentibus sui muneris officia. Nunc magis negligunt, quàm antea: & addunt tyrannidem aduersus homines innocentes, vt idola & impias leges stabiliant.

Est & omnibus doctis nota vanitas constitutionum & opinionum, quę tribuunt Romano Episcopo etiam autoritatem regiam: qua opinione inflati Pontifices, sæpe magna bella accenderunt.

Non igitur nobis obijci potest, nos falsò queri de Ecclesiastica gubernatione, & seditiosè aduersari gubernatoribus, sine iustis causis: ac nos potiùs serere nouas & pernicioſas opiniones.

Multi enim tetri errores, & multi abusus adeò manifesti sunt, vt facilimè agnosci & iudicari ab omnibus communi sensu præditis possint. In talibus cùm regulæ seruandæ sint, Non habebis deos alienos: Item, Blasphemia spiritus non remittitur: Item, Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit: necesse est nos dissentire ab ijs, qui mendacia & idola stabiliunt, & sonare nostram confessionem: qua in re & intra iustas metas mansimus. Fideliter vniuersam Ecclesiæ doctrinam, inquisitis fontibus, tradidimus, & tantùm docendo eam propagauimus: Non fuimus tubæ seditionum: Imò scriptis Lutheri magis illustrata & ornata est politica potestas, quàm vllis scriptis aliorum post Apostolos.

Vt autem antea in multis scriptis, sine vlla ambiguitate simpliciter recitauimus doctrinam & ceremonias Ecclesiarum nostrarum, ita & nunc eandem commemorationem, sine ambiguitate & sine corruptelis exhibemus: in qua satis cōspicient omnes

verè

verè iudicantes hoc tempore, & ad posteros, nos fideliter retinere consensum Ecclesiæ Catholicæ Domini nostri IESV Christi, & illustrare doctrinam necessariam ad agnitionem Filij Dei, & ad salutem hominum: & non mouere curiosas aut inutiles quæstiones. Et offerimus nos ad piam declarationem, in quacunque parte flagitabitur.

DE DOCTRINA.

CVm certissimum sit, Deum sibi in genere humano, propter Filium, & per eum, colligere æternam Ecclesiam voce doctrinæ, quæ scripta est in libris Prophetarum & Apostolorum: affirmamus clarè coram Deo & vniuersa Ecclesia in cœlo & in terra, nos vera fide amplecti omnia scripta Prophetarum & Apostolorum: & quidem in hac natiua sententia, quæ expressa est in Symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano.

Et hæc ipsa Symbola, & eorum natiuam sententiam sine corruptelis semper constanter amplexi sumus, &, Deo iuuante, perpetuò amplectemur. Et in hac fide verum Deum, qui se patefecit in Ecclesia sua misso Filio, & additis illustribus testimonijs, inuocamus, coniuncta precatione nostra cum omnibus sanctis in cœlo & in terra.

Et extant nostræ enarrationes in Symbola, comprehendentes totum doctrinæ corpus & fundamentū, quæ ostendunt hanc nostram asseuerationem verissimam esse.

Damnamus etiam constantissimè omnes furores, qui pugnant cum Symbolis: vt sunt Ethnicorum, Iudæorum, Mahometistarum, Marcionis, Manichæorum, Samosateni, Serueti, Arij, Pneumatomachorum portentosæ opiniones, & aliæ, condemnatæ veris Ecclesiæ iudicijs.

Cùm autem controuersiæ, quæ exortæ sunt, præcipuè pertineant ad duos articulos Symboli, videlicet ad articulum, CREDO remissionem peccatorum: Item, CREDO Ecclesiam sanctam catholicam, ostendemus fontes harum controuersiarum: Quibus consideratis, intelligi poterit, nostras declarationes ipsam Euangelij vocem esse, & ab Aduersarijs corruptelas in Ecclesia sparsas esse. Ac primùm de articulo.

Cre-

Hic multæ & magnæ corruptelæ affinguntur ab Aduersarijs: Credo, imò dubito, inquiunt: Item. Tunc credam, cùm satis habebo meritorum: Item nō dicunt, Credo remissionem propter filium Dei certò dari gratis, non propter nostra vlla merita, aut vllam dignitatē nostram: Item non rectè enarrant peccatum, & fingunt hominem legi Dei satisfacere posse, & legis impletione iustum esse corā Deo in hac vita. Ideo primùm de peccato, & de causa peccati, fideliter retinemus doctrinam veræ Ecclesiæ Dei.

Cùm Essentia diuina sit vnica, æternus Pater, coæternus Filius imago Patris, & coæternus Spiritus Sanctus, à Patre & Filio procedens, immensæ sapientiæ, potentiæ, bonitatis, verax, iusta, benefica, casta, liberrima, sicut ipsa describit sese in lege sua: & condiderit angelos & homines ideo, vt suam lucem, sapientiam & bonitatem in omni æternitate eis communicaret, & vt essent templa Dei, in quibus Deus habitaret, vt esset Deus omnia in omnibus, vt Paulus loquitur: condidit initio eos bonos & iustos, id est, congruentes cum mente & voluntate diuina, & placentes ipsi, ac dona attribuit, videlicet illustrem noticiam de Deo, & de voluntate eius, vt intelligerent se conditos esse à Deo, & ad obedientiam ipsi præstandam attribuit & libertatem voluntatis, vt nominant: & reuera voluit obedientiam, sicut scriptum est, Psal. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. Sed diaboli & homines libertate suæ voluntatis abusi, defecerunt à Deo, & hac inobedientia facti sunt rei iræ Dei, & amiserunt rectitudinem, in qua conditi erant.

Itaque libera voluntas in diabolis & hominibus causa fuit eius lapsus, non voluntas Dei, qui nec vult peccatum, nec approbat, nec adiuuat, sicut scriptum est: Cùm mendacium loquitur diabolus, ex proprio loquitur, & pater est mendacij. Et 1. Ioan. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat.

Est autem peccatum, quicquid est contrarium iustitiæ Dei, quæ est ordo in mente diuina, quem & postea sua voce in Lege & in Euangelio expressit: siue sit inobedientia originalis, siue actualis, propter quam & rea est persona iræ Dei, & damnatur æterna pœna, nisi fiat remissio in hac vita propter Filium mediatorem.

Damna-

Damnamus etiam furores Marcionis, Manichæorum, & similes, pugnantes cum vero consensu Ecclesiæ Dei in hac tota quæstione.

DE PECCATO ORIGINIS.

DE peccato originis perspicuè etiam affirmamus, nos retinere consensum veræ Ecclesiæ Dei inde vsq; à primis patribus, Prophetis, Apostolis, & ab Apostolorum discipulis, vsque ad Augustinum & deinceps traditum: & expressè damnamus Pelagium, & omnes qui similia deliramenta Pelagianorum in Ecclesiam sparserunt. Ac dicimus, omnes homines post lapsum primorum parentum, qui nascuntur ex commistione maris & fœminæ, nascentes secum afferre peccatum originis, sicut Paulus inquit Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & Ephes. 2. Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.

Nec nobis displicet definitio vsitata, dextrè intellecta: Peccatum originis est carentia iusticiæ originalis debitæ inesse: quia iusticia originalis non tantùm fuit acceptatio generis humani coram Deo, sed etiam in ipsa natura hominum lux in mente, qua firmiter assentiri verbo Dei poterat: & conuersio voluntatis ad Deum, & obedientia cordis congruens cum iudicio legis Dei, quæ menti insita erat. Ac fuisset homo templum Dei, vt antea dictum est.

Hæc omnia complexam esse iusticiam originis, potest ex hoc dicto intelligi: Homo conditus est ad imaginem & similitudinẽ Dei, Quod interpretatur Paulus, inquiens: Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iusticia & sanctitate vera: vbi certè intelligit sanctitatem veram, omnes virtutes fulgentes in natura nostra diuinitus, non arte ascitas, aut disciplina comparatas: vt nunc vmbræ virtutum qualescunque sunt in hominibus ascitæ, quia tunc Deus habitans in homine rexisset eum. Cùm autem consideratur, quid significet iusticia originalis, deinde minùs obscura est opposita priuatio.

Est itaque peccatum originis, & propter lapsum primorum parentum, & propter hanc deprauationẽ, quæ lapsum secuta est, nascentes reos esse iræ Dei, & dignos æterna damnatione, nisi fiat remissio propter mediatorem. Et hæc deprauatio est, carere iam luce

luce Dei, seu præsentia Dei, quæ in nobis fulsisset: & est auersio voluntatis nostræ à Deo, & contumacia cordis repugnans legi mentis, vt Paulus loquitur: & hominem non esse templum Dei, sed miseram massam, sine Deo, & sine iusticia.

Hos defectus, & hanc totam deprauationem, dicimus esse peccatum, non tantùm pœnam peccati, & rem indifferentem, sicut multi Sententiarij dicunt, hæc mala tantùm pœnam esse, & rem indifferentem, & non peccatum: & extenuant malum originis, & fingunt postea, homines posse legi Dei satisfacere, & propria legis impletione iustos esse.

Vitandæ sunt in Ecclesia ambiguitates. Ideo expressè nominamus hæc mala deprauationem, quæ sæpe nominatur ab antiquis scriptoribus mala concupiscentia.

Discernimus autem appetitiones in natura conditas, à confusione ordinis, quæ post lapsum accessit, sicut Ierem. 17. dicitur: Prauum est cor hominis: & Paulus inquit, Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum. Hanc malam concupiscentiam dicimus esse peccatum: & affirmamus hanc totam doctrinam de peccato, sicut in Ecclesijs nostris proponitur & declaratur, perpetuũ esse veræ Ecclesiæ Dei consensum.

DE REMISSIONE PECCATORVM, ET DE IVSTIFICATIONE.

Dictum est suprà, has cõtrouersias pertinere ad explicationem duorum articulorum Symboli: Credo remissionem peccatorum: & Credo Ecclesiam sanctam catholicam. Nec de rebus non necessarijs aut leuibus dicimus. Maximè necessarium est, in Ecclesia rectè proponi doctrinam de peccato, & intelligi, quid sit peccatum, & conspici discrimen inter iudicia politica & iudicium Dei.

Cùm autem non rectè ostendant aduersarij, quid sit peccatum, vt iam dictum est, confirmant malam securitatem in hominibus, & multas falsas opiniones. Postea etiam quid est tristius, quàm hoc summum beneficium, remissionem peccatorum, & liberationem à morte æterna, vel obscurare, vel ignorare? Cumque nec discrimen sit inter Ecclesiam & alios homines, extincta luce de gratuita remissione peccatorum propter filium, & de fide, qua

remissionẽ accipi oportet, nec consolatio alia sit, retrahens nos ex morte æterna, nec inuocatio vera sine hac consolatione fieri possit: & Deus ipse toties præceperit audiri Filium, & custodiri Euangelium, quod est mirandum decretum prolatum ex arcano consilio diuinitatis, cùm ignotum esset omnibus creaturis: maximè necessarium est, veram de remissione doctrinam retineri incorruptam.

Sed omnibus ætatibus inde vsque à primis patribus sparsæ sunt præstigiæ à diabolis, contra veram doctrinam de filio Dei, præsertim in hoc articulo: quas tamen subinde refutauit Deus, excitatis rursus bonis doctoribus, ne funditus interiret Ecclesia. Ostenderunt Adam, Seth, Nohe, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & alij deinceps verum discrimen Ecclesiæ Dei, & aliorum hominum, & docuerunt Ecclesiæ traditam esse promissionem de Filio Mediatore, & de remissione peccatorum: & hanc fide accipiendam esse gratis, propter Mediatorem: & alligauerunt inuocationem ad hunc Deum, qui se patefecerat edita promissione de Mediatore: & habuerunt externos ritus diuinitus traditos, qui erant signa promissionis, & nerui publicæ congregationis.

Hos ritus, omissa doctrina promissionum & fidei, magna pars multitudinis imitata est: & cùm affingeret hanc persuasionem, homines his ritibus mereri remissionem peccatorum, cumulauit ritus, & paulatim processit audacia, vt fit, vt alij alia numina fingerent.

Ita discesserunt Ethnici à vera Dei Ecclesia, & ab agnitione veri Dei, & promissione Redemtoris. Idem accidit post Mosen. Institutæ erant ceremoniæ hanc ipsam ob causam, vt essent commonefactiones de Mediatore: sed multitudo oblita promissionis de Mediatore, de doctrina fidei, de gratuita remissione propter Mediatorẽ, finxit remitti peccata propter sacrificia, & ritus illos: & hac superstitione cumulauit sacrificia, & oblita est Mediatoris, & fuit sine vera consolatione, & sine vera inuocatione.

Idem accidit post Apostolos, amissa luce Euangelij, in qua proponitur gratuita remissio propter Mediatorem accipienda fide: Quæsita est remissio per exercitia monastica, per cœlibatũ, per varias obseruationes, per oblationem in Missa, per intercessionem hominum mortuorum: & multæ monstrosæ superstitiones excogitatæ sunt, vt historiæ totius Ecclesiæ post Apostolos ostendunt.

Aduersus

Aduersus hos errores immensa misericordia Deus subinde vocem Euangelij restituit: ac vt in populo Israël subinde Prophetas excitauit, qui doctrinam repurgarent: ita in Ecclesia, post Apostolos, cùm scripta Origenica, & Pelagiana, & populi superstitio puritatem Euangelij corrupissent: tamen velut in caligine rursus accensa est lux ab Augustino, & hunc secuti sunt Prosper, Maximus, & alij, qui falsas opiniones in hoc articulo taxauerunt.

Postea natis Monachis, cùm rursus latè vagaretur opinio, quæ fingit homines mereri remissionem operibus, fuerunt tamen aliqui rectiùs sentientes, etiamsi fundamento stipulas adderent: vt Hugo, Bernhardus, Gilibertus, Guilhelmus Parisiensis, Taulerus, Drandorsius, Vvesselus, & alibi alij. Et nunc voce Lutheri magis perspicuè restituta & illustrata est Euangelij doctrina, & monstratus agnus, sicut Baptista inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui non credit, manet ira Dei super eum.

Hanc ipsam vocem Euangelij incorruptam sonant & Ecclesiæ nostræ: & expressè discernimus disciplinam, seu iusticiam, quam potest efficere homo non renatus, à iusticia fidei, & nouitate, de qua concionatur Euangelium.

Dicimus, omnes homines disciplina coërcendos esse, id est, illa iusticia, quam etiam non renati præstare debent, & vtcunque possunt, quæ est obedientia in externis actionibus, iuxta omnia præcepta Dei ad omnes homines pertinentia: Quia Deus in homine post lapsum reliquit hanc libertatem, vt rationi & voluntati possint vtcunq; obedire externa membra, in externis motibus ciendis vel omittendis: vt Achilles potest gladium stringere, aut recondere in vaginam: Scipio potest coërcere membra, ne attingant alterius sponsam: vt hæc suo loco rectè & copiosè declarantur.

Hanc disciplinam à Deo præceptam esse, & puniri eius violationem præsentibus pœnis & æternis, in his qui non conuertuntur ad Deum, certissimum est: iuxta illa dicta, Lex est posita iniustis: Item, Qui gladium acceperit, gladio peribit: Item, Scortatores & adulteros iudicabit Deus: Item, Væ qui spolias, quia spoliaberis.

Etsi autē omnes homines hac disciplina suos mores regere debent, & Deus seuerè imperia hanc disciplinam tueri iubet,

& ipse horribilibus pœnis declarat iram suam aduersus hanc: externa disciplina, etiam si cubi est honestissima, nequaquam est impletio legis, nec meretur remissionem peccatorum, nec est iustitia illa, qua coram Deo accepti sumus: nec lux illa fulgens in natura hominum, sicut fulsit iusticia nobis indita in creatione, aut sicut fulgebit noua iusticia in vita æterna.

Sed tota hæc disciplina est qualiscunque externa gubernatio, similis folio ficus, quo tegunt nuditatem suam primi parentes post lapsum. Nec magis tollit peccatum, & naturæ corruptionem & mortem, quàm tollebant illæ frondes fici.

Ideo Paulus toties clamat, non tolli peccatum lege. Rom. 3. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram eo. Et Rom. 8. Cùm legi impossibile esset iustificare, &c. Et Galat. 2. Si per legem iusticia est, frustra Christus est mortuus. Et ad Tit. 3. Non ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluauit nos.

Et contumelia est Filij Dei, fingere, vlla nostra opera merita esse, seu precium remissionis peccatorũ, & esse propiciationes pro peccato. Ideo Pharisaica illa & Pelagiana deliramenta clarè damnamus, quæ fingunt disciplinam illam esse impletionem legis Dei: item mereri remissionem, seu de congruo, seu de condigno, vel esse iusticiam, qua homines coram Deo sint accepti.

Sed Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, qui est imago æterni Patris, constitutus est Mediator, Propiciator, Redemtor, Iustificator & Saluator. Huius vnius obedientia & merito placatur ira Dei, vt Rom. 3. dicitur: Quem posuit propiciatorem per fidem in sanguine eius. Et Hebr. 10. Impossibile est sanguine taurorum tolli peccata. Ipse autem vnicam pro peccatis offerens hostiam, in perpetuum sedet ad dexteram Dei, &c.

Etsi autem causas huius mirandi consilij, cur hoc modo redimendum fuerit genus humanum, nondum in hac infirmitate cernimus, sed postea discendæ erunt in omni æternitate: tamen hæc initia nunc discenda sunt.

Conspiciuntur in hac victima, iusticia Dei, & ira aduersus peccatum, & immensa misericordia erga nos, & amor in Filio erga genus humanum. Tanta est iusticiæ seueritas, vt non sit facta reconciliatio, nisi pœna persolueretur: Tanta est iræ magnitudo, vt æternus Pater nõ sit placatus, nisi deprecatione & morte Filij:

Tanta

Tanta misericordia, vt Filius pro nobis datus sit: Tantus amor in Filio erga nos, vt hanc veram & ingentem iram in se deriuauerit.

Harum maximarum & arcanarum rerum considerationem in pectoribus accendito tu, FILI DEI, Spiritu tuo sancto, vt verè expauescamus agnitione iræ, & rursus vera consolatione erigamur, & te in omni æternitate celebremus.

Vt autem beneficia huius Mediatoris nota essent generi humano, & nobis applicarentur, edita est promissio statim initio post lapsum primorum parentum, & deinceps sæpe repetita, & voce Prophetarum declarata: sed clarissimè recitata per ipsum Filium, & deinde per Apostolos: & institutum est ministerium docendi, & propagandæ promissionis, & condita Ecclesia, & subinde instaurata hac ipsa voce de Filio Dei propiciatore.

Per hoc ministerium semper fuit, est & erit efficax Filius Dei in credentibus, sicut Ro. 1. dicitur: Euangelium est potentia Dei, ad salutē omni credenti. Et instaurat ipse hoc ministerium, cùm inquit: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: Ite prædicantes pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine meo.

Vult argui peccatum in toto genere humano, sicut inquit: Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me. Et Rom. 1. Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniusticiam hominum. Vult Deus agnosci iram suam aduersus peccata omnia, & præcipuè aduersus contemtum Filij, sicut & in Psalmo inquit: Osculamini Filium, ne irascatur, & pereatis de via, &c. Vult nos verè expauescere agnitione tenebrarum, & horreadæ prauitatis & contumaciæ nostræ. Et quidem ipse Deus iræ suæ sensu corda opprimit, vt inquit Ezechias: Sicut Leo, contriuit omnia ossa mea.

Et ad hoc iudicium non solùm voce ministerij legis & Euangelij vtitur, sed etiam omnes calamitates humanæ sunt quasi vox legis, de ira Dei nos admonens, & omnes ad pœnitentiam inuitans. Cùm autem hac voce arguente peccata, mens perterrefacta est, audiat promissionem Euangelij propriam de Filio Dei, & statuat sibi remitti peccata gratis propter Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum propiciatorem, per misericordiam, nō propter contritionem aut dilectionem nostram.

Hac fide cùm erigitur, certum est donari remissionem peccatorum, reconciliationem & imputationem iusticiæ, propter

ipsius Christi meritum: & Christum in nobis efficacem esse voce Euangelij, & Spiritu suo sancto viuificare credentes, & ex æterna morte nos liberare, & facere nos simul hæredes vitæ æternæ.

Ita inquit Paulus Rom. 3. Decernimus fide iustificari hominem, sine operibus legis: Item, Iustificamur gratis ipsius gratia, per redemtionem, quæ est in Christo IESV, quem proposuit Deus propiciatorem per fidem in sanguine eius. Et Act. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere omnes per nomen eius, qui credunt in eum.

Sunt autem nota vocabula: FIDES significat non tantùm historiæ noticiam, qualis & in diabolis est, de quibus dicitur, Dæmones credunt & contremiscunt: sed significat amplecti omnes articulos fidei, & in his hunc articulum, Credo remissionem peccatorum: Nec tantùm alijs dari eam credo, sed mihi quoque.

Hæc fides simul est fiducia acquiescens in Mediatore, iuxta illud: Iustificati fide, pacem habemus. Ita loquitur Paulus de fide, quæ assentiens omnibus articulis fidei, promissionem intuetur & amplectitur: copulat enim fidem & promissionem: Roman. 4. Ideo ex fide, vt sit firma promissio.

In declaratione vocabuli IVSTIFICARI, vsitatè dicitur: Iustificari significat, ex iniusto iustum fieri: quod rectè intellectũ, hîc quoq; quadrat, Ex iniusto, id est, reo & inobediente, & non habente Christum, fieri iustum, id est, absolutum à reatu, propter filium Dei, & apprehendentem fide ipsum Christum, qui est iusticia nostra, vt dicunt Ieremias & Paulus: quia eius iusticia nobis imputatur, & propter eum iusti reputamur, & quia dato Spiritu suo sancto nos viuificat, & regenerat, sicut & 1. Ioan. 5. dicitur: Hæc est vita in filio eius. Qui habet filium, habet vitam: qui non habet filium Dei, vitam non habet.

Quanquam autem simul incoatur nouitas, tamen non dicimus personam iustam esse in hac vita, propter nouas qualitates, sed propter ipsum Mediatorem passum, resuscitatum, regnantem, deprecantem pro nobis, nos obumbrantem & viuificantem.

Et quanquam sunt incoatæ virtutes, tamen adhuc sunt imperfectæ, & hærent in nobis reliquiæ peccati. Ideo tenenda est hæc consolatio, placere personã propter filiũ Dei, imputata nobis ipsius iusticia, sicut Rom. 4. dicitur: Credidit Abraham Deo, & impu-

& imputatum est ei ad iusticiam: Item, Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Itaq; & correlatiuè intelligenda est hæc oratio, Fide iustificamur: hoc est, fiducia filij Dei iustificamur, non propter nostram qualitatem, sed quia ipse est propiciator, in quo cor acquiescit, fiducia promissæ misericordiæ propter eum, quam fiduciam ipse Spiritu suo sancto excuscitat, sicut inquit Paulus: Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus, Abba pater.

Hic & de particula exclusiua dicendum est. Toties repetit Paulus vocabulum Gratis, qua voce certissimum est excludi conditionem meritorum nostrorum. Ideo in Ecclesijs nostris dicitur: Sola fide iustificamur: quod sic intelligimus & declaramus: Gratis propter solum Mediatorem, non propter nostram contritionem, seu alia nostra merita, donamur remissione peccatorum, & reconciliatione.

Etsi enim contritio antecedit consolationem, & dilectio Dei, & aliæ virtutes multæ cum fide, seu hac fiducia simul accenduntur: tamen hæ virtutes non sunt causa, seu meritum remissionis peccatorum, nec propter eas persona placet, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: Sed habet remissionem, & placet persona certò propter Mediatorem, quem fide apprehendi oportet: vt Ephes. 3. dicitur: Per quem audemus accedere in fiducia, quæ est per fidem in eum.

Hæc tota doctrina fit illustrior in vera conuersione & quotidiana inuocatione piorum. Cùm expauescimus agnitione iræ Dei, hæc vna est firma consolatio, confugere ad Filium Dei, qui inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Item: Viuo ego, nolo mortẽ peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Item: Gratia exuberat supra peccatum.

In his doloribus, si doceas hominem, dubitandum esse de remissione peccatorum, vincet dolor & sequentur tristissimi fremitus aduersus Deum, & desperatio, & mors æterna. Sed si doceas, fide vincendam esse dubitationem, intelliget iam vocabulo fidei non tantùm significari noticiam historiæ, intelliget fiduciam niti solo Mediatore, intelliget quid dicatur his verbis, Gratis propter Mediatorẽ, sola fide accipitur remissio, & placet persona.

Hæc lucta omnibus temporibus aliquos erudijt, vt has veras cõsolationes aliquo modo intelligerent. Etsi enim Origenes,

& multi scriptores & sententiarij aliud genus doctrinæ insincerum pepererunt: tamen in Augustino, & alijs quibusdam legun. tur dicta, quæ ostendunt, eos ex his veris fontibus etiam hausisse consolationes.

Quanquam autem interdum impropriè loquuntur, aut dissimilia dicunt, quia in loquendo negligentiores fuerunt: tamen quæ fuerit eorum perpetua sententia, si dextrè iudicare volumus, animaduerti potest. Augustinus in Psalm. 31. inquit: Qui sunt beati? Non illi, in quibus non inueniet peccatum, nam in omnibus inuenit: Omnes enim peccauerunt, & carent gloria Dei. Si ergo in omnibus peccata inueniuntur, remanet vt non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendauit: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iusticiam.

Hîc certè Augustinus fidem intelligit fiduciam, quæ accipit remissionem peccatorũ: & dictum in Genesi & in Paulo prorsus intelligit, sicut nos enarramus. Alibi de Spiritu & litera inquit: Ex lege timemus Deum, Fide confugimus ad misericordiam.

Bernardus in concione de Annunciatione: Necesse est primùm omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei. Sed adde, vt credas & hoc, quòd per ipsum peccata TIBI donantur. Hoc est testimonium quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem.

In hoc dicto perspicuè & propriè citatur sententia Ecclesiarum nostrarum, & extant similia testimonia apud hunc scriptorem.

Basilius etiam proprijssimè recitat nostram sententiam, in concione de Humilitate, his verbis: Qui gloriatur, in Domino glorietur, dicens, quòd Christus nobis factus sit sapientia à Deo, iusticia, & sanctificatio, & redemtio, sicut scriptum est: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc est enim perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque propter iusticiam suam quisquam effertur, sed agnoscit sese indigere vera iusticia, fide autem sola in Christum iustificari.

Cùm igitur ex his, quæ dicta sunt, manifestum sit, quid significet vocabulum fidei, in hac propositione, Fide iustificamur:

Hinc

Hinc intelligi potest, perniciosè errare Monachos, & alios, qui iubent conuersos ad Deum dubitare, an placeant Deo.

Hunc vulgarem errorem de dubitatione manifestè refutāt hæc dicta: Iustificati fide, pacem habemus: Item, Ideo ex fide, vt sit firma promissio. Donec enim excruciamur dubitatione, corda fugiunt Deum, non acquiescunt in Deo, non inuocant: Et promissio fit eis inanis sonitus, quia non assentiuntur ei.

Postremò, Dei mandatum est æternum & immotū, vt credamus Filio Dei, iuxta hoc dictum: Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me. Item, 1. Iohan. 5. Qui non credit Deo, accusat eum mendacij.

Est autem insulsa cauillatio: quòd dicunt, dubitandum esse propter nostram indignitatem, non propter misericordiam. Ideo enim edita est promissio, ideo Filius Dei mediator constitutus est, quia nos indigni sumus: & vt Pater propter ipsum passum, resuscitatum & deprecantem pro nobis, ac vestientem nos sua iustitia, certò sit propitius huic miseræ massæ, indignæ & plenæ sordium, iuxta illud: Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo IESV ambulant.

Absurdum est etiam, quod dicunt, nostræ indignitatis causa dubitandum esse. Non enim dubitādum est, an displiceat indignitas, sed veris gemitibus fateamur nos indignos esse, & opponamus promissionem, cui assentiri mandatum Dei est.

Non rectè accommodatur ad hanc dubitationem sententia in Ecclesiaste: Nescit homo an amore vel odio dignus sit. Amentia est fingere Solomonem hoc velle, nec iustos, nec iniustos debere statuere, an placeant aut displiceant Deo: cùm certissimum sit, perseuerantes in sceleribus contra conscientiam, displicere Deo.

Sed abducit nos Solomon à spectaculis externis ad verbū Dei, quasi dicat: Ex rebus secundis non statuas te placere Deo, nec propter res aduersas displicere. Non ideo placet Alexander, quia vincit, & magno imperio potitur. Iob in calamitate, Dauid in exilio, non ideo statuant se abiectos esse à Deo, quia sunt æruminosi. Non ex his euentibus, seu externis spectaculis iudicēt, sed ex verbo Dei. Etiam in media calamitate offertur consolatio: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, &c. Sic Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum dederit, vt omnis qui credit in eum, *Ezech. 33. Ioan. 3.*

non pereat, &c. Denique error de dubitatione, prorsus Ethnica imaginatio est, ac Euangelium abolet, & in conuersione veram consolationem ijs, qui iram Dei sentiunt, adimit.

Docendi sunt potiùs homines, hanc certò vocem Euangelij esse, vt Filio Dei credamus, ac statuamus gratiam exuberare supra peccatum, ideoq; repugnemus dubitationi, & eluctemur, & fide eam vincamus, vt accedere ad Deum, inuocare eum, & ei gratias agere possimus. Hi summi cultus horribiliter impediuntur, quandocunque animi concutiuntur fluctibus dubitationum, vt experientia ostēdit. Hinc perspicuū est, quare decretū Tridētinæ Synodi, quod confirmat errorē de dubitatione, taxari necesse sit.

Ex his omnibus etiam intelligi potest, iustè reprehendi synecdochen eorum, qui sic interpretantur Paulum, Fide iustificamur, scilicet, formata dilectione, vt ipsi loquuntur. Nam vocabulum fidei intelligunt tantùm de notitia, & cogitant hanc esse sententiam, Fide iustificamur, id est, præparamur ad iustitiam, id est, ad cæteras virtutes, quæ sunt obedientia & impletio legis. Ita tantùm hoc dicunt: Hominem esse iustum propter proprias virtutes. Deinde iubent dubitare, an sit ornatus illis habitibus, de quibus loquuntur.

Ostendimus autem suprà, fide significari fiduciā acquiescētem in Filio Dei propiciatore, propter quem recipimur & placemus, non propter nostras virtutes, aut legis impletionem. Cùm autem in hac ipsa consolatione, fiducia, qua acquiescimus, in Filio Dei, verè sit motus accensus à Spiritu sancto, quo viuificatur cor, & liberatur ex æterna morte, dicitur hæc conuersio, regeneratio, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu.

Et fit homo iam verè domicilium Dei, qui est in eo efficax, vt Ioan. 14. dicitur, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Filius λόγος voce Euangelij dicit consolationem in corde credentis, & ostendit Patris misericordiam, & Pater per Filium effundit Spiritum sanctum in cor credentis, qui lætitiam & inuocationem, & alios motus accendit, qualis ipse est. Ideo dicitur Galat. 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem.

Non igitur loquimur de otiosa notitia: & errant imperiti, qui existimant remissionem peccatorum contingere otiosis, sine

ne aliquo motu animi, sine certamine, & sine sensu consolationis in veris doloribus, in ea ætate, quæ iam intelligere vocem doctrinæ potest, iuxta illud, Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Et quia conscientijs in pœnitentia consolationem proponimus, non addimus hîc quæstiones de prædestinatione, seu de electione: sed deducimus omnes lectores ad verbum Dei, & iubemus, vt voluntatem Dei ex verbo ipsius discant, sicut æternus Pater expressa voce præcipit, Hunc audite. Non quærant alias speculationes. *Rom. 10.* *Matth. 17.*

Certissimum est, prædicationem pœnitentiæ ad omnes homines pertinere, & accusare omnes homines. Ita & promissio vniuersalis est, & omnibus offert remissionem peccatorum, iuxta illa dicta vniuersalia: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Item Ioan. 3. Vt omnis qui credit in eum, non pereat. Roman. 10. Omnis qui credit in eum, non confundetur. Item, Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant eum. Rom. 11. Conclusit Deus omnes sub inobedientiam, vt omnium misereatur. *Matth. 11*

In hanc vniuersalem promissionem singuli se includant, & non indulgeant diffidentiæ, sed luctentur, vt assentiantur verbo Dei, & obsequantur Spiritui sancto, & iuuari se petant, sicut dictum est Luc. 11. Quantò magis dabit Spiritum sanctũ petẽtibus?

DE LIBERO ARBITRIO.

Iam hîc nota sit etiam doctrina de libero arbitrio. Semper in Ecclesia homines rectè eruditi distinxerunt disciplinam & nouitatem Spiritus, quæ est initium vitæ æternæ: & docuerunt, in homine libertatem voluntatis talem esse, ad regendos externos motus membrorum, qua etiam non renati vtcunq; disciplinam, quæ est externa obedientia iuxta legem, præstare possint.

Sed homo nequaquam potest se liberare à peccato & morte æterna, viribus naturalibus: sed hæc liberatio & conuersio hominis ad Deum, & nouitas spiritualis, fit per Filium Dei viuificantem nos Spiritu suo sancto, vt dictum est Rom. 8. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et voluntas, accepto Spiritu sancto, iam non est otiosa.

Ac Deo gratias agimus pro hoc immenso beneficio, quòd nobis

nobis propter Filium, & per eum, dat Spiritum sanctum, & nos suo spiritu regit: & damnamus Pelagianos & Manichæos, vt hæc suo loco copiosiùs explicamus.

DE NOVA OBEDIENTIA.

TOtum beneficium Filij Dei considerandum est: Ita enim vult peccatum & mortem tollere, & nos ex regno Diaboli eripere, vt prorsus abolito peccato & deleta morte, restituat in nobis æternam vitam, in qua Deus nobis communicet sapientiam, iustitiam & lætitiam suam, & in qua sit Deus omnia in omnibus.

Hoc summum beneficiũ incoat in hac misera massa in hac vita, sicut scriptum est: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. Item, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Itaque cùm accipimus remissionem peccatorum, & reconciliati sumus, & obsignati Spiritu sancto, hæc bona effundere horrendus furor est: sicut describuntur effundentes, in parabola de domo mundata. Et in 2. Epistola Petri dicitur: Si hi, qui effugerunt contaminationes mundi, per agnitionem Domini & Saluatoris IESV Christi, his rursus impliciti succumbunt, fiunt eis postrema deteriora prioribus.

2.Cor.5.
Matth.10.
2.Pet.2.

Effunduntur autem hæc bona, si quis non retinet fundamẽtũ, id est, articulos fidei, siue sciens, siue deceptus, impia dogmata, seu idola recipit: Item, si quis alioqui contra conscientiam ruit. Hæ regulæ sæpe repetitæ sunt, vt Galat. 5. Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Necessaria est igitur cura vitandi tales lapsus.

Hæc manifesta necessitas, proposita summa pœna, videlicet amissione vitæ æternæ, si quos non mouet ad bene operandum, hi sunt iam ex his, de quibus dicitur: Qui facit peccatum, ex Diabolo est. Item, Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Et sunt necessitatis causæ plures. Debitum, id est, ordo immutabilis, vt creaturæ Deo obtemperent: ideo Paulus inquit, Debitores estis. Item, ne Spiritus sanctus & fides excutiantur. Accedat & cura vitandi pœnas præsentes, quia certissimum est, plurimos etiam electorum lapsus, horribiliter puniri in hac vita, vt inquit Ecclesia apud Micheam: Iram Domini portabo, quia peccaui ei.

1.Ioan.3.
Rom.
Mich.7.

Et

Et omnium temporum historiæ horrenda exempla pœnarum continent: vt Dauid, Solomon, Manasses, Iosias, Nabuchodonosor, & alij innumerabiles duriter castigati sunt. Qua in re hoc tristissimum est, quòd in ipsis pœnis multa noua peccata cumulantur: vt in seditione mota contra Dauidem, in dilaceratione regni propter delictum Solomonis. Et de necessitate benè operandi, inquit Dominus Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Considerata autem necessitate, quæ multiplex est, sequuntur hæ quæstiones: Quæ opera sint facienda: quomodo fieri possint: quomodo placeant Deo: quæ habeant præmia: quod sit discrimen peccatorum: quæ excutiant Spiritum sanctum, & quæ nõ excutiant.

QVAE OPERA SINT FACIENDA.

VVlt Deus & fidem & opera regi suo verbo. Ideo tenenda est norma de bonis operibus, interioribus & exterioribus, quæ in istis præceptis Dei continetur, quæ ad nos pertinent, sicut Ezechielis 23. dicitur: In præceptis meis ambulate. Et hæc opera interiora & exteriora fiunt cultus Dei, cùm fiunt in fide, & referuntur ad hunc finem, vt Deus hac obedientia celebretur.

Dictum est autem suprà, externam obedientiam seu disciplinam præstare posse etiam non renatos: vt, honestè viuit Cicero, & bene meretur de toto genere humano laboribus gubernationis: sed mens plena est dubitationum de prouidentia, nec nouit, nec alloquitur verum DEVM in inuocatione, nec nouit promissiones, & semper dubitat, an exaudiatur, præsertim in calamitatibus: in quibus etiam Deo irascitur, cogitat iniustè se affligi, cùm fuerit ciuis honestus, & vtilis Reipublicæ. Tales tenebræ in mente sunt magna peccata, quæ ratio sine luce diuina non satis iudicare potest.

Oportet igitur in renatis etiam interiorem obedientiam incoari, veram Dei agnitionem, timorem Dei, dolores in pœnitentia, fiduciam misericordiæ propter Filium Dei promissæ, inuocationem, spem, dilectionem, lætitiam in Deo, & alias virtutes:

tes: & oportet eas referre ad debitum finem, scilicet vt Deo præstetur obedientia.

Hi veri cultus non possunt præstari sine luce Euangelij, & sine fide: quos aduersarij, qui videri volunt eximij præcones bonorum operum, nec intelligunt, nec flagitant, cùm omittunt doctrinam de fide, quæ est fiducia misericordiæ, acquiescēs in Filio Dei, quæ est præcipuum opus, & summus cultus Dei.

De operibus non mandatis à Deo infrà dicemus. Et regula tenenda est: Frustra colunt me mandatis hominum. Sæpe autem in Ecclesia accidit, vt maiori cura seruentur humani ritus, quàm præcepta Dei: imò vt autoritas Pharisaicarum & iniustarum traditionum anteferatur mādatis diuinis, vt multis seculis, propter iniustam & impiam legem de cœlibatu, præceptum Dei de vera castitate, horribiliter violatum est. Considerandum est igitur discrimen legum, de quo rursus infrà dicemus.

Matth. 15.

QVOMODO POSSINT FIERI BONA OPERA.

MAgna est infirmitas hominum: & Diabolus est acerrimus hostis, qui odio Dei grassatur in humanum genus, ac præsertim Ecclesiam Dei conatur dissipare, quantum potest, vt scriptū est à Petro. Vigilate, quia aduersarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens, circumit, quærens quem deuoret. Ideo, quanquam externam disciplinam homines naturalibus viribus vtcunq; præstare possunt, tamen sæpe vincuntur hac communi infirmitate. Sæpe etiam Diabolus non feros homines impellit in tetra scelera vt decepit Euam, impulit fratres Ioseph, Dauidem, & alios innumerabiles. Quæ igitur potest esse diligentia vel circumspectio, par astutissimo hosti?

1. Petr. 5.

Hîc teneamus dulcissimam consolationem: Apparuit Filius Dei, vt destruat opera Diaboli. Custos est Filius Dei Ecclesiæ suæ, sicut inquit Ioan. 10. Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Ipse protegit nos, & simul Spiritu suo sancto confirmat mentes in veris sentētijs: & vt incoat æternam vitam, ita & motus bonos, fidem, dilectionem Dei, veram inuocationem, spem, castitatem, & alias virtutes in cordibus accendit.

1. Ioan. 3.

Nequaquam sumus Pelagiani, sed reuerenter gratias agi-

mus

mus Deo æterno, Patri Domini nostri Iesu Christi, & Filio eius Iesu Christo, & Spiritui sancto, cùm pro toto beneficio restitutæ salutis hominum, tum verò pro hoc ipso beneficio, quòd in Ecclesia habitat Filius Dei, & eam sua dextra contra furores Diabolorum & hominum protegit, & depellit à nobis Diabolos, & in hac tanta infirmitate nostra nos sustentat, & verbo accendit in mentibus agnitionem Dei, & confirmat ac regit corda Spiritu suo sancto.

Hæc beneficia nobis præstari certò scimus, sicut dulcissimè dictũ est apud Zach. c. 12. Effundam super domũ Dauid, & habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ & precum. Nominat spiritum gratiæ, quia in hac consolatione testificatur Filius Dei, obsignãs nos Spiritu sancto, quòd simus in gratia, & quòd liberemur ex doloribus inferorum. Deinde nominat spiritum precum, quia, cùm agnouimus remissionem peccatorum, iam non fugimus Deum, non fremimus aduersus eum, sed accedimus ad eum vera fide & fiducia, petimus & expectamus ab eo auxilium, diligimus eum, & nos illi subijcimus: ita fit incoatio obedientiæ.

Eodem modo inquit Dominus Ioan. 14. Ego rogabo Patrẽ, & alium paracletum dabit vobis, spiritum veritatis. Accendit Spiritus sanctus lucem veritatis in mentibus, & nouos motus in cordibus, congruentes cum lege Dei. Hoc tantum donum agnoscamus, & grati retinere studeamus, & assiduè nos in tantis vitæ periculis iuuari petamus. Nec est otiosa voluntas, accepto Spiritu sancto.

QVOMODO PLACEAT NOVA OBEDIENTIA.

Pharisæus apud Luc. 18. admiratur sese, & sibi placet, fascinatus hac persuasione, quòd legi satisfaciat, & propter hanc qualemcunq; disciplinam Deo placeat. Tales sunt multi in genere humano, securi propter qualemcunq; vmbram disciplinæ.

Sed horum arrogantiam sæpe accusat vox diuina, vt inquit Dominus Lucæ 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Et 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quòd peccatum non habeamus, mendaces sumus. Ideo inanis est imaginatio, fingentium obedientiam DEO placere sua dignitate, & esse meritum condigni,

condigni, vt loquũtur, & iustitiam coram Deo, quæ sit meritum vitæ æternæ.

Postea tamen addunt, semper dubitandum esse an placeat obedientia: quia manifestum est, in singulis multum sordium esse, multa peccata ignorantiæ & omissionis, multos nævos non paruos.

Hîc necesse est rectè erudiri conscientias de vtraque re, de infirmitate nostra, & de consolatione. Necesse est in renatis esse iustitiam bonæ conscientiæ & incoatam obedientiam, vt dictum est. Et tamen in hac vita, in nostra natura, in anima & in corde, adhuc valde multum est sordium, quas illi magis cernunt & deplorant, qui plus lucis habent, vt Prophetæ & Apostoli, vt nota est Pauli querela: Video aliam legem in membris meis, quæ repugnat legi mentis meæ, & me captiuum facit legi peccati. Rom. 7.

Magna adhuc in singulis caligo est, multiplex ignorantia, & multæ tristissimæ dubitationes, errores in consilijs, orti ex diffidentia, ex falsis opinionibus, & inani spe, multæ officiosæ flammæ cupiditatum, multæ neglectiones officij, fremitus & indignationes aduersus Deum, in pœnis. Denique stupor & insania est, nolle fateri timorem & dilectionem Dei multò frigidiorem esse, quàm esse debebat.

Hæ confessiones repetitæ sunt in Prophetarum & Apostolorum concionibus. Psal. 143. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et in 1. Ioan. 1. Si dicimus quòd peccatum non habeamus, nos ipsos seducimus, & veritas non est in nobis. Hæc confessio necessaria est, & arrogantia taxanda.

Reprehendendus est etiam error aduersariorum, qui fingunt, homines in hac vita mortali, legi Dei satisfacere posse. Item qui dicunt, Malum concupiscentiæ nobiscum nascens, non esse peccatum, nec malum pugnans cum lege seu voluntate Dei. Hos errores manifestè refutat Paulus, Rom. 7. & 8. Postea etiam consolatio addenda est.

Primùm statuat renatus, se reconciliatum esse Deo, sola fide, id est, fiducia Mediatoris, & personam certò reputari iustam propter Filium Dei Mediatorem, gratis, propter ipsius meritum.

Secundò, confiteatur vero dolore, adhuc in renato multa peccata & magnas sordes esse, dignas ira Dei.

Tertiò,

Tertiò, Et tamen sciat oportere incoari obedientiam & iustitiam bonæ conscientiæ: & hanc, quanquam procul abest à perfectione legis, tamen in reconciliatis Deo placere propter Mediatorem deprecantem pro nobis, & suo merito tegentem nostras ingentes & inenarrabiles miserias. Ita propter eum & persona recipitur, & postea placent opera, & in vtroque fides luceat. Ideo Petrus inquit: Offerte hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum. *1. Petr. 2.* Hæc consolatio proposita est in capite 8. ad Roman. Nulla nunc condemnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Et Rom. 6. Non estis sub lege, sed sub gratia.

Ibi hoc ipsum quæritur, an placeat obedientia, cùm legi non satisfaciat. Respondet Paulus: Placere, quia non simus sub lege, id est, damnati lege: sed sub gratia, id est, reconciliati seu recepti in gratiam. Roman. 8. Quis condemnabit? Christus pro nobis mortuus est, & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, & pro nobis interpellat, id est, Placent sancti propter Filium, qui & obtulit pro nobis suam obedientiam, & pro nobis interpellat.

Hæc dicta opponenda sunt dubitationi, ne fides & inuocatio extinguantur. Nam dubitatio languefacit inuocationem.

Postquam igitur scimus, & necessariam esse nouam obedientiam, & auxilium nobis certò donari, & placere hanc, quanquam mutilam & mendicam obedientiam, agnoscamus immensam Dei misericordiam, & pro ea gratias agamus, & sit maior cura regendi omnes actiones, quia scimus & iuuari nos, & Deo hāc obedientiam propter Filium placere. Et semper in conspectu sit hæc necessitas: Si effunduntur beneficia Dei, iustificatio & regeneratio, amitti vitam æternam, iuxta illud, Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur. *2. Cor. 5.* Et Rom. 8. Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ac semper in iustificatione simul fit incoatio nouitatis.

Latro pendens in cruce, habet bona opera interiora & exteriora, dolet se peccasse, & fatetur se iustè puniri. Deinde & fide agnoscit Saluatorem, & petit ab eo salutem, ideoq; audit expressam absolutionem, & concionem de vita æterna, & promissionē, & acquiescit in hac voce Messiæ, & se Deo subijcit, & non impatienter fert supplicium, sed lætatur agnitione Messiæ, & spe vitæ æternæ, & Deo gratias agit: præterea, vt extet signum confessionis, refutat maledicentem Christo. *Luc. 23.*

Hæc in eo fiunt, quia hic ipse Messias, socius supplicij, verbo mentem eius docet, & in ea ipsa consolatione λόγῳ in isto efficax est, & per eum æternus Pater effundit Spiritum sanctum in cor huius auditoris, vt accendat lætitiam in eo, dilectionem, inuocationem, spem vitæ æternæ, & alias virtutes.

DE PRAEMIIS.

PAulus inquit Rom. 6. Donum Dei est vita æterna per Christũ Iesum Dominum nostrum: & reconciliati seu iustificati, simul sunt cohæredes Filij Dei propter ipsum, non propter propria merita.

Fides accipiens remissionem peccatorum ac iustificationem, & spes vitæ æternæ, nituntur Filio Dei Mediatore, vt expressè Ioan. 6. dictum est: Hæc est voluntas Patris, vt omnis credens in Filium, habeat vitam æternam. Et Rom. 5. Iustificati fide, pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem & accessum habemus fide in gratiam hanc, in qua stamus, & gloriamur spe vitæ æternæ.

Coniungit fidem & spem, & affirmat vtranq; niti Mediatore, & manifestum est, spem non debere niti nostris operibus, quia dictum est Psal. 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: sed vt propter solum Filium Dei agentes pœnitentiam reputantur iusti fide, & propter eum & per eum viuificantur: ita propter eum & non propter nostra merita, donatur vita æterna: sicut Latro in cruce audit hanc promissionem, Luc. 23. Hodie eris mecum in Paradiso.

Nec somniandum est, Filium Dei tãtùm præparationem ad vitam æternam nobis meruisse, aut dare, & nos postea nostris operibus mereri vitam æternam: sed sit in conspectu dictum dulcissimum, Hos. 13. O mors, ero mors tua, & pestis tua, ô inferne. Propter Filium Dei, & per eum liberamur à morte æterna, & trãsferimur in vitam æternam, sicut ipse inquit, Ego vitam æternam do eis. Et 1. Ioan. 5 Qui habet Filium, habet vitam. Ac fit spes certa & firma, sicut Petrus inquit 1. Petr. 1. Perfectè sperate, id est, nõ dubia opinione, sed firma spe expectate vitam æternam, videlicet propter Mediatorem: Et rectè Augustinus inquit in libro Meditationum: Totius fiduciæ certitudo est in sanguine Christi.

Vtrunq;

Vtrunq; certissimum sit, agentem pœnitentiam propter Filium Dei gratis fide accipere remissionem peccatorum, & iustificationem, & hunc esse hæredem vitæ æternæ, sicut Paulus inquit Rom. 8. Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: Si autem filij, hæredes Dei, &c.

Et tamen simul verum est, eos qui effundunt Spiritum sanctum, deficientes à fide, aut ruentes contra conscientiam, nec redeunt ad Deum per pœnitentiam, non esse hæredes, sicut dicitur ad Galat. 5. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Et 1. Timoth. 1. Milita bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidem repellentes, circa fidem naufragium fecerunt. Et Matth. 25. Esuriui, & non dedistis mihi mãducare. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.

Cæterùm, etsi vita æterna datur propter Filium Dei renatis, tamẽ simul etiam est merces bonorum operum, sicut dicitur Matth. 5. Merces vestra copiosa est in cœlis. Vt patrimonium est merces laborũ filij, etiamsi propter aliã causam filio attribuitur.

Præterea addidit Deus bonis operibus suas quasdam promissiones: quare & pro bonis operibus sanctorum tribuit Deus etiam in hac vita multa spiritualia & corporalia bona, aliàs aliter, vt ipsi sua inenarrabili sapientia placet: 1. Timoth. 4. Pietas habet promissiones præsentis & futuræ vitæ. Marci 10. Recipiẽt centuplum in hac vita, sed cum tribulatione, & post hanc vitam, vitã æternam. Matth. 10. Qui dederit potum vni ex minimis propter doctrinam, non perdet mercedem. Luc. 6. Date, & dabitur vobis. Exod. 20. Honora patrem & matrem, vt sis longæuus super terram. Iesai. 33. Panis ei dabitur, aquæ eius erunt certæ: Regem in decore videbunt: id est, pro obedientia & bonis operibus Deus dat tranquillas politias, honestam & placidam gubernationem, &c. Iesaiæ 58. Frange esurienti panem tuum, & eris sicut hortus irriguus, &c.

Et notum est exemplũ viduę Sareptanę, 3. Reg. 17. Et Psal. 112. dicit: Opes & diuitiæ in domo eius. Quia enim in hac mortali & ærumnosa vita Deus Ecclesiam colligit, & vult eam esse honestã congregationem: præbet ei aliqua hospitia mediocria, præbet nidos pijs familijs, puerperis, educationi puerorum, propagationi doctrinæ: deniq; vult conseruare generis humani societatẽ, œconomias & politias: & quidem ideò, vt colligi Ecclesia possit.

Quare propter sanctorum preces, & propter eorum diligẽtiam, & propter communem necessitatem, tribuit aliquando gubernationem minùs turbulentam, pacem, fœcunditatem agrorum, & alia bona: vt propter Ioseph, Naaman, Danielem, regna illa feliciora erant. Et Ieremias cap. 19. præcipit, vt exules in Babylone petant hospitio pacem, & salutarem gubernationem. Sic ut etiam sæpe propter Ecclesiæ delicta cumulantur pœnæ: vt in pœna tribus Beniamin, Dauidis & alijs conspicitur. Vult autem Deus intelligi hæc beneficia corpori necessaria, & sciri vult ea diuinitus tribui. Vult in eis petendis exerceri fidem, vt suo lococo piosiùs dicimus. Nunc ideò hæc pauca addidimus, vt in hac confessione etiam extet testimonium, in nostris Ecclesijs doctrinam de bonis operibus veram & necessariam fideliter proponi.

DE DISCRIMINE PECCATORVM.

CVM dictum sit, in renatis manere peccata, necesse est tradi discrimen. Nam ex dicto Lucæ 11. Vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, &c. & ex similibus dictis manifestum est, aliquos renatos contristare & excutere Spiritum sanctum, & rursus abijci à Deo, ac fieri reos iræ Dei & æternarum pœnarum. Et Ezech. 33. scriptum est: Cùm recesserit iust⁹ à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea: & cùm recesserit impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & iustitiam, viuet in ea.

Necesse est igitur discerni peccata, quæ in sanctis in hac mortali vita manent, nec excutiunt Spiritum sanctum, ab alijs peccatis, propter quæ homo rursus fit reus iræ Dei & æternarum
Roman. 5. pœnarum. Et Paulus discernit peccatum regnans, & non regnãs.
Roman. 8. Et alibi inquit: Si secundum carnem viuetis, moriemini: si actiones carnis spiritu mortificabitis, viuetis.

1. Tim. 1. Tradit autem regulam in Epistola ad Timotheum: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Cùm igitur homo non retinet fidem, sed aliquam fundamẽti partem, id est, aliquem articulum fidei, siue sciens, siue errore amittit, aut idola approbat: vt multi qui falsis dogmatibus decipiuntur, aut nõ sustentant se consolatione fidei, sed superantur dubitatione

aut

aut desperatione, aut violant vllum præceptum Dei contra conscientiam, effundunt Spiritum sanctum, & rursus fiunt rei iræ Dei, & pœnæ æternæ: &, nisi fiat conuersio, tales morientes abijciuntur in æternas pœnas.

De his inquit Paulus Rom. 8. Si secundum carnem viuetis, moriemini. Et 1. Corint. 6. Nec scortatores, nec adulteri, nec idolatræ, &c. possidebunt regnũ Dei. Et iuramentũ clarè dicit Ezech. 33. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt cõuertatur & viuat. In iuramento partes duæ copulatæ sunt, cõuersio & vita. Postulat Deus, & quidem iuramento, conuersionem. Quare non placent ei, retinentes propositum peccandi.

Complectimur autem in hoc numero, & peccata omissionis affectatæ, id est, affectatã negligentiam in officio, quæ pugnat cum dicto: Hoc requiritur, vt fideles simus: & ignorantiam affectatã, qualis est Pharisaica, & infinitæ multitudinis, quæ veram Ecclesiæ doctrinam non studet inquirere, & ignara retinet idola, aut etiam sæuitiam adiuuat in defensione idolorum.

Dictum est de lapsibus, quibus excutitur Spiritus sanctus. Alia sunt peccata in renatis, retinentibus fidem & bonam conscientiam, quæ non sunt corruptelæ fundamentĩ, nec sunt delicta contra conscientiam: sed sunt reliquiæ peccati originis, caligo, dubitationes, carnalis securitas, errantes flammæ vitiosorũ affectuum, & omissiones, vel ignorantiæ non affectatæ.

Hæc mala extenuant quidam, & nominant deformitates præter legem Dei. Sed hæc cœcitas valde reprehendenda est, & vtrunque considerandum: Magnitudo mali in hac tota immundicie, quæ est contraria legi & voluntati Dei: & rursus magnitudo misericordiæ & beneficij Filij Dei, tegentis hæc tristia & magna vulnera in hac misera natura.

Iubet autem Paulus his malis repugnare spiritu: id est, Atticus, Scipio, frenant vitiosos affectus ratione: sed Ioseph, Paulus, frenant spiritu, id est, Spiritus sancti motibus, vero dolore, vera fide, timore Dei & inuocatione.

Dolet Paulus, sentiens dubitationes, aut alios errãtes motus: & fide statuit, hanc immundiciem tegi à Mediatore: & timore Dei se reprimit, ne obtemperet iræ, aut alijs errantibus motibus: Et simul inuocat Deum, & petit auxilium, Cor mundum crea in me Deus.

Cùm hoc modo repugnamus prauitati, quæ adhuc reliqua est in renatis, teguntur hæc mala, & dicitur peccatū non regnās, seu veniale: & non effunditur Spiritus sanctus. Hanc doctrinam de discrimine peccatorum veram, perspicuam, & Ecclesiæ necessariam esse, manifestum est. De qua tamen quales labyrinthi disputationum sint in libris aduersariorum, multi norunt.

Postquam verò breuiter exposuimus summam doctrinæ de iustificatione, nunc & argumenta, quæ contra hanc sententiam obijciuntur, explicanda & refutanda erant. Sed quia alij alia obijciunt, confessionem nostram recitauimus, & offerimus nos ad longiores explicationes in singulis membris confessionis.

DE ECCLESIA.

VVlt Deus intelligi, genus humanum non casu nasci, sed à Deo conditum esse, & conditum non ad æternum exitium, sed vt colligat sibi in genere humano Ecclesiam, cui in omni æternitate communicet sese, suam sapientiam, bonitatem, & lætitiam. Et vult conspici Filium, propter quem, & per quem in enarrabili sapientia & immensa misericordia hanc miseram naturam hominum restituit. Ideo semper in genere humano cœtum esse voluit, cui tradidit doctrinam de Filio, & in quo Filius ipse instituit & conseruauit ministerium custodiendæ & propagandæ eius doctrinæ, per quam & efficax fuit, est, & erit. Et multos ad se conuertit, sicut manifestè inquit Paulus: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.

Sed mirandum & dolendum est, maximam partem generis humani horribili furore contemnere vocem & testimonia Dei, & Filium Dei, & in ipso cœtu, qui nomen habet Ecclesiæ, multas dilacerationes semper factas esse, & veram Ecclesiam ab externis & domesticis hostibus oppugnatam esse. Hæc dissidia cùm homines intuentur, & quidem vident in perijs, multitudine & gloria antecellere eos, q alias doctrinas pugnātes cū Euāgelio amplectūtur, dubitāt, an sit aliqua Dei Ecclesia, quænā, & qualis, & vbi sit.

Ac prophanis dijudicatio difficilis est: sed vera Ecclesia scit ex testimonijs diuinis, vnde sint tanti hominum furores, & inter eos tamen seruari Ecclesiam Dei: & discernit eam à cæteris gentibus, & scit quænam, qualis, & vbi sit.

Vt

Vt igitur contra has dubitationes magis confirmarentur omnes sancti, articulus in Symbolo propositus est: Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam. Hac professione affirmamus non abiectum esse totum genus humanum à Deo, sed esse, & māsuram esse aliquam veram Ecclesiam: ratas esse Dei promissiones, adhuc regnare Filium Dei, recipere & saluare inuocantes. Et hac erecti consolatione, Deo gratias agimus, & cum inuocamus, & petimus, accipimus & expectamus æterna bona.

Propter hanc commonefactionem & consolationem articulus in Symbolo recitatur, cùm quidem hæc ipsa doctrina de conseruatione Ecclesiæ sæpissimè repetita sit in concionibus diuinis, vt Iesaiæ 59. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps & in sempiternum. Et Dominus inquit Matth. 28. Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Est & hæc dulcis consolatio, quòd non alibi sint hæredes vitæ æternæ, nisi in cœtu vocatorum, iuxta illud Rom. 8. Quos elegit, hos & vocauit.

Non vagentur animi, intuentes hoc lacerum corpus Ecclesiæ, & somniantes fortassis alibi aliquos, qui ignorant Euangelium, tamen esse sanctos & domicilium Dei, Fabium, Scipionem, Aristidem, & similes. Sed huc refer oculos. In hoc cœtu vocatorum certò scias aliquos electos esse, & ad hunc cœtum te adiungito, confessione & inuocatione. Sicut dicit Psal. 26. Vnum petij à Domino, hoc requiro, vt habitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluntatem Domini, & visitem templum eius.

Non igitur de Ecclesia, tanquam de Idea Platonica, loquimur, sed Ecclesiam monstramus, quæ conspici & exaudiri potest, iuxta illud Psal. 18. In omnem terram exiuit sonus eorum. Vult exaudiri Filium æternus Pater, in toto genere humano, sicut inquit Matth. 17. Hunc audite. Et Psal. 2. Ego constituo regem meum in monte Sion, prædicabo præceptum: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te, Et nunc reges intelligite, &c.

Dicimus igitur, Ecclesiam visibilem in hac vita, cœtum esse amplectentium Euangelium Christi, & rectè vtentium Sacramentis, in quo Filius Dei per ministerium Euangelij est efficax,

& multos ad vitam æternam regenerat. In quo cœtu tamen multi non sunt sancti, sed de vera doctrina consentientes: vt Mariæ tempore erant Ecclesia: Zacharias, Simeon, Ioseph, Elisabeth, Maria, Anna, Pastores, & alij multi, qui de pura doctrina consentiebant, & audiebant non Sadducæos aut Pharisæos, sed Zachariam, Simeonem, Annam, Mariam, & similes, &c. Nam etiam cũ valde exiguus cœtus est, tamen Deus aliquas reliquias seruat, quarum vox & confessio exaudiatur, & subinde ministerium instaurat, iuxta illud Iesa. 1. Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma, essemus &c.

Itaque, quæ sit Ecclesia, & qualis sit, & vbi sit, hæc descriptio indicat, sumta ex manifestis testimonijs diuinis. Nihil dubiũ est, Ecclesiam alligatam esse ad Euangelium, vt Paulus inquit Gal. 1. Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Et Ioann. 10. Oues meæ vocem meam audiunt. Et Ioan. 17. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Et Ioan. 17. Sãctifica eos in sermone tuo, sermo tuus est veritas.

Non sunt igitur membra Ecclesiæ Dei, etiamsi titulum & imperia tenent, Sadducæi, Pharisæi, & similes, Pontifices, & alij, qui aliam doctrinam proponunt, dissentientem ab Euangelio, & stabiliunt idola pertinaciter.

Manifestum est autem, aliud genus doctrinæ, dissentiens ab Euangelio, aduersarios tradere & propugnare, qui docẽt legem Dei impleri obedientia nostra in hac vita, & hanc obedientiam mereri remissionem peccatorum: Item, Hac obedientia homines iustos esse coram Deo: Item, Prauam concupiscentiam non esse peccatum, nec malum pugnans cum lege Dei: Item, dubitandum esse conuersis, an sint in gratia, & hanc dubitationem non esse peccatum: Item, inuocandos esse homines mortuos: Item, Cultus Dei esse discrimina ciborum, vota monastica, & alios ritus sine mandato Dei electos: Item, Oblationem in missa mereri facienti & alijs viuis & mortuis remissionem peccatorum, & alia: Item, alias prophanationes Sacramenti multiplices & horrẽdas: Item, Episcopos posse instituere cultus Dei, & peccata mortalia esse violationem cultuum, qui ab eis instituuntur: Item, Posse legem de cœlibatu imponere vlli ordini hominum: Item, Enumerationem singulorum delictorum necessariam esse ad remissio-

nem

nem peccatorum: Item, Satisfactiones Canonicas, compensationes esse pœnarum purgatorij: Item, Synodos, in quibus soli Episcopi dicunt sententias, non posse errare: Item, Qui consecrant olea, & alias res sine mandato diuino, & tribuunt eis vim diuinam contra peccata & diabolos & morbos: Item, Qui inuocationes ad certas statuas approbant, quasi ibi plus sit auxilij: Item, Qui interficiunt homines honestos, tantùm quia hos errores improbant, & veritatem profitentur.

Hæc cùm sint palàm ethnica & idololatrica, manifestum est, defensores eorum non esse membra Ecclesiæ, sed dominari, sicut Pharisæi & Sadducæi dominabantur. Interea tamē fuerunt, sunt, & erunt Ecclesia Dei, homines retinentes fundamentum, etiamsi alij plus, alij minus lucis habuerunt, habent, & habebunt. Et interdum etiam sancti stipulas extruunt supra fundamentum, cùm præsertim in hac temporum miseria multis, qui habent initia fidei, non concedatur, vt erudiri, & cum doctioribus colloqui possint. Hi sunt tamen in eorum numero, quibus iubet Deus parci. Ezech. 9. Qui gemunt & dolent, propterea quòd errores stabiliuntur.

Præcipuè igitur ex voce doctrinæ iudicandum est, & iudicari potest, quæ & vbi sit vera Ecclesia, quæ voce veræ doctrinæ, deinde & legitimo vsu Sacramentorum ab alijs gentibus discernitur: & quæ sit vox veræ doctrinæ, ostendunt ipsa scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola. In his non est ambigua doctrina de fundamento, videlicet de articulis fidei, de essentia & voluntate Dei, de Filio redemtore, de lege, de promissionibus, de vsu Sacramentorum, de ministerio. Et manifestum est, nulli creaturæ, non angelis, non hominibus concessum esse, mutare doctrinam à Deo traditam.

Qualis autem sit Ecclesia, ostendit filius Dei, inquiens: Regnum meum non est de hoc mundo. Item, Sicut Pater meus misit me, sic ego mitto vos. Colligitur voce ministrorum Euangelij æterna Ecclesia Deo. Hoc immensum beneficium Dei agnoscere & grati celebrare debemus.

Quanquam autem Ecclesia est cœtus, qui conspici & exaudiri potest, tamen discernendus est ab imperijs politicis, seu gerentibus gladium. Nec iure diuino Episcopi habent potestatem gladio puniendi non obedientes, nec imperia mundi occupan-

di,& tamen in ea ordo est, iuxta illud: Eph. 4. Ascendit, dat dona hominibus, Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores.

Filius Dei est summus sacerdos, vnctus ab æterno Patre, qui, vt non funditus intereat Ecclesia, ministros Euangelij ei attribuit, partim à se immediatè vocatos, vt Prophetas & Apostolos, partim vocatione humana electos. Nam & Ecclesiæ electionem approbat, & immensa bonitate efficax est, etiam sonante Euangelio per electos suffragijs, aut nomine Ecclesiæ.

Retinemus igitur & in nostris Ecclesijs publicum ritum ordinationis, quo commendatur ministerium Euangelij viris electis, quorum mores & doctrinam priùs exploramus.

Et de dignitate ministerij fideliter docemus Ecclesias. Nihil dici maius potest, quàm quod Filius Dei inquit, Ioan. 20. Sicut Pater meus misit me, sic & ego mitto vos. Ostēdit & quæ mandata det, Prædicate Euangelium: & affirmat, se per vocem illorum efficacem fore, sicut Pater ostendit se efficacem esse per Filium.

Proponimus & mandata Dei: Luc. 20. Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Item, Heb. 13. Obedite præpositis vestris. Nec tamen hæc dicta regnum constituunt extra Euangelium, sed obedientiam præcipiunt, debitam voci Euangelij & ad ministerium hæc pertinent, docere Euangelium, administrare Sacramenta, vocem absolutionis impertire petentibus, qui non perseuerant in manifestis delictis, ordinare ministros Euangelij ritè vocatos & exploratos, exercere iudicia Ecclesiæ legitimo modo, de ijs, qui manifestorum criminum in moribus aut doctrina rei sunt, & contra contumaces sententiam excommunicationis ferre, & conuersos rursus absoluere & recipere. Hæc vt ritè fiant, etiam Consistoria in Ecclesijs nostris constituta sunt.

Diximus autem in descriptione Ecclesiæ, multos in hac visibili Ecclesia esse non sanctos, qui tamen externa professione veram doctrinam amplectuntur: quia Donatistas improbamus, qui finxerunt, ministerium eorū, qui non sunt sancti, non esse efficax.

Improbamus & colluuiem Anabaptisticam, quæ finxit Ecclesiam visibilem, in qua omnes sint sancti. Ac fatemur, de Ecclesia visibili in hac vita sentiendum esse, sicut inquit Dominus, Matth. 13. Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, qua boni & mali pisces colliguntur. Sed tamen hi, qui fiunt hostes ve-

ræ doctrinæ, desinunt esse membra huius visibilis congregationis, iuxta hoc dictum, Gal. 1. Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

DE SACRAMENTIS.

Discernunt Ecclesiam à cæteris gentibus, & ritus quidam diuinitus instituti, qui nominantur vsitatè Sacramenta: vt Baptismus, & Cœna Domini: quæ tamen non sunt tantùm signa professionis, sed multò magis (vt vetustas dixit) signa gratiæ: id est, sunt ceremoniæ additæ promissioni Euangelij de gratia, id est, de gratuita remissione peccatorum, & de reconciliatione & de toto beneficio redemtionis: quæ ita instituta sunt, vt singuli eis vtantur: quia sunt pignora & testimonia, quæ ostendunt, ad singulos pertinere beneficia in Euangelio promissa. Nam vox Euangelij generalis est. Hanc testatur hic vsus, pertinere ad singulos qui Sacramentis vtuntur.

DE BAPTISMO.

Baptismus est integra actio, videlicet mersio, & verborum pronunciatio: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In his verbis summam doctrinæ Euangelij comprehensam, sæpè enarramus. Ego baptizo te: id est, ego testificor hac mersione te abluì à peccatis, & recipiì iam à vero Deo, qui est Pater Domini nostri IESV Christi, qui te per Filium IESVM Christum redemit, & sanctificat te Spiritu sancto. In huius veri Dei nomen, id est, inuocationem, te baptizo, quem agnosces & inuocabis, & discernes ab omnibus commenticijs numinibus: & certò statues tibi tribui beneficia, quæ in Euangelio promisit: te esse membrum Ecclesiæ Dei, quæ per Filium redemta est, & sanctificatur à Spiritu sancto.

Hunc intellectum huius fœderis teneant hi, quorum ætas iam doctrinæ capax est: & hac testificatione confirmati, credant sibi remitti peccata, & se verè esse membra Ecclesiæ Dei, & vera fide verum Deum inuocent: sicut Abraham cogitans de circunciſione, intuebatur promissionem venturi seminis, intelligebat se membrum esse Ecclesiæ Dei, & tolli maledictio-

ledictionem à se quoq; per hoc semen, de quo dictum erat in promissione, Gen. 12. In semine tuo benedicentur omnes gentes.

Sic & Petrus docet, 1. Pet. 3. Baptismum esse stipulationem bonæ conscientiæ erga Deum, per resurrectionem IESV Christi, qui est ad dexteram Dei. Nominatim ait esse stipulationem, qua Deus tecum fœdus facit, & te sanatis vulneribus tuæ conscientiæ recipit, & tu vicissim cum Deo facis fœdus, vt hunc verum Deum inuoces, & credas te per filium Dei resuscitatum ex morte, & regnantem, saluari.

Ita efficax est in te hic Filius Dei, sedens ad dexteram æterni Patris, sicut & Paulus inquit ad Galat. 3. Qui baptizati estis, Christum induistis. Et dari Spiritum sanctum in baptismo, affirmat ad Titum 3. cùm ait, Per lauacrum regenerationis & renouationis per Spiritum sanctum. Et Ioan. 3. dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum cœlorum.

Docemus igitur, necessarium esse Baptismum: & semel tantùm baptizamus singulos, sicut circumcisio semel tantùm in singulis fiebat: sed doctrinam de significatione & fœdere mutuo vtilissimam, sæpè commemoramus.

Retinemus & infantium baptismum: quia certissimum est, promissionem gratiæ ad infantes etiam pertinere, & ad eos tantùm, qui Ecclesiæ inseruntur. Quia de his dictum est, Matth. 10. Sinite paruulos ad me venire, quia talium est regnum cœlorum. Et Origenes scribit in 6. Cap. ad Rom. Ecclesiam ab Apostolis accepisse morem baptizandi infantes. Nec iudicamus hunc morem tantùm ociosam ceremoniam esse, sed verè tunc à Deo recipi & sanctificari infantes, quia tunc inseruntur Ecclesiæ: Ac ad tales promissio pertinet. Extant autem de hac re multa scripta in nostris Ecclesijs edita, quibus refutantur Anabaptistæ.

DE COENA DOMINI.

ET Baptismus, & Cœna Domini, sunt pignora & testimonia gratiæ, vt antea dictum est, quæ de promissione, & tota redemtione nos commonefaciunt, & ostendunt beneficia Euangelij ad singulos pertinere, qui his ritibus vtuntur. Sed tamen hoc discrimen est: Per Baptismum singuli inseruntur Ecclesiæ: sed Cœnam Domini simul etiam voluit Dominus esse neruum publicæ congre-

congregationis. Vult enim Deus ministerium Euangelij publicum esse, non vult in latebris tantùm inclusam teneri Euangelij vocem, sed exaudiri eam: vult se agnosci & inuocari à toto genere humano. Ideo vult publicos & honestos esse congressus, & in his vult sonare Euangelij vocem, vult se ibi inuocari & celebrari. Vult etiam hos ipsos congressus, testes esse confessionis & seiunctionis Ecclesiæ Dei, ab aliarum gentium sectis & opinionibus.

Conuenit Ioannes Ephesi cum suo cœtu, & docet Euangelium, & vsu Sacramenti totus cœtus ostendit se hanc doctrinam amplecti, & hunc Deum inuocare, qui Euangelium tradidit, & seiunctum se esse à Dianæ, Iouis & aliorum idolorum cultoribus. Vult enim Deus conspici & audiri suam Ecclesiam in mundo, & vult seiunctam esse multis publicis signis à reliquis gentibus. Sic haud dubiè suos cœtus habuerunt primi Patres, Adam, Seth, Enoch, Noë, Sem, Abraham: & deinceps politia Israël habuit multos ritus, vt seiunctio illa à gentibus esset conspectior.

Addidit etiam Dominus peculiarem promissionem congregationi, Matth. 18. Vbicunque duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ero in medio eorum, Item, Matth. 18. Quicquid petent consentientes, fiet eis. Et in Psalm. 149. Laus eius in Ecclesia sanctorum.

Sintq; promissiones, in quibus Deus affirmat se Ecclesiam seruaturum esse, eò dulciores, quia intelligimus eum publicum ministerium in congressibus honestis conseruare & restituere: sic vt & in ipsis verbis Cœnæ inclusa est hæc promissio, cùm iubet annunciari mortem Domini, & hanc Cœnam distribui, donec veniat. Matth. 26.

Vt igitur reuerentia maior sit in huius Sacramenti vsu, vera causæ institutionis cogitentur, quæ ad publicam congregationem, & ad singulorum consolationem pertinent.

Prima causa est: Filius Dei vult in publica & honesta congregatione sonare vocem Euangelij. Huius congregationis vinculum vult esse hanc sumtionem, quæ summa reuerentia facienda est, cùm ibi testimonium exhibeatur mirandæ societatis Domini & sumentium: de qua reuerentia Paulus loquitur, 1. Cor. 11. inquiens: Qui sumit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Secunda:

Secunda: Vult & concionem & ipsum ritum prodesse ad conseruationem & propagationem memoriæ passionis, resurrectionis, & beneficiorum suorum.

Tertia: Vult quemlibet sumentem hoc testimonio singulariter confirmare, vt statuat ad se pertinere beneficia Euangelij, cùm concio sit communis: & hoc testimonio, hac sumtione ostendit te ipsius membrum esse, & te ablutum esse sanguine suo, & facere se hoc fœdus tecum: Ioan. 15. Manete in me, & ego in vobis: Item, Ego in eis, & tu in me.

Quarta: Vult hanc publicam sumtionem, confessionem esse, qua ostendas, quod doctrinæ genus amplectaris, cui cœtui te adiungas. Vult & gratias agi publicè & priuatim in hac ipsa cæremonia, Deo æterno Patri, Filio, & Spiritui sancto, cum pro cæteris beneficijs, tum nominatim pro immenso beneficio redemtionis & saluationis. Vult & ipsis Ecclesiæ membris inter sese vinculum esse mutuæ beneuolentiæ. Ita multi fines concurrunt.

Harum maximarum causarum commemoratione inuitamus homines ad Sacramenti reuerentiam & vsum: Et docemus, quomodo prosit vsus. Apertè damnamus portentosum errorem Monachorum, qui scripserunt, sumtionem mereri remissionem peccatorum, & quidem ex opere operato, sine bono motu tentis. Hæc Pharisaica imaginatio pugnat cum dicto, Habac. 2. Iustus sua fide viuet. Sic igitur erudimus Ecclesiam, accessuros ad Cœnam Domini oportere pœnitentiam, seu conuersionem afferre, & accensa iam fide in cogitatione de morte & resurrectione, & beneficijs Filij Dei, quærere hîc confirmationem huius fidei: quia in vsu Sacramenti fit testificatio, quæ ostendit, ad te quoque pertinere beneficia filij Dei. Fit & testificatio, quòd te sibi membrum adiungat, & quòd sit in te, sicut dicit Ioan. 17. Ego in vobis, &c.

Monemus etiam, ne existiment propter hoc opus seu hanc obedientiam remitti peccata, sed vt fiducia intueantur mortem & meritum filij Dei, & resurrectionem eius, & statuant propter ipsum nobis peccata remitti, & velle eum hanc fidem hac commonefactione & testificatione confirmari. Cùm hoc modo fides, consolatio, gaudium conscientiæ & gratiarũ actio crescunt, prodest sumtio. Nec admittuntur vlli ad communionẽ, nisi priùs à Pastore aut Collegis eius auditi sint & absoluti. In hac exploratione

tione interrogantur & sæpè erudiuntur rudiores, de tota doctrina: & deinde absolutio promulgatur.

Docentur etiam homines: Sacramenta esse actiones diuinitus institutas, & extra vsum institutum res ipsas non habere rationem Sacramenti, sed in vsu instituto in hac communione verè & substantialiter adesse Christum, & verè exhiberi sumentibus corpus & sanguinem Christi: Christum testari quòd sit in eis, & faciat eos sibi membra, & quòd abluerit eos sanguine suo, sicut & Hilarius inquit: Hæc accepta & hausta efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.

In ipso autem ritu seruamus morem vsitatum vniuersæ Ecclesiæ veteris, Latinæ & Græcæ. Non fiunt priuatæ Missæ, hoc est, tales in quibus non fiat distributio corporis & sanguinis Christi, sicut nec vetus Ecclesia aliquot seculis post Apostolos, tales Missas habuit, vt descriptiones veteres apud Dionysium, Epiphanium, Ambrosium, Augustinum, & apud alios ostendunt. Et Paulus expressè iubet, 1. Cor. 11. simul fieri multorum communionem.

Itaq; in publica & honesta congregatione recitantur aut canuntur precationes, & symbolum, & lectiones distributæ in dies festos vsitato more. Deinde fit concio de beneficijs Filij Dei, & de aliqua doctrinæ parte, vt series temporum præbet argumentum. Postea recitat Pastor gratiarum actionem, & precationem pro vniuersa Ecclesia, pro potestatibus, & de præsenti necessitate: & orat Deum, vt propter Filium, quem voluit fieri victimam pro nobis, remittat nobis peccata, & nos saluet, colligat & seruet Ecclesiam.

Deinde recitat verba Christi, de Cœnæ institutione, & sumit ipse, distribuit sumentibus integrum Sacramentum: qui reuerenter accedunt, antea explorati & absoluti, & ibi suas preces ad publicas adiungunt. Ad extremum, rursus recitatur gratiarum actio.

Hunc ritum, & hanc communionem plurimum congruere cum scriptis Apostolorum, & cum consuetudine veteris Ecclesiæ, ferè vsque ad Gregorij ætatem, norunt omnes, non prorsus ignari antiquitatis. Quod cùm ita sit, probanda, non improbanda est nostrarum Ecclesiarum consuetudo: sed aduersarij improbantes nostram consuetudinem, defendunt multos

tos errores, alij magis tetros, alij nouis iam artificijs fucatos.

Multi ante hoc tempus scripserunt, fieri oblationem in Missa pro viuis & mortuis, & mereri eam facienti & alijs remissionem peccatorum ex opere operato. Et hæc plurimorum persuasio fuit, & adhuc est similis Pharisaicæ & Ethnicæ. Nam eodem modo Pharisæi & Ethnici somniabant, se ex opere operato mereri sibi & alijs remissionem peccatorum, pacem, & alia multa bona. Aut etiamsi qui minùs cœci verecundiùs loquebantur, & dicebant mereri ea non sine bono motu sacrificantis, tamen sacrificia ipsa fingebant esse merita & precium. Hac opinione cumulabantur sacrificia, & crescebant aucupia quæstus. Talis est Missarum mercatus, & prophanatio Cœnæ Domini, ferè in toto orbe terrarum.

Vult autem Deus, vitiosos cultus taxari & aboleri. Ideo vocem diuinam simpliciter & verè proponimus, quæ errores illos damnat. Ac toto pectore affirmamus coram Deo & tota Ecclesia in cœlo & in terra, tantùm fuisse vnicum sacrificium propiciatorium, seu quo ira æterni patris aduersus genus humanum placata est, scilicet, Totam Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi crucifixi & resuscitati obedientiam, Ioan. 1. Hic vnicus est agnus, qui tollit peccata mundi. De hoc vnico sacrificio dictum est, Hebr. 10, Vnico sacrificio cõsummauit in perpetuum eos, qui sanctificantur.

Et hoc sacrificium singulis sua fide applicatur, cùm audiunt Euangelium, & Sacramentis vtuntur, vt Paulus inquit: Roman. 3. Quem posuit propiciatorem in sanguine per fidem. Hab. 2. Iustus fide sua viuet: & 1. Pet. 1. Sanctificati Spiritu, ad obedientiam & consperſionem sanguinis IESV Christi. Cætera sacrificia in veteri Testamento fuerunt typica, de quibus suo loco copiosiùs dicitur: Et nequaquam merebantur remissionem peccatorum: & omnes iusticiæ sanctorum omnibus temporibus, fuerunt, sunt, & erunt sacrificia laudis, seu εὐχαριστικὰ, quę non merentur facienti aut alijs remissionem, sed sunt cultus debiti in singulis, & placent propter Mediatorem & summum sacerdotem, Filium Dei, vt dicitur ad Hebr. 13. Per ipsum offerimus sacrificium laudis semper Deo. Hanc esse immotam & æternam veritatem, manifestissimum est.

Quòd verò citantur contra tam claram lucem veritatis Centones, quos nominant Canones Missæ, etiam manifestum est

est dissimiles esse Canones Græcos & Latinos: Et Græcos ipsos dissentire inter sese de re maxima. Et in Latino Canone apparet paulatim assutas esse laciniasab ignotis autoribus.

Vetus Ecclesia vtitur nominibus sacrificij & oblationis, sed intelligit totam actionem, precationes, sumtionem, recordationem, fidem, confessionem, & gratiarum actionem. Hæc tota actio interior & exterior, in quolibet conuersoad Deum, & in tota Ecclesia, est reuera sacrificium laudis, seu εὐχαριστικὸν, & λογικὴ λατρεία. Et cùm inquit Dominus, Ioan. 4. Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate, affirmat, in nouo Testamento non præcipi externa sacrificia, quæ fieri necesse sit, etiamsi in corde nulli sint motus Spiritus sancti, sicut in lege necesse erat cæremoniam Paschatos seruari.

Sed de Cœna Domini dicitur, 1. Cor. 11. Probet se vnusquisque &c. Ita prodest vtenti Cœna Domini, cùm affert pœnitentiam & fidem, & non prodest ei alienum opus. Præterea de mortuis manifestum est, totum hoc spectaculum pugnare cum verbis institutionis Cœnæ, in quibus dicitur: Accipite, manducate, &c. Hoc facite in mei recordationem. Quid hoc ad mortuos, vel absentes? Et tamen in magna parte Europæ plurimum Missarum fit pro mortuis. Magna multitudo etiam prorsus ignorans, quid agat, legit Missas propter mercedem.

Cùm autem hæc omnia manifestè sint impia, facere oblationem, vt loquuntur, vt mereatur viuis & mortuis: aut facere nescientem, quid agat: horribiliter peccant, quia hæc scelera retinent & defendunt. Et cùm ritus extra vsum institutum non habeat rationem Sacramenti, qualis ibi fiat idolorum cultus, cogitent pij & eruditi.

Est & manifesta prophanatio, partem Cœnæ Domini circumgestare, & adorare: vbi prorsus transfertur pars ad vsum toto genere diuersum ab institutione, cùm textus dicat: Accipite, mãducate: cùm quidem & recens sit hoc spectaculum.

Postremò, quales sunt mores plurimorum sacrificulorum & monachorum in tota Europa, qui non curant hoc dictum: Probet se vnusquisq;. Item, 1. Cor. 11. Quicunq; indignè sumit, reus erit corporis & sanguinis Domini. Hæc cuiq; per se nota sunt.

Etsi autem Pontifices & hypocritæ, qui præstigias quærunt ad hæc mala stabilienda, rident has querelas, tamen certissimum

est, Deum horribiliter irasci his sceleribus: sicut in Israël irascebatur sacrificiorum prophanationibus. Et videmus iræ exempla manifesta, tot regnorum ruinas, vastationem orbis terrarum, quam faciunt Turcæ, confusiones opinionum, & multas tristissimas dissipationes Ecclesiarum.

Te autem, Fili Dei, Domine Iesu Christe, crucifixe pro nobis & resuscitate, summe sacerdos Ecclesiæ tuæ, veris gemitibus oramus, vt propter tuam & æterni Patris tui gloriam, deleas idola, errores & abominationes: &, sicut ipse precatus es, sanctifices nos in veritate tua, & in pectoribus plurimorum accendas lucem Euangelij tui, & veram inuocationem: & corda nostra ad veram obedientiam flectas, vt grati te in omni æternitate celebremus.

Omnium angelorum & hominum eloquentiam superat magnitudo peccatorum, quæ prophanatio Cœnæ Domini tot iam seculis parit. Et nos, cùm par oratio tantæ rei nulla esse possit, breuiores sumus: & in hoc ingenti dolore Filium Dei oramus, vt ipse hæc mala emendet: & simul ad declarationem copiosiorem nos apud eos offerimus, qui eam audire volunt. Sed in hac quæstione præcipuè fieri cernimus hoc, quod ait Salomon: Perinde facere canentem carmina prauo cordi, ac si acetum fundat supra nitrum.

Has de sacrificio persuasiones, sciunt aduersarij neruos esse suæ potentiæ & opum. Ideo contrariam orationem audire nolunt. Quidam astutè iam lenire absurda discunt. Non est, inquiunt, meritum oblatio, sed applicatio: fingunt insidias verbis, & eosdem abusus retinent.

Diximus autem antea, vnumquemlibet fide sua facere sibi applicationem sacrificij Christi, & cùm audit Euangelium, & cùm vtitur Sacramentis. Et scriptum est, 1. Cor. 11. Probet vnusquisque seipsum. Non igitur sensit Paulus, ceremoniam alteri non vtenti prodesse. Et Filius Dei ipse sese obtulit, ingrediens in sanctum sanctorum, id est, in arcanum consilium diuinitatis, cernens voluntatem æterni Patris, & ingentem iram sustinens, & causas huius mirandi consilij intelligens. Hæ res magnæ significantur, cùm dicit textus ad Hebræos 9. Sese obtulit. Et cùm inquit Iesaias: Iesa. 53. Ponet animam suam hostiam pro peccato, Quid igitur nunc intelligunt sacrificuli, qui dicunt, se offerre

Christum?

Christum? nec antiquitas hoc modo locuta est. Sed atrocissima oratione nos accusant: dicunt nos delere iuge sacrificium: sicut faciebat Antiochus, qui typus est Antichristi.

Respondimus etiam antea, nos retinere totum ritum Ecclesiæ Apostolicæ: & iuge sacrificium est, sonare doctrinam incorruptam Euangelij, & rectè inuocare Deum: Deniq; vt Dominus inquit, Ioan. 4. Est adorare patrem in spiritu & veritate. Complectimur etiam hîc verum vsum Sacramentorum.

Hæc omnia cùm fidelissimè retineamus, summâ reuerentia retinemus iuge sacrificium: illi abolent, qui veram inuocationem & ipsam Cœnam Domini multis modis corrumpunt, qui iubent inuocare homines mortuos, qui Missas venales habent, qui iactitant se oblatione sua alijs mereri, qui doctrinæ de pœnitentia & remissione peccatorum multos tetros errores miscent: qui iubent dubitare agentes pœnitentiam, an sint in gratia, qui libidinibus & idolis Ecclesiam polluunt. Hi sunt Antiochi similes, non nos, qui obedire Filio Dei studemus, dicenti: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Ioan. 14.

Postremò & de vsu integri Sacramenti, pauca quædam dicenda sunt.

Remoueatur sophistica à iudicijs Ecclesiæ, Norunt omnes, Cœnam Domini ita institutam esse, vt detur populo integrum Sacramentum, sicut scriptum est: Bibite ex hoc omnes. Nota est & consuetudo veteris Ecclesiæ, Latinæ & Græcæ. Ideò fatendum est, prohibitionem vnius partis iniustam esse. Legitima hominum testamenta violare iniustum est: cur Filij Dei testamentum, sanguine ipsius obsignatum, Episcopi violant?

Dolendum est autem, tantam esse impudentiam quorundam, vt contra hoc grauissimum argumentum fingant sophismata, ad stabiliendam prohibitionem: quorum refutationem in re manifesta omittimus.

DE POENITENTIA.

DEI beneficio hæc pars doctrinæ inprimis magna perspicuitate in nostris Ecclesijs illustrata est, cùm Sententiarij

eam inextricabilibus labyrinthis inuoluerint. Primùm clarè damnamus Catharos & Nouatianos, qui finxerunt, nec labi posse electos in delicta contra conscientiam, nec lapsos post emendationem recipiendos esse. Et extant nostræ refutationes contra hos furores.

Nolumus autem de vocabulo pœnitentiæ rerere λογομαχίας Si quis mauult, vtatur nomine conuersionis, quo & Prophetæ sæpe vsi sunt. Libenter etiam retinemus vsitatum vocabulum contritionis: & dicimus partem pœnitentiæ, seu conuersionis primam esse contritionem, quæ est, verè expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccata, & dolere, quòd Deum offenderimus. Et dicimus in his qui conuertuntur, aliquos tales veros pauores & dolores esse oportere, nec agere pœnitentiam eos, qui manent securi & sine dolore, vt 2. Corinth. 7. Contristati estis ad pœnitentiam. Et Ezech. 20. Et displicebitis vobis in conspectu vestro, agnoscetis vos dignos esse pœna & exitio. Et hi veri dolores sunt sensus iræ Dei, vt suo loco copiosiùs dicitur.

Hîc autem taxamus aduersarios, qui fingunt contritionem mereri remissionem peccatorum, & oportere contritionem sufficientem esse. In vtroque errore magnæ tenebræ sunt. Nam remissio datur propter Mediatorem gratis, & quæ potest esse contritio sufficiens? Imò quò magis crescit dolor sine fiducia misericordiæ, cò magis corda fugiunt Deum, & sustinere nulla natura hanc magnitudinem doloris potest, de qua dicitur Ies. 38. Sicut leo contriuit omnia ossa mea. Sed illa otiosa somnia scriptorum, ostendunt in ipsis & vitæ securitatem & insciti am Euangelij.

Fiunt autem hi veri dolores, cùm arguitur peccatum (vt in Euangelio ostenditur) contemtus Filij Dei: Spiritus arguet mundum de peccato, quòd non credunt in me. Ioan. 16. Et voce legis moralis arguuntur alia peccata, vt inquit Paulus, Rom. 5. Per legem cognitio peccati.

De confessione priuata facienda pastoribus, affirmamus ritum priuatæ absolutionis in Ecclesia retinendum esse: & constanter retinemus, propter multas graues causas. Sed simul docemus, non præcipiendam neque postulandam esse enumerationem delictorum in illo priuato colloquio: quia nec diuinitus

mandata

mandata est illa delictorum recitatio, nec possibilis est, & adducit pias mentes in dubitationem, & fidem languefacit.

Magis verò hoc taxamus, quòd nusquam aduersarij in doctrina de pœnitentia vel conuersione, mentionem faciunt fidei iustificantis, de qua suprà dictum est: qua sola verè accipitur remissio peccatorum, & cor in sensu iræ Dei erigitur, & liberamur ex doloribus inferorum, sicut scriptum est Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus. Sine hac fide, dolores fiunt pœnitentia Saulis, Iudæ, Orestis, & similium in Tragœdijs.

Nec docent Euangelium, sed legem & humanas traditiones aduersarij, hanc fidem vel omittentes, vel etiam oppugnantes. Cùm autem in vera conuersione fiant hæ mutationes, mortificatio & viuificatio, vt Roman. 6. & sæpè aliàs dicitur: docendi causa distribuimus conuersionem vel pœnitentiam, in tria membra, in Contritionem, Fidem, & nouam Obedientiam. Nam has res complectitur vera conuersio, vt vox diuina, & vera Ecclesiæ experientia ostendunt.

Nec tamen de modis loquendi, aut numero partium contentiones mouemus, sed res necessarias in conspectu omnibus esse volumus. Et maximè necessarium est Ecclesiæ extare doctrinam veram, planam, maximè perspicuam de tota conuersione, quæ quidem & in concionibus diuinis summa perspicuitate, & sine vllis labyrinthis sæpissimè repetita est, vt Baptista & Christus inquiunt: Matth. 3. Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Itē, Ioan. 1. Agite pœnitentiam: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et Paulus Rom. 3. Omnes carent gloria Dei. Hîc de contritione concionatur, postea de remissione: Iustificamur autem gratis, ipsius gratia, per redemtionem in Christo per fidem.

Necesse est igitur, in doctrina de conuersione, seu pœnitentia, fieri mentionem fidei. Nec satis est quòd dicunt aduersarij, sequoque de fide loqui, & hanc anteire pœnitentiam. Loquuntur enim de noticia doctrinæ: Credo remissionem peccatorum, scilicet, alijs dari, sicut & diaboli norunt symbolum: sed Euangelium postulat hanc veram fidem, quæ est fiducia misericordiæ propter Filium Dei promissæ, & acquiescens in Filio Dei, quæ inquit: Credo remissionem peccatorum mihi quoque dari, & quidem gratis, non propter meam contritionem, non propter vlla mea merita, sed propter Filium Dei, qui immensa

bonitate & sapientia diuinitatis constitutus est Mediator & Propiciator.

Scio mandatum Dei esse immutabile, vt singuli in his doloribus statuant, se certò propter eum recipi. Hæc est propria vox Euangelij, hoc decretum ex sinu æterni Patris prolatum est per Filium, & sanguine & resurrectione eius obsignatum est. Huic voluntati & decreto nolle assentiri, est contemnere Filium Dei. Et de hoc peccato inquit Ioannes: Ioan. 3. Qui non credit Filio, manebit ira Dei super eum. Sed qui credit sibi remitti peccata propter hunc Mediatorem, iam certò recipit remissionem peccatorum, propter Christum, qui efficax est in eo, viuificat & sanctificat eum Spiritu suo sancto & reconciliatus iam, certò reputatur iustus, propter Mediatorem, & est hæres vitæ æternæ.

Hanc necessariam consolationem in doctrina de conuersione vel omittere, vel corrumpere, vel improbare, est manifestè delere Euangelium.

De hac fide & commonefacere nos absolutio debet, & eã confirmare. Sicut confirmabatur Dauid, audita absolutione Dominus abstulit peccatum tuum, 2. Reg. 12. Ita tu scias vocem Euangelij tibi quoq; annunciare remissionem, quæ in absolutione tibi nominatim proponitur. Non fingas, nihil ad te pertinere Euangelium, sed scias ideo editum esse, vt hoc modo saluentur homines fide amplectentes Euangelium: & mandatum Dei æternum & immotum esse, vt ei credas. Qui non hac fide amplectitur Euangelium, sed manet in dubitatione, frustra audit absolutionem.

Cùm hac consolatione corda viuificantur, & sunt iam domicilium Dei, certè & nouam obedientiam incoari necesse est, vt suprà dictum est. Ac redire ad scelera, est excutere Deum, & rursus amittere iusticiam & vitam, sicut Ioannes inquit, 1. Ioan. 3. Qui facit iusticiam, iustus est: Qui facit peccatum, ex diabolo est.

Recitauimus autem suprà summam doctrinæ de noua obedientia.

DE

DE SATISFACTIONE.

QVale verò chaos sit doctrinæ de Satisfactionibus, quas nominant opera indebita, indicta ab Ecclesia, longum esset recensere, & pauci ante hæc tempora intellexerunt. Non dubitamus autem, in Ecclesijs nostris & totam hanc partem verè & perspicuè expositam esse. Fuit mos primis patribus, eos, qui homicidijs, idolis, aut incestis libidinibus polluti fuerunt, arcere à sua consuetudine & præcipuè à sacrificijs. Hunc morem & Synagoga retinuit, & retinuerunt in Asia & Græcia aliæ gentes non prorsus efferæ. Interea polluti vagabantur, circundati signis reatus: vti vagati sunt Orestes, Adrastus, & alij multi. Hunc morem initio & Ecclesia retinuit. Pollutos arcebat à communione: Deinde agentes pœnitentiam, vt intelligi posset, seriò eos petere veniam, & vt exemplum alijs prodesset, non subitò recipiebat, sed aliquot diebus absolutio differebatur, vt publicè petentes conspicerentur. Ita Corinthius incestus arcetur, & postea non sine deliberatione recipitur. 1. Cor. 5.

Hic totus mos exempli causa institutus est, & politicus est, nihil omnino pertinens ad remissionem peccatorum. Creuit autem deinde superstitione, vt indicerentur ieiunia, abstinentia à coniuge multis annis. Hæc onera cùm nimiùm creuissent, Episcopi rursus ea laxarunt. Hæc laxatio talium rituum, nominabatur Indulgentia.

Harum rerum historiam cùm Monachi non considerarent, finxerunt fieri compensationem pœnæ æternæ in pœnas purgatorij, & in alias pœnas huius vitæ. Et addiderunt, satisfactiones indici ab Ecclesia, vt illæ pœnæ mitigentur. Et quidem oportere satisfactiones esse opera non debita lege Dei. Has fabulas monachorum, quas ne ipsi quidem intellexerunt, reijcimus, & retinemus regulas firmissimas: Pœnæ æternæ simul cum culpa remittuntur propter Filium Dei, non propter vllas nostras compensationes, iuxta illud Hos. 3. O mors, ero mors tua: ô inferne, ero pestis tua. Item, Rom. 5. Iustificati fide, pacem habemus.

Secundò: Dicimus opera indebita, de quibus isti loquũtur, non esse cultus Dei, aut compensationes, sed pertinere ad hoc dictum, Matth. 15. Frustra colunt me mandatis hominum. Et certè potestas clauium non habet mandatum indicendi tales pœnas.

Dicimus etiam, hanc applicationem Indulgentiarum, qua Papa alijs applicat merita sanctorum, commentitiam esse: & Indulgentias olim nihil aliud fuisse, nisi laxationes Canonum, quæ nihil pertinebant ad eas compensationes, de quibus monachi loquuntur.

Aliud autem est, loqui de satisfactione debita: vt de restitutione furti, vsurarum, alienæ coniugis, famæ. Hæc restitutio est opus debitum, pertinens ad nouam obedientiam, vt Paulus inquit, Eph. 4 Qui furatus fuerat, iam non furetur. Qui retinet alterius coniugem, nec contritionem, nec fidem, nec nouam obedientiam habet. Nec miscenda sunt illis nænijs satisfactionum, præcepta Dei de restitutione debita, quam dicimus esse faciendã.

Fatemur & hoc, plurimas horrendas pœnas in hac vita vagari per Ecclesiam, per imperia, per familias, propter certa delicta multorum hominum, etiam electorum: vt seditio mota contra Dauidem, non leuiter afflixit totam illam politiam, & multas sanctas familias.

Discernimus igitur pœnam æternam, & pœnam huius vitæ. Et dicimus, pœnam æternam, tantùm propter Filium Dei remitti, cùm fide iustificamur & viuificamur. Etsi autem & pœnæ temporales præcipuè propter Filium Dei mitigantur, qui est vmbraculum Ecclesiæ, quia magnitudinem iræ Dei hæc infirma natura sustinere non posset, sicut & Daniel orat: Dan. 9. Propter Dominum exaudi nos, & respice nostrum exilium, &c. Tamen & hoc docemus, propter ipsam conuersionem quoq; mitigari pœnas: quia in sanctis promissiones legales additæ operibus, non sunt irritæ, sed habent sua præmia: qualis est, Date, & dabitur vobis. Et cùm Paulus inquit, 1. Cor. 11. Si iudicaremus nos ipsi, non iudicaremur. Loquitur de tota pœnitentia, non de illis vanissimis vmbris, quas disputant etiam valere, si quis relapsus sit in peccatum mortale.

Excogitantur autem in hac materia nouæ præstigiæ. Fatentur satisfactiones non esse compensationes, sed dicunt admittendas esse satisfactiones castigatorias, sicut Paulus Corinthium punit, 1. Cor. 5. Ea castigatio erat excommunicatio, & fatemur reos manifestorum scelerum, legitimo iudicio & ordine excommunicandos esse, nec est inane fulmen iusta excommunicatio.

Sed tamen potestas Ecclesiæ non punit vi corporali, carcere, aut

autinedia, tantùm pronunciat sententiam. Carcer & supplicia publica ad politicos gubernatores pertinent.

Tanta est autem peruersitas quorundam, vt, quanquam euidentia veritatis conuinci se intelligant, tamen quærāt sophismatum ludos, ne, si cederent, prodidisse socios existimentur. Deus, qui est inspector cordium, scit nos simplici studio veritatem quæsiuisse.

DE CONIVGIO.

SEmper in sola Ecclesia Dei mansit incorrupta veritas de Coniugio. Scit enim Ecclesia, Deum in genere humano vagas libidines seuerissimè prohibere, & velle intelligi & præstari castitatem, sicut ipse eam ordinat, vt ipsum quoque sciamus mentem puram & castam esse: & à diabolis discernamus, qui odio Dei delectantur confusionibus libidinum, & hanc infirmam naturam hominum impellunt, vt horribiliter contaminetur.

Quare & vbique Ethnici quædam tetra exempla admiserunt, & semper hæretici portentosas opiniones de coniugio sparserunt, vt narrant Clemens Alexandrinus & Epiphanius. Et magnam deformitatem in hac extrema mundi senecta fecerunt Turcici mores, & lex Papæ de cœlibatu. Affirmat autem Paulus, signū esse malorum spirituum, prohibere coniugia, *1. Tim. 4.*

Quare summa cura doctrinam Dei de coniugio incorruptam conseruamus, & Dei beneficio magistratus politici in sua gubernatione iudicia coniugiorum instituerunt & tuentur: & seuerè puniunt scelera pugnantia cum lege Dei: & sciunt mandato diuino præcipi sibi curam tuendæ castitatis & coniugij. Tenemus autem veram definitionem, mandatis diuinis & consuetudini Ecclesiæ Apostolicæ congruentem.

CONIVGIVM est legitima & indissolubilis cōiunctio tantùm vnius maris & vnius fœminæ, obseruanda propter mandatū Dei, qui vult hoc modo consociatum esse genus humanum, & castitatem intelligi, & non vagari libidines.

Hunc ordinem sanxit Deus initio, in hoc dicto: Erunt duo in carnem vnam, videlicet vnicus mas, & vnica fœmina inseparabiliter iuncti. *Gen. 2.* Et rursus sancita est hæc prima norma à Christo, Matth. 19. Vt autem sit legitima coniunctio, seruamus personarum

rum discrimina immutabiliter: Ne concedatur commistio personarum, quibus iure diuino non concessa est commistio. Seruantur & regulæ Iuris Canonici, de alijs propioribus gradib⁹, vt extant ordinationes graui deliberatione traditæ Consistorijs.

Scimus autem voluntatem Dei esse, ne prohibeatur coniugium vllis personis, quæ sunt idoneæ ad coniugium: & quæ extra coniugium non viuerent sine periculo conscientiæ, sicut Genesis 2. Matth. 19. 1. Corinth. 7. scriptum est. Ideo cõceditur apud nos coniugium sacerdotibus, & personis alijs, quæ piè in coniugio viuere malunt, quàm in cœlibatu habere sauciatas conscientias, ne Deum inuocare & piè viuere possint.

In desponsationibus etiam iuxta vetera iura, parentum cõsensum accedere volumus, cùm probabili ratione parentes mouentur. De diuortijs firmissimè tenetur regula: Peccare eos, qui vel adulterio, vel desertione initium faciunt distractionis, & adulteri & adulteræ: & desertores & desertrices cõdemnamus voce docentium in Ecclesijs, & iudicum in Consistorijs, & à magistratibus seuerè puniuntur.

Sed personæ innocenti, cùm re cognita pronunciatur esse libera, non prohibetur coniugium, vt Deum inuocare & piè viuere possit. Cùm enim expressè Dominus liberet personam innocentem, Matth. 19. cùm altera polluta est adulterio, intelligẽda est liberatio, non tantùm nomine, sed re: & Paulus eodem modo loquitur in causa desertionis. Hæc nostra consuetudo & cum veteri Ecclesia congruit. Cæteræ leges in Consistorijs nostris cõgruunt cum iure Canonico, & populo rectè proponimus totam doctrinam de coniugio & de castitate.

Affirmamus peccata esse damnata à Deo, mortalia & expellentia Spiritum sanctum, omnes commistiones, seu seminis effusiones extra coniugium: & multas tristes pœnas in hac vita vagari per gen⁹ humanũ propter libidines, sicut scriptum est Hebr. 13. Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Et de his pœnis extat comminatio, Leuit. 18.

Castitatem verò nominamus, & in vita cœlibe puritatem, & seruare iura coniugij: Et coniugium, vt antea descripsimus, affirmamus esse societatem à Deo institutam & sancitam, & placere Deo hanc ipsam societatem & officia vitæ coniugalis. & damnamus fanaticos omnes, Basilidem, Tacianum, Carpocratem & alios,

alios, quorum alij alijs modis vel damnarunt coniugium, vel tetras confusiones approbauerunt. Damnamus & legem Pontificiam, quæ prohibet sacerdotibus coniugia, & causam præbet exitij magnæ multitudini hominum: & ob eandem causam vota cœlibatus in ijs improbamus, qui non sunt idonei ad vitam cœlibē, quia hæc omnia pugnant cū decreto diuino: Dixit Dominus Genes. 2. Non est bonum homini esse solum. Dixit, id est, sua inenarrabili sapientia decreuit, genus humanum hoc modo condere, vt ex societate maris & fœminæ propagetur. Et duos condidit, vt essent Ecclesia: & sanxit has metas, ne vagarentur libidines. Vult enim intellectum castitatis esse in genere humano.

Hæc cùm dixerit ac decreuerit Deus, dicunt contrariū Tacianus, Papa, Monachi: qui, cùm prohibent coniugium, causam præbent multis hominibus, alioqui ad virtutem idoneis, cumulandi multa & horrenda peccata, propter quæ plurimi in æternū exitium ruunt, & ira Dei aduersus totum genus humanum magis irritatur.

Lex humana pugnans cum decreto diuino, & ipso Dei opere in creatione instituto & condito: deinde & cum præceptis diuinis, & quæ fons est magnorum scelerum, propter quæ multi pereunt, & ira Dei magis accenditur, imò quam legem Spiritus sanctus oriri à Diabolo affirmat, nequaquam Ecclesiæ imponenda est, sed omnium piorum consensu abolenda est.

Non rarò autem his triginta annis accidit, vt sacerdotes, quorum mores inculpati fuerunt & modesti, præcipuè propter coniugium, interfecti sint. Ita Diabolus suam legem etiam parricidijs stabilire conatur: & habet organa, scriptores impudentiss. Eccium, Fabrum, Pygium, qui expressè scripsit, minùs peccare sacerdotem si sit mœchus, quàm si ducat vxorem. Talia scribi & dici abijs, qui nominari Christiani volunt, indignum est.

Vident sapientes, in hac mundi senecta & naturam hominum languidiorem esse, & paulatim maiores disciplinæ laxationes & confusiones fieri: & semper ante excidia vrbium & ruinas regnorum proximè antecessit licentia in hoc genere. Ideo gubernatores debebant esse vigilantiores & seueriores in tuenda disciplina, in muniendis coniugij legibus, in puniendis & prohibendis vagis libidinibus: de qua re extare nostras commonefactiones ad omnem posteritatem, gaudemus.

Simul

Simul etiam oramus Filium Dei, Dominum nostrum IESVM Christum, custodem Ecclesiæ, verè amantem castitatis, vt Spiritu suo casto in plurimorum cordibus accendat castitatem, & flectat mentes gubernatorum ad salutaria consilia, & reprimat Diabolum, flammas libidinum accendentem, & impediat, ne turpia exempla latè vagentur.

Expauescunt omnium piorum animi & pectora, cùm tetra & horrenda exempla ethnica legunt vel audiunt, quæ quidē deinceps & cœcitas in mentibus, & alij furores exitiosi totis gentib⁹ comitati sunt, vt in historijs omnibus obuia sunt exempla.

Scedasi filias duo Spartani stupratas in puteum abiecerant: postea quasi in ipso vestigio trucidatus est exercitus Laconicus, & imperij mutatio facta est. Sed multa sunt omnium ætatum exempla. Meminimus ipsi, Episcopos aliquos præstantes nobilitate & ingenijs, in adulterijs interfectos esse.

Sed oramus Filium Dei, vt ob hanc ipsam causam plurimos custodiat, & ad castitatem flectat, vt à pluribus rectè inuocari possit. Quæ verò pro defensione cœlibatus ab aduersarijs citantur, perinde ad causam accommodata sunt, vt quod Tacianus citabat, ex Euangelio secundum Aegyptios dictum Christi ad Salomen: Veni soluere opera mulieris. Id interpretabatur Tacianus, Veni soluere, id est, abolere coniugium, cùm Christi verba loquerentur de Heuæ lapsu, & miserijs secutis eū lapsum, sicut & Ioannes scribit 1. Ioan. 3. Venit Filius Dei, vt destruat opera Diaboli.

DE CONFIRMATIONE ET VNCTIONE.

NOtum est, formas consecrandi oleum, magicas & execrandas esse: ideo nec vnctiones illæ, in quib. vsus est ei⁹ olei, tolerādę sunt. Et vetustas hos ritus longè aliter exercuit, quàm nunc exercentur. In ritu confirmationis fiebat exploratio doctrinæ, in qua singuli recitabant summam doctrinæ, & palàm profitebantur se improbare furores Ethnicos & hæreticos, & velle se esse & manere veræ Ecclesiæ membra, & non discessuros à vera sententia, quā tunc profitebantur.

Hic mos erat vtilis ad erudiendos homines, & retinendos in vera agnitione Dei. Ac in Ecclesijs nostris similia fiunt in catechesi

chesi iuniorum, & in priuata confessione, in qua pastores doctrinam populi explorant.

Sed ritus confirmationis, quem nunc Episcopi retinent, quid est, nisi inanis vmbra? Præterea Vnctio, quæ nunc extrema nominatur, fuit olim medicatio, vt ex Iacobi epistola perspicuum est. Nunc spectaculum est plenum superstitionis. Dicunt remitti peccata, per istas vnctiones: & addunt inuocationem mortuorum, quam etiam necesse est improbari. *Vnctio.* *Iacob. 5.*

Ideo hi ritus nō seruantur in nostris Ecclesijs, nec ante hæc tempora Ecclesia sensit esse necessarios. Cæterùm pro ægrotis fiunt publicè & priuatim piæ precationes, sicut promisit Deus, se etiam corporales ærumnas petentibus mitigaturum esse, iuxta illud Psal. 49. Inuoca me in die tribulationis, & ego eripiam te.

Fiunt & funera honesta congregatione, & pijs commonefactionibus, & canticis.

DE TRADITIONIBVS, ID EST, RITIBVS IN ECCLESIA INSTITVTIS AVTORITATE HVMANA.

NAtura rationalis ordinem intelligit, & intellectus ordinis nō obscurum testimonium est de Deo, nec viuere homines sine aliqua distinctione temporum, locorum, operarum, quietis, possunt, sicut in familijs videmus oportere distincta esse tempora laborum, quietis, cibi, somni, & optima quæque natura, in tota vita maximè est amans ordinis. Ac iubet omnia in Ecclesia fieri decorè & ordine. *1. Cor. 14.*

Fuit igitur semper, inde vsq; ab initio generis humani, ordo aliquis publicorum congressuum: fuit aliqua temporum & aliorum quorundam rituum distinctio, haud dubiè plena grauitatis & elegantiæ, apud illa excellentia lumina generis humani, quando in eodē horto aut tugurio consederunt Sem, Abraham, Isaac, & horum familiæ: & audita concione Sem, de vero Deo, de Filio Dei, de distinctione Ecclesiæ, & aliarum gentium, postea simul fecerunt inuocationem.

Quanquam igitur esse ritus aliquos honestos ordinis causa opor-

oportet: tamen homines proni ad superstitionem, facilè depra-
uant hos ritus, affingunt tales obseruationes esse merita remissio
nis peccatorum, & iustitiam coram Deo: vertunt signa in numi-
na, sicut multi statuis tribuerunt numen, & multi vel superstitio
ne vel tyrannide cumulant ritus: vt superstitio in Ecclesia auxit
ritus satisfactionum, vt nominant. Nabuchodonosor, Antio-
chus, quia iudicant consensum in religione prodesse ad regni cõ
cordiam & tranquillitatem, cultus instituunt, quos pariter à sub
ditis obseruari volunt. Ibi non superstitione, sed tyrannide no-
ua numina proposita sunt. Hæc ita fieri in genere humano, turbà
ri & mutari veras & falsas religiones videmus, & causas miramur,
cur non constanter perseuerent homines in veritate à DEO mon
strata.

Sed vox diuina affirmat, à Diabolis impelli homines, vtà
Deo deficiant: & natura hominum cœca, curiosa, leuis, amat lu-
dos variarum opinionum.

Aduersus hæc magna mala, præmunit & cõfirmat Ecclesiã
Deus: & certam doctrinam tradit, quæ quidem comprehensa est
in libris Prophetarum, & Apostolorum, & Symbolis. Quare ne-
cesse est considerare, quales sint leges seu ritus, & vnde sint.

Est igitur PRIMA Regula: Nulli creaturæ, non Angelis,
non hominibus, non regibus, non Episcopis licet condere leges,
aut ritus pugnantes cum verbo Dei. Vt, horribiliter peccauit
Rex Babylonicus, quanquam excellens sapientia & virtute, iu-
bens adorari statuam. Et peccant omnes homines, qui talibus e-
dictis aut legibus obtemperant: sicut Heua peccabat, discedens à
mandato diuino propter Diaboli mendacium. Sed vniuersaliter
Regula seruanda est, Actor. 5. Oportet Deo magis obedire quàm
hominibus.

Talia sunt edicta, quæ præcipiunt inuocari homines mor-
tuos, aut amplecti falsam doctrinam, aut obseruare impios cul-
tus. De his omnibus tenenda est regula primi præcepti 1. Cor. 10.
Fugite idola. Talis est & lex de cœlibatu sacerdotum, quem pluri
mi sine peccato obseruare non possunt. Etsi autem scimus, quid
de legum mutationibus viri politici iudicent, tamen Deus sic or
dinauit obedientiam, vt velit nos cum ipso copulatos esse, & cõ-
gruere cum sua sapientia & iustitia: vnde sunt hæ regulæ immotæ
& æternæ, Exod. 20. Non habebis Deos alienos. Item Actor. 5. O-

portet

portet Deo magis obedire, quàm hominibus. Item Galat. 1. Si qs aliud Euangelium docet, anathema sit.

SECVNDA Regula: Cùm vsitatum sit, superstitiones addere operibus, quæ alioqui suo genere erant indifferentia, vt nō vesci carnibus, necesse est superstitiones & errores, qui adduntur, taxare, & in vsu libertatis modestè ostendi possunt doctrinæ exempla.

Est autem error non obscurus, quem stultitia multorum docentium & populi plerunque addit, quòd docent & existimāt, ieiunia & similia opera mereri remissionem peccatorum, tū culpæ tum pœnæ: vt & Thomas scribit de satisfactionibus, & plurimi sic loquuntur.

Hæc Pharisaica imaginatio facilè capit animos, & obscurat lucem doctrinæ de beneficijs Christi proprijs, & de gratuita remissione, & de fide. Cùm enim putant homines, mereri se remissionem peccatorum his suis ritibus, transferunt honorem debitum Christo, in hos ritus, & aliquantisper inani fiducia tumēt: Postea tamen in veris doloribus ruūt in dubitationem, quæ sunt eis exitio. Et per sese magnum peccatum est, non nosse beneficia Filij Dei.

Propter hanc causam Paulus tam acriter dimicat de abrogatione circumcisionis, & aliarum ceremoniarum legis Mosaicæ, ne vera agnitio Mediatoris extingueretur, si existimarent homines, se mereri remissionem peccatorum, & iustos esse hac obseruatione legis & ceremoniarum Mosi, sicut Pharisæi contendebant. Et sæpe monet Paulus, vt caueamus, ne nouis ceremonijs humanis lux Euangelij obscuretur.

Secundus error minùs cōspicuus est, sed tamen pernicios̄us. Postquam vident aliqui, non posse defendi hunc Pharisaicum errorem, delabuntur huc: Etsi, inquiunt, non merentur hæ ceremoniæ remissionem peccatorum, tamē, quia sunt bona opera & cultus Dei, defenduntur hæ traditiones: vt in lege Mosi Nazaræorū abstinentia, etsi non merebatur remissionem peccatorum, tamē Deo placebat, & erat cultus Dei gratus.

Hoc fuco recēs quidā pingere traditiones didicerunt, qui tamen non de his medijs rebus dimicant, sed alios tetros errores & opinionem de potestate Episcoporum stabilire conantur.

Necesse est autē, pios hīc cauere doctrinæ insidias. Magnus error

error in hoc ipso fuco inest. Non rectè citatur exemplum ex Mose. Longè differunt opera à Deo instituta & ordinata, ab operibus non mandatis & non ordinatis à Deo, sed tantùm consilio humano excogitatis. Erant cultus Dei opera in lege Dei ordinata, etsi remissionem peccatorum non merebantur. At ἐθελοθρησκείαι excogitatæ ab hominibus sine mandato Dei, nec fuerunt, nec sunt cultus Dei. Nequaquam probat Deus hāc audaciam hominum, quæ tamen semper vsitata fuit, fingendi cultus, id est, opera, quorum finis immediatus sit, vt Deus per ea honore afficiatur. Ideo exclamat vox diuina, Matth. 15. Frustra colunt me mādatis hominum. Et passim in Prophetis & apud Paulum taxatur hęc audacia.

Sed veri cultus sunt opera à Deo mandata, quæ fiunt in agnitione & fiducia mediatoris, hoc fine, vt Deo præstetur obedientia, & profiteamur hunc verè esse Deum, quem sic colimus. Ita Ezech. 20. reuocat nos ad præcepta diuina, inquiens: In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, sed in præceptis meis ambulate. Et sæpe repetitæ sunt hæ conciones. Et in Psal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Et in Nume. cap. 15. Non sequantur cogitationes suas.

Tertius error est: Hypocritæ fingunt talia opera perfectiones esse, vt monachi sua vota plena vanitatis anteferunt vitæ politicæ & œconomicæ: cùm Deus mirando consilio sic consociauerit genus humanum, & in his laboribus & periculis velit conspici fidem, inuocationem, confessionem, mutuam beneficentiam, tolerantiam, & alias virtutes.

Quartus error est opinio necessitatis, vt scribunt quidam, Ieiunium quadragesimæ necessarium est: alia arbitraria sunt.

Nec tantùm carnificina est conscientiæ, iudicare, non esse Christianum, non esse membrum Ecclesiæ Dei, comedentē carnes die sexta, aut non seruantem ieiunium quadragesimæ: Sed error est obscurans res maximas, doctrinam de iustitia Euangelij, & de Ecclesia, qualis sit, & quomodo discernenda sint membra Ecclesiæ, non cibo & potu, sed fide, inuocatione, & cæteris virtutibus. Ac contra opinionem necessitatis expressè dicitur Coloss. 2. Nemo vos iudicet in cibo & potu. Et Galat. 5. In libertate, qua Christus vos liberauit, state, nec rursus iugo seruitutis implicemini. Et opinio necessitatis magnas discordias semper peperit: vt

olim

olim cõtentiones fuerunt de die Paschatos, de fermento, & nũc similes contentiones multæ exortæ sunt.

Quintus error. Accedit ad priores opiniones & hic error, quòd Episcopi sibi sumunt potestatem instituendi nouos cult', & obligandi conscientias, vt Gregorius constituit, vt mariti trãslati ad ordinem presbyterorum, relinquerent consuetudinem coniugum, & cõstitutio de cõfessione præcipit enumerationem, & decreta facta sunt de discrimine ciborum & ieiunio, &c.

De talibus traditionibus etiam libri extant recentes pleni labyrinthorum, in quibus scribitur, Peccata mortalia esse, violationes talium rituum, etiam extra casum scandali. Gerson quæsivit ἐπιεικείας: sed vera consolatio est vox Euangelij, quæ vult hũc intellectum libertatis in Ecclesia notum esse & conseruari, videlicet remotis illis erroribus, de quibus dictum est, ritus humanos honestos, ordinis causa factos, seruari posse sine opinione meriti, cultuum & necessitatis, vt suprà dictum est ex Coloss. 2. Nemo vos iudicet in cibo aut potu, &c. Et Petrus inquit Actor. 15. Quid tentatis Deum, imponentes iugum ceruicibus discipulorũ, quod neq; patres vestri, neq; nos portare potuimus?

TERTIA Regula: Remotis erroribus illis, de quibus docetur Ecclesiam necesse est, postea ritus aliquos honestos, boni ordinis causa factos, & seruamus, & seruandos esse docemus: vt sine ordine homines viuere non possunt. Et Paulus inquit 1. Corinth. 14. Omnia decorè & ordine fiant.

Et extat Athanasij dictum: Vtiles sunt ceremoniæ, sed cum cognitione veritatis & mediocritate. Hanc vocẽ apparet oppositam esse superstitioni, quæ tunc quoq; augebat ceremonias, & obscurabat veritatem, & onerabat conscientias & Ecclesias.

Agimus autem gratias Deo, æterno Patri Domini nostri Iesu Christi, qui propter Filium, & per eum, æternam Ecclesiã colligit, quòd inde vsq; ab initio generis humani conseruauit publicum ministerium Euangelij, & honestos congressus, qui ipse etiam distinxit quædam tempora: & oramus eum, vt deinceps seruet & regat Ecclesiam.

Et studiosè docemus, vt omnes adiuuent conseruationem publici ministerij, & vitent scandala & dissipationes, vt suo loco copiosiùs dicitur.

DE VITA MONASTICA.

OMittimus longiorem commemorationem de veteribus historijs eorũ, qui vel in solitudinem secesserunt, vt Antonius: vel collegia similia scholis instituerunt, extra ciuitatum frequentiam, vt Basilius. Aliæ enim alijs causæ fuerunt secedendi. De præsentibus monachis iam loquamur, qui minimè sunt in solitudine. Collegia sunt hominum vel doctorum, vel indoctorum, in media luce & frequentia commodiùs viuentium, quàm viuunt alij homines. Habent voluptates quas expetunt, alij alias: Et multò plus otij, quàm cęteri homines in vita politica & œconomica.

Ne ipsi quidem iam illa ridicula encomia de perfectione, & de vita contemplatiua ad se transferunt, vt olim aliqui fecerunt. Et cùm magna sit dissimilitudo hominum in illis sodalicijs, non volumus concionari malis, qui propter culinas & licentiam illas latebras amant: sed sanabiles obtestamur propter gloriam Dei & suam salutem, vt cogitent hæc dicta Exod. 20. Non habebis Deos alienos. 1. Cor. 10. Fugite idola. Qualis nũc est vita monastica, plurimum habet impiorum cultuum & vanitatis: Missas habent venales pro viuis & mortuis, & hic quæstus est in plerisque monasterijs maximus. Vsitata est ibi & mortuorum inuocatio, cumulata multis tetris superstitionibus, statuarum adorationibus, indulgentijs, & alijs imposturis. Studia doctrinæ aut nulla sunt, aut corrupta.

Hæ solæ causæ satis magnæ sunt, cur homĩnes non prophani ex illis sodalicijs discedere debeant: Quia vota, quæ implicant te generi vitæ, in quo est cultus idolorum, sunt haud dubiè irrita, iuxta primum mandatum, quod est immotum & æternum, & regula omnium aliorum præceptorum: Non habebis Deos alienos. Exod. 20.

Citant ex Paulo de viduis. 1. Tim. 5. Primam fidem irritam fecerunt. Sed responsio firma & perspicua est. Etiamsi loqueretur Paulus de votis, tamen talia vota nullo modo probaret, quæ coniuncta sunt cum cultu idolorum, & multis erroribus. Sunt autẽ & alia multa mendacia in votis. Promittunt castitatem & paupertatem: quàm multi verò sint idonei ad vitam cęlibem, ipsi norũt. Deinde de paupertate, sciunt multò plures quærere ibi culinas instructas, quàm inopiam & famem.

Iam

Iam hoc quoque considerandum est: Excusent & laudent vitam monasticam homines diserti, vt volent, tamen semper hæc opinio in hominibus non prophanis hoc exemplo confirmatur: Quòd talia opera electa humano consilio sint cultus Dei, id est, opera, per quæ iudicet Deus se honore affici. Hæc opinio taxanda & hominum mentibus euellenda est, & retrahendi sunt homines ad mandata Dei, iuxta hoc dictum, Matth. 17. Frustra colunt me mandatis hominum. Item, Non in præceptis patrum vestrorum, sed in præceptis meis ambulate. Hæc reprehensio vitæ monasticæ vera & illustris est.

Iam si affingunt merita & perfectiones, magis obscuratur Euangelium de iustitia fidei, & veris cultibus: Quia retrum & horribile mendacium est, obseruationes monasticas mereri remissionem peccatorum, aut tantundem valere, quantum valet baptismus, sicut Thomas expressè dicit. Nec fuit ignota antiquitati hęc reprehensio. Extat enim narratio seu vera, seu docendi causa scripta, quæ tamen iudicia piorum indicat.

Scribunt, Antonio cupienti scire, quantum apud Deũ profecisset in illis exercitijs solitudinis, monstratam esse domum sutoris Alexandrini, vicinam portæ. Ingressus igitur alloquitur patremfamilias, interrogat de doctrina & de exercitijs pietatis. Hic rectè de doctrina respondit: Postea ait, se manè breui precatione Deo gratias agere, & pro cæteris beneficijs, & quòd Filium misserit. Deinde petere se remissionem peccatorum propter Filium, & orare vt Ecclesiam seruet & suam familiam: orare & Filium, vt pro nobis intercedat, & hac fide acquiescere, & lætum facere domesticas operas, & curare, vt filij rectè doceantur. Non alia, inquit Antonius, habes exercitia duriora? Parúmne sustinet laboris, inquit iste, qui familiæ victum quærit? & multa subinde incidunt, quæ patremfamilias duriter excruciant, & accedunt onera communia ciuium. Non vides, quantum sit priuatarum & publicarum miseriarum in vita? quas rectè ferre, & in his exercere fidem & patientiam, satísne duram militiam esse existimas? Abijt Antonius, & intellexit se commonefieri, ne anteferret sua exercitia officijs vitæ communis. Tales narrationes & aliæ leguntur: quæ etiamsi docendi causa ita scriptæ sunt, tamen ostendunt eruditorum iudicia.

Nec iam lõgiorem disputationẽ addere opus est, præsertim cùm

cùm nemo in illis locis, vbi sunt Monachi, ignoret, plurimum esse prauarum superstitionum in monasterijs, & studia doctrinæ vel nulla, vel corrupta esse. Deliberationem verò de modo emendationis, relinquimus ijs qui præsunt.

In multis locis desunt pastores Ecclesijs, aut deest victus pastoribus. His primùm opitulandum erat ex reditibus monasteriorum locupletium. Postea pauperum quoque studia inde iuuanda sunt, & in aliquibus scholæ constitui possunt, præsertim cùm necesse sit Ecclesiam multis pauperibus præbere sumtus ad discendum, vt ex eo numero legantur pastores & ministri, qui doceant Ecclesias. Hospitalia etiam inde iuuanda sunt, in quibus pauperes, qui diuturnis morbis laborant, ali necesse est.

Ad tales vsus verè pios, ad alēdos pastores, pauperes & scholasticos, ad constituendas scholas, ad iuuanda hospitalia, magna pars redituum in monasterijs, in his regionibus Dei beneficio translata est. Reliquum in œconomiam, in quolibet monasterio impenditur: & stultitia est, existimare œconomias non esse sumtuosas.

Abbates verò ditiores hoc tempore, in quales vsus profundant reditus, exempla multorum ostendunt, quos nominare possemus, qui pariter literas, religionem & virtutem oderunt, & helluantur de his eleemosynis, & aut nullos pastores Ecclesijs suis præficiunt, aut, si quos habent, esurire sinunt.

DE INVOCATIONE HOMINVM PIORVM, QVI EX HAC VITA DISCESSERVNT.

IN capite Iesaiæ 42. scriptum est: Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo. Est autem gloria Dei præcipuissima, inuocatio: vt Matth. 4. inquit Dominus: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et immotum ac æternum decretum est primi præcepti, Exod. 20. Nō habebis Deos alienos. Necesse est igitur in Ecclesia doctrinam de inuocatione purissimam extare, ad quam corrumpendam inde vsq; ab initio generis humani Diabolus varijs modis semina sparsit, & semper sparget. Quare vigilantiores esse debemus, & maiore cura retinere modum

dum inuocationis, seu adorationis, propositũ in verbo Dei, inxta dictum Ioan. 16. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. In his verbis sancitus est modus, quem constantissimè tueri debemus: non miscere alios modos, pugnantes cum voce diuina, aut qui nullo exemplo probato in Scripturis confirmati sunt.

Nulla maior virtus est, nulla efficacior cõsolatio, quàm vera inuocatio. Necesse est igitur taxare eos, qui veram inuocationem vel negligunt, vel corrumpunt: & sunt corruptelæ variæ. Multi non discernunt suam inuocationem ab Ethnica, ac ne cogitant quidem, quid alloquantur. De his inquit Dominus in capite Ioannis 4. Vos adoratis quod nescitis. Vultq; Ecclesiam cogitare, quid alloquatur, inquiens: Nos adoramus quod scimus. Multi non cogitant, an, & quare exaudiantur. Recitant precationes, & dubitant tamen, cùm scriptum sit Iacob. 1. Postulet in fide, nihil hæsitans. De his materijs alibi dicimus.

Hoc loco reprehendimus hanc corruptelam Ethnicam, quòd defenditur consuetudo alloquentium homines, qui ex hac vita discesserunt, & petitur ab eis vel auxilium, vel intercessio. Talis inuocatio aberrat à Deo, & tribuit vel efficaciam creaturis, vel auxilium, vel intercessionem. Nam qui verecundiùs locuti sunt, de sola intercessione dixerunt. Sed humana superstitio longiùs procedit, & efficaciã tribuit, sicut multæ cantiones publicæ ostẽdunt: Maria mater gratiæ, Tu nos ab hoste protege, In hora mortis susci pe. Hos versiculos audiuimus doctorem Theologiæ monachum præfari morienti, & sæpe repetere, cùm quidem nullam CHRISTI mentionem faceret: Et possunt exempla multa recitari.

Accedunt & alij furores. Alij apud alias statuas existimantur esse magis propitij. Hi furores cùm palàm similes sint Ethnicorum, & haud dubiè valde irritent iram Dei, & à docentibus taxandi sunt, & à pijs magistratibus seuerè puniendi.

Reprehensio autem perspicua argumenta hæc tria continet. Creaturis tribuere omnipotentiam, est impietas: Inuocatio creaturæ, quæ est extra hanc vitæ consuetudinẽ, tribuit ei omnipotentiam: Quia confessio est, quòd intueatur omnium corda, & discernat gemitus veros à simulatis. Hæc tantũ tribuenda sunt æterno Patri, & Filio eius, Domino nostro Iesu Christo, & Spiri-

tui sancto. Nequaquam igitur inuocatio ad homines, qui ex hac vita discesserunt, facienda est.

Dolendum est, hæc mala non intelligi. Sed teipsum aspice, & considera quid agas. In hac inuocatione discedis à Deo, nec cogitas, quid inuoces: & scis illos opitulatores, quos quæris, Annam, aut Georgium, non videre motus tui cordis: qui quidem si scirent se inuocari, etiam cohorrescerent, nollent hunc honorem Deo debitum tribui vllis creaturis. Qualis autem est inuocatio ad surdos?

Etsi scimus quid respondeant aduersarij (finxerunt enim sophismata, ad eludendam veritatem) tamen diuina testimonia ipsorum responsioni desunt.

Et precatio quæ est sine fide, hoc est, vbi non potes statuere, an talem inuocationem approbet ac recipiat DEVS, inanis est.

Meminimus Lutherum sæpe dicere: In Veteri Testamento illustre testimonium esse diuinitatis Messiæ, quòd affirmat eum inuocari. Et hac proprietate Messias ibi à cæteris Prophetis discernitur. Id grauissimum testimonium querebatur obscuratum & labefactatum esse, translata inuocatione ad alios homines. Ac propter hanc solam causam, dicebat, consuetudinem alios inuocandi improbandam esse, etiamsi non accederent aliæ causæ.

Secundum argumentum. Irrita est inuocatio sine fide, & nullus cultus in Ecclesiam sine mandato diuino inuehendus est. Nulla autem extat sententia, quæ ostendat inuocationem hanc, quam defendunt, ad homines factam, Deo placere, & efficacem esse. Est igitur irrita inuocatio. Qualis est enim precatio, hoc modo accedere ad Annam, aut Georgium: Inuoco, sed dubito, vtrũ tua intercessio mihi prosit, dubito an me audias, an mihi opem feras?

Si homines hęc arcana peccata intelligerent, execrarentur tales precationes, vt reuera sunt execrandę & sunt Ethnicę. Postea ex talibus initijs quanti furores sequuntur? concursus & inuocationes ad certas statuas, petitio certorum beneficiorum à singulis: ab Anna, vt à Iunone, petuntur diuitiæ: à Georgio, vt à Marte, victoriæ: à Sebastiano, Rocho, depulsio pestilentiæ: ab Antonio, defensio porcorum, &c. Hæc, etiamsi aduersarij dicunt, se non probare, tamen lucri causa retinent, vt manifestum est.

Adiun-

Adiungamus & tertium argumentum. Expressè scriptũ est 1.Tim.2. Vnus est Mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus. Hunc in omni inuocatione intueri nos oportet, & Euangelij doctrinam de eo nosse: Quòd nemo accedere ad Deum possit, nisi fiducia huius Mediatoris, qui simul interpellat pro nobis, vt ipse inquit Ioan.14. Nemo venit ad Patrem, nisi per Filium. Et iubet ipse nos ad sese confugere, inquiens Matth.11. Venite ad me oẽs, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et modum inuocationis ipse docet, cùm ait Ioan.16. Quicquid petieritis Patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Patrem nominat, vt sciungas tuam inuocationem ab Ethnica, & cogites quid alloquaris. Cogites hunc verum Deum esse, qui se patefecit misso Filio. Non vagetur animus, vt Ethnica mulier in Tragœdia dicit: Inuoco te Deus, quicquid es, &c.

Sed hunc esse verũ Deum scias, qui se patefecit misso Filio, crucifixo & resuscitato, & talẽ agnoscas, sicut se patefecit. Deinde scias, hunc ita certò recipere & exaudire inuocantes, cũ ad Mediatorem Filium, crucifixum pro nobis, & resuscitatum confugimus, & petimus nos propter eum recipi, exaudiri, iuuari, & saluari. Nec alio modo vllus homo recipitur à Deo vel exauditur.

Nec incerta est hæc inuocatio, sed iubet sic inuocantes firma fide statuere, hunc cultum Deo placere, & sic inuocantes certò recipi & exaudiri. Ideò inqt Ioã.14. Quicquid petieritis in nomine meo, id est, me agnoscentes, & nominantes, seu inuocantes tanquam redemtorem, summum sacerdotem, & intercessorem.

Solus hic summus sacerdos ingreditur in sanctum sanctorũ: id est, in arcanum consilium diuinitatis, & cernit pectus æterni Patris, & pro nobis interpellat, & nostros dolores, gemitus, & preces ad eum perfert, scrutans corda nostra.

Hanc doctrinã de Mediatore obscuratam & corruptam esse manifestum est, cùm confugerent homines ad Matrem virginẽ, tanquam magis propitiam, & alij alios mediatores quærerent.

Ac manifestum est, nullum extare exemplum in Prophetis aut Apostolis, vbi fiat compellatio ad homines: Exaudi me Abraham, vel, Exaudi me Deus propter Abraham. Sed compellatio fit ad Deum, qui se patefecit: videlicet ad æternum Patrem, Filium Iesum Christum, & Spiritum sanctum, vt recipiat, exaudiat & saluet propter Filium.

Fit & expresse ad Filium, vt 2. Thess. 2. Ipse Dominus noster Iesus Christus, & Deus & Pater noster, qui dilexit nos, confirmet vos, &c. Et Gen. 48. nominat Iacob Deum, & Mediatorem Filiũ, cùm ait: Deus, coram quo ambulauerunt patres mei, & Angelus qui eripuit me de cunctis malis (id est, promissus Saluator) benedicat pueris istis. Vtimur igitur his formis.

Inuoco te, Omnipotens Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor cœli & terræ, & omnium creaturarum, vnà cum Filio tuo, Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto tuo, sapiens, verax, bone, iuste, liberrime, caste & misericors, miserere mei, & iustifica me per & propter Iesum Christum, Filium tuum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, exaudi & sanctifica me Spiritu sancto tuo.

Inuoco te Iesu Christe, Fili Dei, crucifixe pro nobis, & resuscitate, λόγε χὼ εἰκὼν ἀϊδίε ἀϊδίου πατρὸς miserere mei, intercede pro me apud æternum Patrem, & sanctifica me Spiritu tuo sancto.

In his formis scimus quid alloquamur. Et cùm extent testimonia verbi Dei, quæ ostendunt hanc inuocationem Deo placere, & exaudiri, talis inuocatio fide fieri potest.

Hæc non sunt in inuocatione, quæ fit ad homines. Colligunt nonnulli testimonia ex Augustino, & alijs, vt ostendant beatis in cœlo curæ esse res humanas. Potest hoc illustriùs ostendi ex colloquio Mosi & Eliæ cum Christo. Et non dubiũ est, beatos orare pro Ecclesia: sed tamen inde non sequitur, inuocandos esse.

Etsi autem docemus, non inuocandos esse homines, tamen historias beatorum populo proponimus: Quia necesse est omnibus aliquo modo notam esse Ecclesiæ historiam, quibus testimonijs vocata & condita sit Ecclesia, & quomodo seruetur, & quod genus doctrinæ per Patres, Prophetas, Apostolos, & Martyres propagatum sit. In his historijs iubemus, vt omnes agant gratias Deo, quòd se patefecit, quòd colligit Ecclesiam per Filium, quòd doctrinam nobis tradidit, & quòd misit doctores, & in eis testimonia de se ostendit.

Iubemus, vt doctrinam eorum considerent, & vt testimonijs, quę Deus in eis ostendit, fidem confirment. Considerent itẽ exempla iudicij & pœnarum, vt excitetur in eis tìmor Dei: iubemus imitari fidem, patientiam, & cæteras virtutes. Discant in

Deo

Deo non esse προσωποληψίαν, & petant se quoq; recipi, exaudiri, regi, saluari & iuuari: sicut Deus recipit Dauidem, Manassem, Magdalenam, latronem in cruce.

Monemus etiam, quomodo exempla cuilibet in sua vocatione imitanda sint: Quia error in imitatione, & κακοζηλία, sæpè ingentium malorum causa est. Laudamus etiam ipsorum sanctorum diligentiam, qui curarunt, ne effunderent dona Dei. Deniq; non stulti amplissimam doctrinam ex his historijs promere possunt, quam proponi populo remota superstitione vtilissimum est.

DE MAGISTRATV POLITICO.

DEi beneficio in Ecclesijs nostris & hęc pars doctrinæ de dignitate magistratus, qui gerit gladium, & de dignitate legum, iudiciorum, & totius ordinis politici, piè illustrata est: & magno labore ac multis scriptis refutati sunt Anabaptistarum & aliorum fanaticorum hominum multi & magni furores.

Docemus igitur, in tota doctrina Dei, per Prophetas & Apostolos tradita, affirmari ordinem politicum, magistratus, leges, iudicia, & legitimam societatem hominum nequaquam casu existere in genere humano. Et quanquam multum est horribilium confusionum, quæ à diabolo & ab hominum furoribus oriuntur, tamen à Deo institutam esse legitimam gubernationem, & societatem hominum: & quantum ordinis reliquum manet, immensa bonitate Dei propter Ecclesiam conseruari. Sicut Roman. 13. dicitur, & in Psalm. 126. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam, &c. Sunt igitur res suo genere bonæ, gerere magistratus, esse iudicem, esse ministrum iudiciorum, legitimè vti iudicijs, gerere bella legitima, & esse militem in bellis legitimis, &c.

Et potest his rebus vti homo Christianus, sicut vtitur cibo, potu, remedijs, emtione, venditione. Nec peccat gerens magistratus iuxta vocationem, exercens iudicia, militans, legitimo supplicio afficiens condemnatos &c. Et magistratui politico subditi debent obedientiam, sicut Paulus inquit, Rom. 13. Non solùm propter iram, id est, metu pœnæ corporalis, qua afficiun-

tur contumaces ab ipsis magistratibus: sed etiam propter conscientiam, id est, contumacia est peccatum offendens Deum, & auellens conscientiam à Deo.

Hanc sententiam diuinam Ecclesijs proponimus, quæ munit potestatem legitimam, & totum ordinem politicum: & ostendimus discrimen Euangelij & politicæ gubernationis. Vult Deus regi & coërceri politica gubernatione omnes homines, etiam non renatos: ac lucent in hac gubernatione quoq; sapientia & iusticia Dei, & bonitas erga genus humanum. Sapientiam ostendit ordo, qui est discrimen virtutum & vitiorum, & consociatio hominum per legitima imperia, & contractus mirandæ sapientia ordinatos.

Deinde iusticia Dei conspicitur in politica gubernatione, quia vult puniri manifesta scelera à magistratibus: & cùm ipsi, qui præsunt, non sumunt supplicia de sontibus, Deus ipse mirabiliter rapit eos ad pœnas, & regulariter atrocia delicta punit atrocibus pœnis in hac vita, vt dicitur Matth. 26. Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Heb. 13. Scortatores & adulteros iudicat Deus &c. Vult in his pœnis conspici discrimen virtutum & vitiorum, & vult disci, Deum sapientem, iustum, veracem & castum esse. Conspicitur & bonitas Dei erga genus humanum, quia hoc modo societatem hominum conseruat. Ideò autẽ conseruat, vt inde Ecclesia colligi possit, & vult politias esse hospitia Ecclesiæ.

Et aliud est politica gubernatio, quæ coërcet omnes etiam non renatos: aliud remissio peccatorum & iusticia in cordibus, quæ est incoatio vitæ & salutis æternæ, quæ voce Euangelij fit in credentibus.

Vtrunq; bonum tribuit Deus generi humano, & discrimina iusticiæ politicæ & lucis in cordibus vult intelligi. Nec Euangelium damnat aut dissipat politias, aut œconomias. Etsi autem non pertinet ad docentes in Ecclesia, leges particulares ferre de politica gubernatione: tamen in genere de officio potestatis hoc tradit vox diuina.

Primùm: Vult Deus, sine vlla dubitatione magistratus sonare vocem legis moralis in genere humano, quod ad disciplinam attinet, iuxta Decalogum, seu legem naturalem: hoc est, vult magistratuum voce primùm proponi summas & immutabiles leges, prohibentes cultum idolorum, blasphemias, periuria, iniustas

iniustas cædes, vagas libidines, violationem coniugij, furta & fraudes in pactis, contractibus & iudicijs.

Secundum officium: Harum legum diuinarum & immutabilium, quæ sunt testimonia de Deo, & summæ normæ morum, sit custos magistratus, in puniendis omnibus, qui eas violant. Nam vox legis sine pœna & sine executione, parum valet, ad frenandos & coërcendos homines. Ideò dictum est à Paulo, Rom. 13. Potestas sit terrori malo operi, & honori bono. Et antiquitas rectè dixit: Magistratus est custos legis, scilicet primæ & secundæ tabulæ, quod ad disciplinam attinet.

Tertium officium est magistratus politici, etiam addere legi naturali aliquas leges, quæ sunt determinationes circumstantiarum legis naturæ: sitq; harum legum custos in puniendo. Sed nequaquam ferat aut defendat leges pugnantes cum iure diuino & naturali, sicut scriptum est, Iesaiæ 10. Væ ijs, qui condunt leges iniquas. Quia imperia sunt ordinatio diuina, in qua sapientia & iusticia Dei, id est, leges iustæ dominari debent, sicut inquit rex sapiens & Deum timens Iosaphat, 2. Par. 19. Non hominum exercetis iudicium, sed Dei, qui vobiscum est in iudicio. Sit timor Dei vobiscum, & cum diligentia omnia agite.

Quanquam autem multi in imperijs negligunt gloriam Dei, tamen hæc præcipua cura esse debebat, audire & amplecti veram doctrinam de Filio Dei, & Ecclesias fouere, sicut Psalmus 2. inquit: Et nunc, reges, intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Item, Psal. 23. Aperite portas, principes, vestras: id est, Aperite imperia Euangelio, & præbete hospitium Filio Dei. Et Iesaiæ 49. Et reges erunt nutritores tui, & reginæ: id est, Respublicæ sint nutrices Ecclesiæ, præbeant hospitia Ecclesiæ & pijs studijs.

Sint membra Ecclesiæ ipsi quoque reges & principes, & doctrinam rectè intelligant, non adiuuent eos, qui falsam doctrinam stabiliunt, & iniustam sæuiciam exercent, sed sint memores huius dicti: Dan. 4. Glorificantes me glorificabo. Et Daniel regem Babylonicum hortatur ad agnitionem iræ Dei, & ad clementiam erga exulantem Ecclesiam, cùm ait: Redime peccata tua iusticia & clementia erga pauperes, & erit sanatio delictorum tuorum. Et cùm sint inter præcipua Ecclesiæ membra, videant, vt iudicia in Ecclesia rectè exerceantur sicut

Con-

Constantinus, Theodosius, Arcadius, Marcianus, Carolus Magnus, & multi pij reges curauerũt rectè exerceri iudicia Ecclesiæ. Cæterùm de discrimine vtriusq; gradus, ministerij Euangelici & politicæ potestatis, extant scripta in Ecclesijs nostris multa, quæ ostendunt, nos neq; fanaticas neq; seditiosas opiniones docere, sed monstrare necessariam doctrinam in Euangelio traditam de vtroq; gradu, vtilem pietati & paci communi.

DEO GRATIA.

HAec est summa doctrinæ, quam in Ecclesijs nostris, Dei beneficio, vna voce sonamus: quam quidem esse incorruptam sententiam doctrinæ diuinitus traditæ in scriptis Propheticis & Apostolicis, & Symbolis, nequaquam dubitamus, & ex vetustis scriptoribus sincerioribus intelligi potest, congruere eam cum veteri & puriore Ecclesia.

Ostendit autem res ipsa, nos non curiositate nouas aut argutas disputationes quæsiuisse, nec de potentia aut opibus contendere, sed tantùm necessariam doctrinam ad veram inuocationem Dei, & ad salutem animarum, ex magna caligine traditionum & opinionum euoluere, & simplicissimè ac planissimè eam Ecclesijs proponere. Necesse est enim omnes sanos fateri, magnas fuisse doctrinæ tenebras, & multos errores in doctrina monachorum, & laqueos conscientiæ multiplices in Pontificijs traditionibus. Et vtra doctrina sit vera, plana, perspicua, vtilis conscientijs & moribus, ostendit collatio. Non enim defugimus iudicia piorum: imò semper veram Dei Ecclesiam, hoc est, omnes pios & eruditos, vbicunq; sunt, volumus hæc, quæ dicimus, cognoscere: quos non dubitauimus testes fore, hanc doctrinam esse veræ Ecclesiæ Dei catholicæ consensum.

Offerimus etiam nos, quocunq; tempore, ad copiosiorem declarationem, in singulis partibus: & hanc commemorationem doctrinæ nunc factam, congruere cum confessione Augustæ exhibita, Anno 1530. sentimus.

Cùm igitur doctrina, quam recitamus, vera sit, & Ecclesiæ necessaria, oramus ne damnentur Ecclesiæ nostræ, quasi aut errores amplectantur, aut sine graui causa stolidè & seditiosè tumultuentur. Veritas & rerum magnitudo, hac iniusta crimination nos liberent.

Deinde

Deinde ipsam Synodum piè monemus. Vident veteres abusus, & errores multos & magnos hærere in Ecclesia: Quia omnibus ætatibus inde vsq; ab initio generis humani, diabolus errorum semina spargit, & postea multa, inscitia hominum, aut superstitione, confirmantur aut repullulant.

Cùm autem iam vanitas multarum superstitionum nota sit, tempora flagitant emendationem: & nisi gubernatores curabunt extare illustratam veritatem, magnæ distractiones opinionum secuturæ sunt, præsertim cùm in hac postrema mundi senecta plus confusionum impendeat. Ideò synodus videat, ne manifestam veritatẽ damnet. Et si piè deliberatura est, quomodo consulendum sit Ecclesijs, & à nobis declaratio copiosior petetur: eligendi sunt viri eruditi, intelligentes & amantes veritatem, & timentes Deum, qui de his tantis rebus simul deliberent. Nec tantùm numero suffragiorum nobiscum certetur: cùm manifestum sit ex multis præiudicijs, quid Rom. Pontifex & plurimi Episcopi ei addicti sentiant, qui tot iam annos non solùm edicta contra nos sanguine scripta ediderunt, sed etiam multos nobiscum sentientes interfecerunt: & multi doctrinam nec intelligant, nec curent, sed profanis persuasionibus imbuti, existiment hoc præcipuè dignum esse politicis viris, defendere præsentem formam, & tueri autoritatem suam. Et ad hanc rem quærunt ministros idoneos, qui sophismatum præstigijs veritatem eludant.

Quare iam testamur, nos veritatem non abiecturos esse, etiamsi talium hominum iudicijs condemnata fuerit: & palàm testamur, nos Tridentinæ synodi, quæ antea edidit decreta partim palàm falsa, partim ambigua & sophistica, non assentiri: sed flagitare, vt de ijsdem rebus & audiamur, & errores antea confirmati decretis Tridentinis emendentur.

Et reuerenter oramus Inuictissimum Imp. Carolum Augustum, ne permittat aduersarijs, vt veritatem sua audacia opprimant, & crudelitatem, quæ aduersus innocentes exercetur, confirment, & maiora dissidia iniustis decretis excitent.

Commendamus autem & Ecclesiam & nos ipsos, Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, quem scimus voce Euangelij colligere sibi æternam Ecclesiam: & eum oramus, vt nos regat, nec sinat extingui lucem Euangelij sui, nec deleri sinat cœtus ipsum verè inuocantes.

DEO GRATIA.

CAVSAE,

QVARE ET AMPLEXAE SINT, ET RETINENDAM DVCANT DOCTRINAM, QVAM PROFITENTVR ECCLESIÆ, QVÆ CONFESSIONEM AVGVSTÆ EXHIBITAM Imperatori sequuntur, & quare iniquis iudicibus, collectis in synodo Tridentina, vt vocant, non sit assentiendum.

ETSI ex magnitudine periculorum nostrorum, sumtuum, & laborum, satis intelligi potest, nos nec curiositate, nec praua aliqua cupiditate, nec cæca pertinacia, genus doctrinæ Dei beneficio instauratum in Ecclesijs nostris, in quo iam consenescimus, retinere & propagare: tamen de consilio & voluntate nostra hîc rursus quædam dicenda sunt: non modò vt honestis hominibus huius ætatis nos purgemus, sed etiam vt vniuersam posteritatem Christianam præmoneamus, ne ex criminationibus & condemnationibus aduersariorum de nobis iudicet, sed & causæ fontes & nostras voluntates verè consideret.

Reddent enim Deo omnes homines vbiq; terrarum rationem sui iudicij de nobis, quia non agimus priuatam aliquam causam, sed Euangelij doctrinam de vera inuocatione, de vera agnitione Domini nostri Iesu Christi, & de omnibus partibus vitæ Christianæ necessarijs profitemur, quam Deus exaudiri vult à toto genere humano, vt colligatur æterna Ecclesia ex omnibus gentibus.

Quare iterum & verè affirmamus, exaudiente vniuersa Ecclesia in cœlo & in terris, & testem voluntatis nostræ facimus Deum, nos præcipuè moueri seuerissimis & immutabilibus Dei præceptis, vt hanc ipsam doctrinam Euangelij puram, quam Ecclesiæ nostræ sonant, amplectamur, nec abijciendam esse censeamus: quæ iubent rectè inuocare Deum iuxta Euangelium, & vetant idola coli, & religioni Christianæ Ethnicos furores misceri. Sic enim inquit primum mandatum: Non habebis Deos alienos, Et secundum: Non assumes nomen Dei tui vanè. Et Pater æternus

nus inquit de Filio: Hunc audite. Et Paulus ait: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Item, fugite idola.

Hæc fulmina cœlestia & coëgerunt nos assentiri prolatæ veræ doctrinæ, & adhuc cogunt nos, ne eam abijciamus. Non opes, non voluptates, non imperia, deniq; nullæ res humanæ mouent animos nostros, vt cum summis periculis & laboribus, totiam annos ab alijs dissentiamus, quorum beneuolentiam & coniunctionem omni officio in alijs rebus tueri cupimus. Sed doctrinam cœlestem anteferre nos necesse est, vt præcipitur: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Nec ignoramus, ab hominibus prophanis, hanc piam voluntatem nostram, terribilioratione vituperari.

Primùm, multi sunt athei, qui, cùm omnes religiones pariter commentitias & fabulosas esse arbitrentur, inflectendam esse Ecclesiæ doctrinam ad tempora, & ad potentum sensus atq; opiniones dicunt, ac fremunt inanibus verbis, vt ipsi dicunt, multarum gentium tranquillitatem & imperia turbari, voluntq; omnibus religionibus concordiam anteferri.

Quanquam autem valdè dolemus tantis contumelijs Deum & Filium eius Dominum nostrum Christum & Ecclesiam Dei affici, vt religio dicatur fabulosa esse, & postponenda ocio & tranquillitati imperiorum: tamen nunc breuiter respondemus, nos abhorrere ab illis opinionibus Epicureis, easq; execrari. Delectentur illa sapientia oratores aduersariorum, qui eam exrancidis Epicureorum libellis excerptam passim nunc edunt, & hoc velut Sirenum cantu multorum aures deliniunt, & mentes eorum à Deo auertunt.

Nos affirmamus, doctrinam de Deo, commendatam Ecclesiæ illustribus testimonijs, in quibus se Deus patefecit humano generi, veram & salutarem esse: Et Paulus inquit, potentiam Dei esse ad salutem omni credenti. Ac Deo gratias agimus, quòd immensa misericordia ex arcana sede sua prodiens se patefecit generi humano, & Filium misit, vt pro nobis victima fieret. Et sentimus præcipuè hoc officium ab omnibus hominibus flagitari, vt hæc beneficia Dei agnoscant & celebrent, vt Ioh. 14. dicitur: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Si igitur primum

cura

cura tuendæ puritatis Euangelij, nec sumant sibi vlli homines aut angeli tantam audaciam, vt æterna decreta Dei corrumpant, aut mutent, sicut initio fecit Diabolus, Heuam à decreto diuino abducens, & postea omnibus seculis fecerunt idolorum & impiorum dogmatum architecti.

Nec sumus adeo rudes vitę communis, cùm quidem & nos difficilibus tempestatibus, Deo iuuante, regamus nostras politias, vt non intelligamus, quantum bonum sit ordo politicus, & concordia in singulis regnis, & quanta virtus sit cauere, ne temere, ne errore, ne causis non valdè necessarijs, eius ordinis harmonia turbetur.

Ament omnes & venerentur imperia, sed propter Deum, qui se in imperijs rectè coli iussit: non amemus imperia extruso Deo autore, nec putemus hanc hominum societatem tantùm ideò coijsse, vt collatis operis quærant voluptates, & earum instrumenta: quales fuerunt ciuitates, Sodoma, Sybaris, Thebæ & similes: sed sint imperia templa Dei: & ad hoc officium præcipuè conditos esse homines agnoscamus, vt Dei noticia in eis luceat, & congregatos esse diuinitus, & societatem mirandis vinculis generationis, educationis, officiorum, contractuum, gubernationis, defensionis, copulatam esse, vt veram Dei noticiam docendo & confitendo alij alijs tradamus. Sit igitur hoc pręcipuum officium in vita, longè anteferendum ocio & tranquillitati imperiorum, veram de Deo doctrinam discere & tueri.

Secundò, alij nos vituperant callidiores, qui, cùm dissimulent se esse atheos, studium religionis præ se ferunt, & arrogant sibi titulum Ecclesiæ Dei. In hac aiunt semper manere veram doctrinam necessariam ad salutem. Quare cùm nulla nunc sint idola, nulli errores pugnantes cum articulis fidei, in illo cœtu, qui iam aliquot seculis regit Ecclesiam, vociferantur, aut falsò quædam in doctrina vsitata, & vsitatis ritibus reprehendi, aut seditiosè res paruas exagitari, quas condonari communi tranquillitati melius esset.

Cùm autem sæpè alias refutata sit hæc iactantia aduersariorum, qui magnos & veteres Ecclesiæ morbos occultant: nunc tantùm orabimus omnes honestos homines, non fascinatos stulta superstitione, vt circumspiciant toto orbe terrarum col-

legia sacerdotum plena insciticæ & spurcitiæ, & videant in templis populum ad diuersas statuas prostratum, ab alijs alia dona petere: & non modò singularum gentium, sed penè singulorum oppidorum alia numina esse, quorum inuocatione mentes à vera Dei inuocatione abduci tam manifestum est, quàm manifestum est, in bruma nobis diem breuiorem esse, quàm in æstiuo solstitio. Deinde considerent & prophanationem Cœnæ Domini, quæ partim in theatricum spectaculum conuersa est, partim in quæstum collata, & multis modis contaminatur.

Hæc cùm considerant prudentes, nihílne mali putant esse, tetras libidinum confusiones, statuarum inuocationes, & varias Cœnæ Dominicæ prophanationes? quæ cùm ante hæc tempora pij, eruditione & prudentia antecellentes, semper deplorarint, nunc homines astuti defendere præstigijs verborum conantur. Ac res loquitur ipsa, hæc exempla, Ethnicorum similia, in Ecclesiam, Diaboli artificijs, inuecta esse, & paulatim confirmata.

At non errat, inquiunt, Ecclesia. Quæ est ista impudentia, cùm in conspectu sint tam tetra mala, nolle tamen fateri errata? Non dubium est & fuisse semper, & esse homines pios in Ecclesia, qui plerosq; errores & deplorarunt & reprehenderunt, alij magis, alij minùs perspicuè. Ita manet in Ecclesia veritas. Interim tamen, vt prædictum est, dominati sunt in Ecclesia Pontifices prophani, qui imperia & tyrannides pluris fecerunt quàm doctrinam, & indocti sacerdotes & auari monachi multos errores sparserunt: Et cœca multitudo facilè capitur plausibili doctrina, quæ stultis affectibus blanditur.

Horum iudicia & exempla non tribuantur Ecclesiæ Dei. Nam & prædixit vox diuina, non solùm multos extra Ecclesiam Dei Euangelium oppugnaturos esse, quales sunt Ethnici, Mahometistæ: sed etiam in hoc ipso cœtu, qui titulum habet Ecclesiæ Dei, magnam fore multitudinem fascinatam prauis opinionibus, & à vera inuocatione aberrantem. Ac Petrus nos ad exemplum Israëlitarum deducit: Fuerunt & Pseudoprophetæ in populo, sic inter vos erunt. Quanta multitudo ferè omnibus temporibus in Israël idola coluit? Et sacerdotes ipsi, qui (vt nunc loquuntur homines) ordinariam gubernationem tenebant, vera sacrificia deprauabant, & pro iusticia fidei externam

hypocrisia

hypocrisin ceremoniarum docebant, quam cùm Prophetæ taxarent, sæuicia, vt nunc quoque fit, exarsit. Et post Machabęos, cùm sectæ duæ summam potentiam tenerent, Pharisæi & Saducæi: fateri necesse est, non solùm paucos in vulgo, sed magnam turbam sacerdotum, interpretum legis, iudicum, tetris erroribus inquinatam fuisse.

Hæc cùm acciderint in illa parua politia, quæ neruos disciplinæ plures habuit, quàm Ecclesia dispersa nunc in barbaricis imperijs: cogitemus & hanc postremam mundi senectam multis morbis & delirijs obnoxiam esse, & Prophetæ querelam ad hæc secula quoque pertinere, qui ait: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus. Imò quid tam simile est, quàm Saducæorum agmini, Epicuræi, Pontifices & Cardinales: & Pharisæis, Sacrificuli & Monachi, qui suos ritus in quæstu habent, nisi quòd aliquantò plus pudoris in illa politia Iudaica fuisse consentaneum est, quàm nunc est in Collegijs Pontificijs & monasterijs? Erant enim mariti, & domesticam disciplinam vtcunque tuebantur, & minùs erant ocioſi.

At paruos næuos, inquiunt nonnulli, & aliquas aniculârum ineptias reprehenditis, quas, nisi essetis nimis morosi & μεμψίμοιροι, dissimularetis propter communem concordiam.

Plus enim nocet orbi Christiano tam atrox dissidium, quàm illæ leues ineptiæ, quæ taxantur. Nec fuit vnquam vlla ætas, nec erit in hac hominum infirmitate, sine multis morbis, & hallucinationibus.

Hac oratione homines, qui perhiberi volunt politici, extenuant errata, quod eò fit, quia leuiter curant gloriam Dei, & suæ vtilitati aut tranquillitati malunt consulere. Quare verborum præstigijs aut tegunt, aut excusant, multa horrenda mala. Non enim de paruis tantùm rebus, aut paucis dissensio est, nec tantùm aniculârum superstitiones taxamus.

Extant scripta doctorum vetera & recentia, quæ defendunt hæc portēta. Negant in scriptura Prophetica & Apostolica hanc fidem, qua accipienda est remissio peccatorum, contineri, cùm Petrus hunc esse vniuersæ Ecclesiæ consensum affirmet, inquiens: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionē peccatorum accipere per nomē eius, omnes qui credunt in eum.

Nec obscurum est, quàm tetram sententiam propugnent aduersarij, cùm iubent vniuscuiusq; mentem in perpetua dubitatione manere, an habeat remissionem peccatorum. Postea fingunt dari remissionem propter cuiusque merita, imò etiam propter vota monastica, propter venales missas, quas scribunt etiam ex opere operato mereri remissionem facienti & alijs. Deinde Cœnam Domini & ad mortuos peruersè transferunt. Doctrina de vera pœnitentia, caligine opinionum de enumeratione & de satisfactione prorsus obscurata fuit. Quales ferè toto orbe terrarum in templis Idolomaniæ conspiciuntur, vbi ad certas statuas fiunt concursus, & hominibus tribuitur honos propriè debitus Deo æterno Patri, & Filio eius, Domino nostro Iesu Christo, & Spiritui sancto, scilicet inuocatio. Quæ eloquentia seu hominum, seu angelorum satis deplorare potest animarum exitia, quæ pereunt propter legem, quæ coniugia prohibet? Ac multa concurrunt mala in immundo cœlibatu. Primùm, verè Deus irascitur vagis libidinibus. Deinde mentes pollutæ non possunt inuocare Deum: ruunt igitur ex alijs scelcribus in alia, tanquam vasa iræ.

Ad hæc mala accedunt insscitia & neglectio ministerij Euangelici tanta, vt passim aut nullæ conciones, aut futiles audiantur, & disciplinæ prorsus nulla sit cura.

Non igitur pauci tantùm in vulgo peccant, nec leues tantùm ineptiæ à nostris taxantur. Magni errores contumelioſi aduersus Filium Dei, & pernicioſi mentibus, & atrocia scelera defenduntur magna autoritate ab aduersarijs, qui se iactitant ordinariam potestatem in Ecclesia tenere. Et additur sæuitia ad stabiliendos errores & confirmanda multa vicia, qualem antea nunquam exercuerunt gubernatores, qui non fuerunt Ethnici.

Cùm igitur in conspectu sint tanta mala Ecclesiæ, errores, idola, libidines, neglectio ministerij Euangelici, sæuitia: non solùm agnoscenda sunt, sed omnes homines vbique terrarum expauescere eorum conspectu, & cogitatione iræ Dei debebant. Non enim de nihilo dictum est, sonante Dei voce certissimis testimonijs, in monte Sinai, inter fragores horrendos, & fulmina æternas pœnas denunciantia idolorum cultoribus: Non habebis Deos alienos coram me. Ego sum Dominus Deus

tuus,

tuus, visitans iniquitatem patrum in filios &c. Hanc vocem cùm ederet Deus, tremuerunt longa montium iuga, saxa, scopuli. Et veram esse, pœnæ mundi quotidianæ ostendunt. Si qui igitur hanc concionem rident, & præsentibus voluptatibus fruendum censent, & inanem curiositatem ducunt, anxiè inquirere veram de Deo & de vera inuocatione doctrinam, illis ipsis scopulis & saxis rupis Sinai duriores sunt.

Sed non dubium est, tristissimas pœnas contemtæ vocis diuinæ, vagari omnibus temporibus, per totum genus humanum, & secuturas esse post hanc vitam, cùm Filius Dei seiterum mundo ostendet, vt suam Ecclesiam ornet æterna gloria, & hostes horribili & non desituro incendio puniat.

De hoc ipso iudicio interea commonefieri nos statuamus, cùm incendia orbis terrarum, ruinas regnorum, confusiones religionum, domesticas calamitates infinitas, magno cum dolore spectamus.

III. Sed aliqui, non omnino ferrei, fatentur aliquos Ecclesiæ morbos, &, vt ipsi molli vocabulo nominant, abusus esse: Nobis tamen iustè iraſci ordinariam potestatem, id est, summos orbis terrarum principes inquiunt, quia sine ipsorum iudicio & autoritate, quasdam opiniones aliquot seculorum consensu confirmatas & quosdam ritus abolemerimus. Negant priuatis & paucis concedendum esse, vt sibi iudicium sumant de re communi, de statu Ecclesiæ. Et videtur sequutura infinita dissipatio, si cuilibet in vulgo sententias & ritus suo arbitrio mutare licebit. Quid enim manifestius est, quàm in populo maximam esse multitudinem inimicam religioni & legibus, cupidam infinitæ licentiæ, inuidentem alienæ potentiæ, seditiosam, inconstantem, rapacem, denique audacia & furore præcipitem? Hanc armare hac persuasione, vt putet sibi licere dogmata & leges mutare aut delere sine superiorum iudicio, summa amentia & atrocissimum scelus videtur.

Nec vetera tantùm exempla commemorant, sed etiam recentia. Vt cùm Vlyssis socij ventos ex vtre, in quem inclusos Aeolus Vlyssi dederat, emiserunt passim in aduersas aëris regiones erumpentes, contrarijs flatibus mare agitarunt, vt ingentes procellæ nauim vndique quassarint: Ita nunc, post-

quam semel propositum est exemplum ab ordinaria potestate discedendi, multis locis homines phanatici palàm furiosi tragicos tumultus in Ecclesijs excitarunt. Hos igitur iudicant neruos atque artus esse sapientiæ in viris politicis, acerrimè propugnare ordinariam autoritatem, receptos mores, & communem consensum.

Hanc terribilem orationem, tanquam caput Gorgonis, omnibus ætatibus Ecclesiæ obuertunt potentes, quæ ad inflammandam regum iracundiam valdè accommodata est.

Nec verò nihil mouemur nos hac atroci oratione. Nam & nos pacem, concordiam Principum, & imperiorum tranquillitatem optamus. Nec ab ordinaria potestate sine perspicuo mandato diuino dissentiendum esse censemus. Nec laxamus frenos multitudini: sed hoc sentimus & probamus, quod Apostoli consentientes dicunt: Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. Semper ita omnes sani iudicarunt, diuinam autoritatem humanæ anteferendam esse.

Sed præcedat, inquiunt, cognitio. Vtinam quidem esset ea gubernatorum Ecclesiæ pietas vt gloriam Dei & salutem animarum anteferrent suis cupiditatibus, & doctrinam emendarent ipsi, & disciplinam piè regerent. Sed Deus Ecclesiam suam ita gubernat, vt tradiderit nobis Euangelium, quod est æternum & immutabile decretum diuinæ voluntatis, certò comprehensum in scriptis Propheticis & Apostolicis. Ab hac regula vetat discedere, etiamsi superiores aut plurimi eam negligant & abijciant. Et quia ipse immensa misericordia colligit & subinde instaurat Ecclesiam, excitat doctores, & lucem doctrinæ restituit, qua agnita neminem vult expectare humanas cognitiones aut hominum iudicia.

Clamat æternus Pater de Filio: Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite. Si verè statuimus esse Deum conditorem & iudicem, ac patefactum esse, & vero amore nostri misisse Filium, vt æternam Ecclesiam colligat, huic eius mandato etiam parendum esse statuamus, vt Filium salutis nostræ causa missum, & illustribus testimonijs, resuscitatione mortuorum & alijs miraculis commendatum toti generi humano, audiamus, eiq; summa reuerentia obediamus.

Hoc æternum & immutabile mandatum, Hunc audite, antefe-

anteferendum est, non solùm vniuersæ humanæ autoritati, sed etiam alijs rebus omnibus, quas homines suo ordine rectè expetunt, vitæ nostræ, facultatibus, imperiorum tranquillitati, paci.

Non ferì, non ἄσοφοι homines erant Apostoli sed patriam, vt ciues in optimis familijs nati, maximè amabant, venerabantur templum, in quo se Deus toties patefecerat, totumque ordinem politiæ Iudaicæ, qua sciebant in toto genere humano, nullam esse pulcriorem politiam, magis quàm vitam suam diligebant. Denique norant vtrumque à Deo præcipi, vt res obscuræ ad collegium sacerdotum, quod ministerio ad templum fungebatur, referrentur, & iudicatum fieret, vt Deuter. 17. scriptum est. Hi tamen nec referunt de Euangelio ad id consilium, nec obtemperant prohibentibus spargi nouum doctrinæ genus, quia iam antea audierant vocem æterni Patris de Filio: Hunc audite. Imò norant in omnium Prophetarum concionibus præcipi de audiendo Messia, etiamsi Pontifices, Reges, & Principes ei aduersaturi essent, vt in Psalmis dicitur: Osculamini Filium, Item: Tu es Sacerdos in æternum.

Nec tantùm illa vox cœlestis æterni Patris, aut illa dicta in Prophetis, ad Apostolos, aut Apostolorum tempora pertinebant: sed ad omnes homines omnibus ætatibus pertinent. Audita voce Filij Dei in Euangelio necesse est omnes obedire. Et qui non audierit, inquit Deus, ego vltor ero.

Sed reclamant aduersarij: Multa sunt obscura, quorum declaratio priùs ab ordinaria potestate petatur. Scimus hæc plausibiliter dici ab aduersarijs, qui si hoc seriò dicunt, Euangelium esse ambiguam & incertam doctrinam, quid aliud esse cogitant, quàm Sphyngos ænigmata, vt nuper quidam ex aduersarijs nostrarum Ecclesiarum scripsit, nullum esse verbum in scriptis Propheticis & Apostolicis, quod non variè intelligi possit. Profectò horrenda contumelia Deum afficiunt, qui sic de ipsius sermone iudicant.

Etiam si cubi in parte aliqua non statim se rudibus offert sententia: tamen summa doctrinæ perspicua est. Nulla in Decalogo est ambiguitas. Vult enim extare & exaudiri DEVS suam sententiam ab vniuerso genere humano,

sine vlla ambiguitate, aduersus peccatum. Deinde toti generi humano notam vult esse hanc consolationem, prolatam ex arcano sinu: Remitti nobis peccata, & fieri nos hæredes vitæ æternæ propter Filium, non propter nostras virtutes: Et hoc ingens beneficium fide accipiendum esse, statuendumque singulis in pœnitentia, verè se recipi propter Filium Dei: Ac oportere in nobis, postquam recepti sumus, lucere hanc fidem, & existere iusticiam bonæ conscientiæ. Hæc doctrinæ capita nec obscurè, nec ambiguè tradita sunt. Et si quid est in vllo articulo obscuritatis, addidit Deus scriptis perpetuam vocem ministerij Euangelici, qua imperiti erudiuntur de vera interpretatione. Id ministerium docendi Euangelij, & fuisse & esse in nostris Ecclesijs, negari non potest. Et sunt & fuerunt studia doctrinæ Euangelij apud nos, vt Filius Dei præcipit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.

Quare non temerè sententias inexploratas aut sparserunt nostri Doctores, aut nos recepimus. Sed & Doctores & nos, propter gloriam Dei & salutem nostram, considerauimus fontes doctrinæ, contulimus Ecclesiæ testimonia, quæsiuimus antiquitatis synceræ tempora, ne nouas aut ambiguas sententias amplecteremur.

Atque ita seruat Deus semper in Ecclesia veritatem, non in illo cœtu, qui Prophetica & Apostolica scripta negligit, & præsentes religiones propter tranquillitatem boni consulendas esse ducit, qualescunque sunt, vt dicunt multi peruersè Philosophantes, nec in ijs qui curiositate, aut ambitione quærunt nouas opiniones, aut, vt potentum affectibus seruiant, applaudunt erroribus, sed in alijs, qui legunt, discunt, & amplectuntur Prophetica & Apostolica scripta, veritatem amant, testimonia veteris Ecclesiæ probata inquirunt, & humanis opinionibus Dei voluntatem anteferunt, quales non solùm apud nos & sunt, & fuerunt, sed sunt passim in toto orbe terrarum multi docti & pij, quorum aliqui profitentur quod sentiunt, aliqui metu impediuntur, quò minùs palàm ostendant suam sententiam, hi tamen assiduo gemitu Ecclesiæ emendationem optant.

Vt igitur ne nos quidem concedendum petulantibus ingenijs iudicamus, vt rectas & vera autoritate traditas sententias mutent,

mutent, vt fecerunt Anabaptistæ: Ita econtra, vbi perspicua est voluntas Dei, obediendum Deo esse affirmamus, nec expectandam esse cognitionem humanam. Certè illorum cognitio non expectanda est, qui palàm sunt hostes veritatis.

Deinde, etiamsi qua esset obscuritas, cur rebus non iudicatis damnantur nostræ sententiæ, & multi honesti homines propter solam purioris doctrinæ confessionem interficiuntur? Ea in re certè hoc nostri iudicij est, nec trucidare insontes, nec adiuua re aut approbare alienam sæuiciam. Exarserat iniusto odio Saul aduersus Dauidem. Interea filius Ionathas, etsi erat in eo pietas erga patrem, & reuerentia erga regem præcipua: tamen minister esse iniustæ crudelitatis noluit. Multi verò alij præsentem potentiam pluris quàm causam faciebant.

Quàm multis locis sacerdotes docti & sancti tantùm propterea necati sunt, quòd manifesta errata in uocationis mortuorum taxarunt, quæ in ipso iudicum confessu aliqui in animis suis tacitè improbabant, vt postea eos fateri audiuimus.

Cùm igitur verissimum sit, ad proprium vniuscuiusque iudicium pertinere, ne in re vel sibi probata, vel dubia, sæuiciam exerceat, aut adiuuet: nemo nobis iustè succensere potest, quòd sæuiciæ, quæ quidem à monachorum furore, & pontificum superbia orta est, socij esse noluimus: Sed, vt Ionathas, homines innocentes, pios, doctos, Deum inuocantes pro nobis, vtiliter seruientes Ecclesiæ, teximus, præsertim cùm nos etiam, vt re iudicata causam probaremus.

Nam cùm pontifices nullam legitimam cognitionem instituerent, & manifestam veritatem damnarent, & magna asperitate idolomanias stabilirent, assentire iniustis iudicijs non potuimus.

Quare diu disputata re, & deliberata cum eruditis & pijs, hoc doctrinæ genus, quod vnum diligenter consideratis fontibus, id est, scriptis Propheticis & Apostolicis, & collata omni antiquitate, videmus esse perpetuum consensum Catholicæ Ecclesiæ Dei, hoc est, omnium eruditorum & piorum, qui fuerunt omnibus seculis in Ecclesia Dei, quod quidem in symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano breuiter comprehensum est, & probatissimorum scriptorum post Apostolos testimonia habet, propter gloriam Dei & salutem nostram amplexi sumus.

Scimus non esse gignendas nouas opiniones de Deo, vt audacissimè fecerunt cultores idolorū, & Philosophi, & multi phanatici homines. Sed reuerenter tuenda est vnica doctrina, in qua Deus ipse illustribus testimonijs se patefecit. Ideò nullam nouam opinionem proponi in Ecclesijs nostris passi sumus. Sed veterem, veram & vnicam Ecclesiæ Dei doctrinam incorruptam profitemur: ac vt sciri possit, quænam illa sit, extat Confessio nostra Augustæ exhibita, quæ summam breuiter continet, quam quidem congruere ad Symbola Apostolicum, Nicenum, & Athanasianum, & ad perpetuam sententiam probatissimorum scriptorum, qui in Ecclesia post Apostolos fuerunt, non dubium est, si modò dextrè & non calumniosè de scriptoribus illis iudicetur.

Et quicunque erunt euentus, Deo æterno Patri Domini nostri Iesu Christi gratias agimus pro hac Euangelij luce, quæ monstrat veram inuocationem Dei, & firmam consolationem animorū, & normā vitæ, quæ res omnib. inter summa bona ducēdæ sunt.

Neq; enim Epicureorum iudicijs mouemur, qui alios bonorū fines, alias metas rerum expetendarum proponunt: Sed cōditum esse genus humanū scimus, vt in eo notitia Dei luceat, & vt de Deo vera testimonia dicat, eiusq; consuetudine in vita æterna fruatur: Nec maius præsidium esse in hac vita homini, in omni genere periculorum, quàm scire veram inuocationem Dei, vt scriptum est: Turris fortissima nomen Domini. Quare vera agnitione Dei nihil optabilius est.

Et quanquam euentus in hac vita varij sunt, vt omnium tēporum exempla ostendunt, veritatem non sine magnis periculis retineri: tamen Deus eam non prorsus deleri sinit. Et nos quiēt speramus Deum huius officij memorem fore, quòd sæuitiam in sacerdotes pios & innocentes noluimus exercere, sicut dictum est: Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Nec sumus adeo feri, aut rudes vitæ communis, vt terribili clamore de ordinaria potestate prorsus nihil moueamur, cùm vociferantur multi, non fuisse mutandam doctrinam aut ritus, sine ordinariæ potestatis iudicio & comprobatione, quia & ordo Ecclesiæ turbetur, & exemplum sit periculosum.

Hæc tragicè exaggerata, multos aduersus nos incitant, nec nihil mouent animos nostros. Nam & nos ordinem & guberna-

tionis

tionis vincula intelligimus & magnifacimus. Sed huic nostro dolori opponimus multa perspicua mandata Dei, quibus seueriſſimæ concionesadditæ sunt. Filius Dei inquit: Neque in hac vita, neque postea remitti blasphemiam, quæ contra Spiritum sanctū dicitur. Hac moniti voce homines vbicunq; sunt, posteaquā audierūt veras sententias,& re cognita eas intelligūt, seueriſſima lege cogi se agnoscunt, ne veritati diuinitus mōstratę aduersentur.

Quid igitur faceremus in articulis multis, quorum perspicuitas omnes sanos assentiri conuincit? vt de indulgentijs, de sacerdotum coniugio, de manifesta prophanatione Cœnæ Dominicæ, quam sacrificuli indocti, ignorantes quid agant, & quid sit sacrificium, toto orbe terrarum ventris causa in theatricum spectaculum transferunt. Num aduersaremur Spiritui sancto manifesta scelera tantis? & rei horrendæ blasphemiæ, fingeremus nobis hanc excusationem, quam scribunt Oratores aduersariorum, quia plus mali sit in schismate, hos errores dissimulandos esse. Imò verò anteferatur mandatum diuinū, quod prohibet blasphemiam dicere in Spiritum sanctum omnibus Episcopis & Regib⁹. Metæ sunt seruitutis, quas Deus ipse generi humano circumdedit, quæ ostendunt, quæ mala dissimulanda & ferenda sint, quæ non ferenda sint.

Atq; ita Deus sæpe collegit, & emendauit Ecclesiam, contra iudicia ordinariæ potestatis. Ieremias, Amos, & alij Prophetæ palàm dissentiebant à summis sacerdotibus ac regibus, & maiore parte sacerdotum ac populi. Sic postea Zacharias, Baptista, Christus, Apostoli dissenserunt ab ordinaria potestate.

Hi si viros politicos cōsuluissent similes oratorum, qui nobis aduersantur, audiuissent idem consilium, quod apud Platonē scriptum est: vt parentes deliros ferre decet, ita tolerādos esse potestatis ordinariæ errores, nec excitanda dissidia in patria, quia in ἀναρχίαι, & seditionibus, nihil mali non insit.

Hæc oratio, etiamsi alicubi locum habet, tamen in Ecclesia nō vsurpetur ad stabilienda idola, & cōfirmandas blasphemias. Viderant Apostoli Christum reuocatum ex morte in vitam. Norāt sibi mandatum esse, vt Euangelium docerent, quo quidē & illius pulcherrimæ politiæ vincula & nerui laxabantur, qua ex re in patria dissipationē fieri videbāt. Hîc si assensissent ordinariæ potestati negāti reuixisse Christū, & damnāti doctrinā, horrēdę blasphe-

miæ

miæ rei fuissent, Deum contumelia affeciſſent, & ſibi & alijs æternum exitium accerſiuiſſent.

Vt igitur Apoſtolos ipſos neceſſe fuit docere Euangelium, etiamſi poteſtas ordinaria diſſentiebat: ita omnes homines eorum doctrinæ, cùm viderent eam diuinitus confirmari, aſſentiri neceſſe fuit. quanquam in toto orbe terrarum omnes ſummi gubernatores refragabantur. Ita ſemper Euangelij voci omnes obedire debent, & qui, cùm eam audierint, agnoſcunt Dei voluntatem, & tamen obſequi nolunt, imò etiam delere eam conantur, ſeu vi, ſeu fraude, vt nunc multi præſtigias, ad labefactandam veritatem, comminiſcuntur: metuant ſententiam, quam de blaſphemis Filius Dei pronunciauit, nec cogitent harum rerum maximarum, & ad gloriam Dei pertinentium explicationem, inanes ludos eſſe, de quibus, vt in Arceſilæ ſchola, conceſſum ſit, quamcũque velint, partem tueri.

Hæc præfati ſumus, vt coram vniuerſa Eccleſia huius ætatis & poſteritatis, publicè exponamus, quæ nos cauſæ mouerint & ad amplectendum & ad retinendum doctrinæ genus, quod in Eccleſijs noſtris ſonat. Non curioſitate, non cupiditate vlla, non errore à cæteris diſſentimus: ſed de Deo teſtimonium dicimus. Sentimus veram eſſe de Deo doctrinam in libris Propheticis & Apoſtolicis traditam, & Filium Dei iudicaturum eſſe omnes homines, & daturum æternam ſalutem ijs, qui Euangelio obediũt, & abiecturum in æternas pœnas illos qui contemnunt, aut oderunt Euangelium. Sentimus præcipuè Deo hoc officium à toto genere humano, & à ſingulis hominibus deberi, vt hãc ipſam doctrinam, per Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos traditam ſeruari & illuſtrari curent, & propagationem adiuuent, ſicut ſcriptum eſt: Qui non colligit mecum, diſſipat.

Sentimus viciſſim verè diligi à Deo, exaudiri, & ſeruari hãc Eccleſiam, quæ Euangelium incorruptè ſonat. Sentimus etiam hanc ipſam doctrinam, quæ in Eccleſijs noſtris proponitur, verè eſſe ſententiam ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum, de qua ſymbolorum & probatorum ſcriptorum teſtimonia extant.

Manet enim in Eccleſia, in aliquibus, vera ſententia de Dei voluntate, aliàs illuſtrior, aliàs obſcurior, etiamſi ordinaria poteſtas ſæpe prorſus prophana eſt, & tetros errores defendit, ſicut in

in Zacharia, Simeone, Maria, Elizabet, fulsit lumen Euangelij, etiamsi Annas & Caiphas erant athei: nec alligatæ sunt promissiones de veritate mansura in Ecclesia ad eos, qui titulum habent ordinariæ potestatis, nec legunt, nec didicerunt, nec amant scripta Prophetica & Apostolica, & cùm sumserint inde suæ potentiæ titulum, deinde nouas leges condunt accommodatas ad suam vtilitatem, & pugnantes cum cœlesti doctrina, & excogitãt strophas, quibus eam ad suas opiniones inflectant.

Sed manet veritas in alijs, qui cùm discunt cœlestem doctrinam, pio pectore se Deo subijciunt, expauescunt agnitione peccatorum, & rursus eriguntur fiducia misericordiæ propter Filiũ Dei mediatorem promissæ, & ardentibus votis orant se gubernariã Deo, obtemperant ei, & regi volunt non tantùm humanis iudicijs, sed voce Dei. Ideo Esaias videns sequuturas in Ecclesia sui populi & postea tristes tenebras, precatur Deum, ne lucem doctrinæ prorsus extingui sinat. Cumque ait: Obsigna legẽ in discipulis meis, significat mansuram esse doctrinam, velut obsignatã diuino Spiritu, in mentibus, non omnium, sed discipulorum, id est, eorum, qui Propheticam doctrinam discunt, amant & amplectuntur, & non corrumpunt eam, sicut & nunc Iudæi & olim Pharisæi corruptelas excogitarunt, quorum exempla aduersarij nostri in multis grauissimis controuersijs imitantur.

Cùm Paulus toties clamitet: Fide iustificamur: Impossibile est lege iustificari, &c. Isti contrarias sententias proponunt. Imò, inquiunt, homo legi Dei satisfacere potest, & his actionibus meretur remissionem peccatorum. Sed cùm nunquam sciat quando satisfecerit, semper dubitet an placeat Deo. Ita ostendunt se non auditores esse Pauli: sed mordicus tenere persuasionem humanam, quam anteferunt Paulo disertè diuersum docenti. Et cùm scriptum Pauli non ausint prorsus delere, audacter fingunt cauillationes ad eludendam Euangelij vocem, quam prolatam ex sinu æterni Patris, Deus per Prophetas, Christum, & Apostolos generi humano tradidit, vt de remissione peccatorum certò nobis voluntas Dei nota esset.

Omittimus exempla alia. Nam si plura commemorare vellemus, quàm longa futura esset oratio? Num Prophetarum & Apostolorum discipuli sunt, qui sacerdotem, honestum maritum, interfici

interfici iubent? Hæc iniusta crudelitas ex Phalaridis disciplina est, non ex Prophetica & Apostolica.

Postquam autem ostendimus, & quid sentiamus, & quæ sit voluntas nostra in causa tanta: nunc reliquum est, vt reuerenter omnes Reges, Principes, & omnium nationum viros bonos oremus, vt propter gloriam filij Dei, & salutem Ecclesiæ, autoritatem suam ad hoc officium, Deo à toto genere humano debitum, conferant, videlicet, ne adsentiantur ijs, qui delere synceram Euangelij doctrinam, seu synodi prætextu, seu alijs modis conantur.

Nobis quidem nulla res humana gratior contingere posset, quàm videre synodum dignam Ecclesia Dei, in qua, libera & pia collatione sententiarum, de rebus maximis, explicata veritas, inter omnes gentes, communi consensu propagaretur. Talē synodum, Ecclesiæ necessariam & salutarem, & nos à Deo ardentibus votis petimus, & aliquoties ab Inuictiss. Imperatore Carolo Augusto, Domino nostro clementiss. omnes Ordines in hoc Imperio petiuerunt, in qua synodo verè, vt Psalmus dicit, conuenirēt populi & Reges, vt seruirent Deo, hoc est, in qua veris modis restituerent veram Dei inuocationem & saluti animarum consulerent, non stabilirent idola & prauas opiniones, oppressa veritate, partim vi, partim sophismatum præstigijs.

Sed huius Tridentinæ synodi, quam indixit Paulus tertius, iudicium sequuturos nos esse nequaquam polliceri possumus. Nosq; perspicuæ & veræ causæ excusant. Persona iudicis, qui est inimicissimus nostræ causæ: & forma iudicij, in quo nulla libertas est dicendæ sententiæ: & in suffragium ibunt plures indocti & inimici nostræ doctrinæ, & si qui alij meliores aderunt, deterriti sæuitia malorum, non audebunt dicere quod sentiunt. Postremò & locus periculum nostris minatur.

Ac primùm iustas esse causas, cur Romanum pontificem non possimus facere iudicem nostrarum controuersiarum, manifestum est. Nota est enim vox naturæ & scripti iuris, quæ vetat illi iudicium permittere, qui reus est ipse, & inimicus, & hostilem animum perpetuis præiudicijs declarauit.

Hoc tantū dissidium orbis terrarum initiò ortū est à reprehensione errorum pontificiorum, quos monachi circumferentes venales indulgentias cùm auxissent, postea pontifex Leo X. edita

edita Bulla confirmauit, & cumulauit errores, quorum refutatio maius certamen accendit. Ac sole meridiano clarius est, defendi in Bulla Leonis, errores pugnantes cum vera Ecclesiæ doctrina. Constat autem pontificem errantem non faciendum esse iudicē. Cumq; reus sit, insuper hostilem animum perpetuis præiudicijs declarat. Quotannis repetit condemnationem nostræ doctrinę, & magnam crudelitatem exercet in omnes, qui amplectūtur nostras sententias, & inflammat Reges & Principes toto orbe terrarum ad exercendam similem sæuitiam.

Quid aliud nunc quoque iudicaturum esse speremus, quā vt hanc crudelitatem confirmet, quam necessariam esse iudicat ad retinendam potentiam & eius neruos? Suntq; potentiæ ipsius nerui, Idola, & falsæ opiniones, quas taxamus. Scimus hāc tam tristem reprehensionē multis magnis viris politicis ingratā esse, & nos non sine magno dolore hos Ecclesiæ morbos cōmemoramꝰ. Sed nimis vera est hæc commemoratio, & nunc quidem necessaria, quia aliquos esse de Deo testes oportet.

Deinde qualis erit iudicij forma? Initia iam vidimus, habitę sunt orationes, in quibus Amphictyones, qui sunt Tridenti, iactitant Romanum Pontificem & ei addictos, nullis doctrinæ erroribus contaminatos esse, & queruntur ab alijs sparsas esse hæreses, nec dubium est eos id crimen in nos conferre. Tales quid iudicaturi sint iam ostendunt. Et accedunt alij multi Episcopi, quibus solis suffragatio cōceditur, ignari doctrinę de Deo, & opiniones de Ecclesia peregrinas & Ethnicas circumferentes, dediti voluptatibus, & ardentes odio nostri, quia aliquid diminui de dignitate sua nostris clamoribus arbitrantur. Hi habent adiunctos Monachos indoctos, partim fascinatos stulta superstitione, partim agnitam veritatem ceu furijs agitati delere conantes.

Hæc tota turba iudicum, etsi per sese abhorret à veritate, tamen si cubi in rebus manifestis luce veritatis conuicta mutare aliquid in pontificijs sententijs vellet, non auderet. Tota enim vniꝰ arbitrium intuetur. Id non esse iudicium Ecclesiæ, nec sententiarum collationem, res ipsa loquitur.

Etsi enim & pauci aliqui Nicodemi similes aderunt, hi tamē vix gemitu sententiam suam significare audebunt. Et vt maximè aliquid rectè monerent, maior pars vinceret.

Hæc

Hæc cùm sint manifesta, iniustè faceremus, si illius multitudinis, quam veritati inimicam esse scimus, audaciam confirmaremus: quod fieret, si istam synodum iudicem faceremus. Nec dubium est nihilo nos iustiores aut liberiores iudices habituros esse, quàm habuit Theramenes Critiam & cæteros collegas.

Præterea ad iudicij formam pertinet, certò constitui, an ex iure diuino, ex symbolis, & certis testimonijs doctrinæ Apostolorum pronunciandum sit: an verò ex recenti consuetudine sexcentorum annorum, & decretis, quæ aut ex superstitione nata sunt, aut cõdita sunt, vt munirent potentiã, & ex diluta Theologia Thomæ, Scoti, & similium.

Imò verò in tertia sessione Synodi Tridentinæ decretum est, non dissentiendum esse ab ijs traditionibus & interpretationibus, quæ sunt ipsis vsitatæ. Hæc si erit norma iudicij, quid pronunciaturi sint de nostris sententijs, iam liquet. Damnabunt hãc propositionem: Fide iustificamur, quia non sequitur Thomæ interpretationem, quæ est corruptela, pugnans cum ipso Paulo, & cum vetustis & sanioribus enarrationibus. Damnabunt hoc dictũ: Vna oblatione consummauit omnes qui sanctificãtur quod affirmat vnicum fuisse sacrificium propitiatorium, mortem Filij Dei. Nunc Cœnæ Dominiadministrationem non esse sacrificiũ, quale ipsi docent, applicandum pro alijs, vt mereatur remissionem peccatorum. Habent enim contrariam persuasionem, quæ multis seculis latè vagata est.

Si ex his recentibus opinionibus, pugnantibus cum Apostolica doctrina, pronunciabitur, nihil opus est synodo. Nota enim sunt hæc recentia, & ob hanc ipsam causam à nostris reprehensa, quia, cùm ab Apostolica doctrina dissentiant, quæ est immotum & immutabile decretum Dei, necesse fuit ad Apostolicam doctrinam mentes hominum reuocari.

At dicent, cùm pleræque sint scripti & sententiæ controuersiæ, ἐκ τοῦ κρῖναι διαγοίας, cur magis vestræ interpretationi quã nostræ, quæ consensu aliquot seculorum comprobata est, crederemus? Etsi hæc obiectio plausibilis est, tamen omnes pij, doctrina mediocriter exculti, vident quid respondendum sit.

Primùm, non sunt omnia obscura in sermone diuino, & in symbolis. Nulla igitur interpretatio cum fontibus pugnans recipienda est. Non enim gignenda est noua de Deo doctrina, vt fecerunt

cerunt Ethnici, Orpheus, Hesiodus. Ostendimus autem multas aduersariorum interpretationes pugnare cum fontibus, & genᵃ doctrinæ nouum esse, non traditum à Deo. Ethnicum est enim, quod fingunt, prodesse sacrificium ex opere operato sine bono motu vtentis.

Deinde constat & hoc, recentia secula, quorum cõsensum sequuntur aduersarij, discessisse à veterum scriptorum saniorum interpretatione. Videndum est igitur, vtra interpretatio, nostra an contraria, pugnet cum fontibus, hoc est, cum scriptis Propheticis & Apostolicis, symbolis, & certis testimonijs Apostolicæ sententiæ.

Hanc esse normã iudicij oportebat. Nec nos ignoramᵘˢ, multos præstigiatores, vt stabiliãt idola & prauas opiniones, prætexe re antiquitatẽ, & inflectere integras cõciones Christi & Apostolorũ ad humanas opiniones contra natiuã sententiam & illustria primæ Ecclesiæ testimonia. Ac magnum decus sapiẽtiæ multi in Collegijs pontificijs & in aulis Regum esse putant, artificiosè pingere idola, & concinna interpretatione falsas opiniones lenire.

Hi ludi, cùm multis modis Ecclesiæ pernicioſi sint, ꝓfectò exemplum non est confirmandum. Nam si his fucosis interpretationibus excusare licet errores, qui nunc taxati sunt, aliquantò pòst etiam Ethnicis religionibus, vt Diabolus instigat leuia ingenia ad deridendum Deum, affingentur bellæ excusationes.

Esset autem impietas, talibus sophistis permittere cognitionem, qui non habent studium veritatis: sed cùm videant hoc plausibilius esse, tantùm quærunt prætextus, vt quoquo modo præsentes ritus tueantur. Oramus autem omnes graues viros, amantes Ecclesiam Dei, ne audiant tales agyrtas, corrumpentes doctrinam de inuocatione, quam purissimam esse oportet.

Cùm mens in inuocatione quęrit quem alloquatur, & an & cur audiantur nostræ preces, necesse est sciri hunc esse verum Deum creatorem cœli & terræ, & conditorem Ecclesiæ suæ, qui se nominat patrem domini nostri Iesu Christi, & certò exaudire propter Filium, quem voluit pro nobis victimam fieri, & constituit μεσίτην καὶ ἱκέτην καὶ ἀρχιερέα.

Hîc si oculis obijcit ille præstigiator Georgium, Martẽ, Iunonem, Annam, & dicit congruere has inuocationes, iam reuocata Deus horribili contumelia afficitur.

Artaxerxes votum fecerat, ægrotante incesta coniuge, se Iunonem solam velle colere, si sanaret mulierculam, & velle totam viam ab arce Babylonica ad templum auro tegere, quod ipsi donaturus esset.

Hæc si talis aliquis sophista leget, quæret speciosam interpretationem. Dicet Iunonem significare vnicam æternam mentem, seu προνοιαν rectricem: Et Deo gratam esse munificentiam, qua templa ornantur, vt sacerdotes alij, studia iuuari, pauperum inopia subleuari possit.

Tales fuci semper & fuerunt & erunt pernicioſæ corruptelę inuocationis veræ, de qua cōcionatur Euangeliū. Quare aduersari talibus, quamlibet speciosis interpretationibus, necesse est.

In Historia passionis filij Dei insignis imago proponitur, cū oculi filij Dei teguntur fascijs, & vndiq; facies cæditur colaphis, & adduntur virulenti sarcasmi: Vaticinare quis te percusserit. Irrident velatum', quasi aut non videat à quo contumelia afficiatur, cùm velit perhiberi vates, aut etiam si videat, dissimulare tamen, & accipere iniuriam cogatur.

Quid tam simile est huic imagini, quàm illæ fucosæ erratorum interpretationes? Veritatem tanquam captiuam isti producunt, ac primùm oculos eius velant, hoc est, nudam cerni nolūt. Deinde alij aliunde colaphos infligunt, hoc est, corruptelis nouis eam lacerant. Et sibijpsis plaudunt, tanquam re benè gesta: triumphos agunt inter suos, & Epicurea audacia sibi persuadent non cerni has fraudes à Deo, nec verentur iudicia hominum, freti potentum fauore.

Aduersus tales sophistas, in tantis periculis extremæ senectæ mundi, profectò diligentia & circumspectione opus est, ne & hæc, quæ iam restituta sunt, nouis præstigijs obruantur, & ne hoc exemplo confirmentur petulantia ingenia, quæ libenter omnes religiones miscent.

Omnium virtutum lōgè maxima est, maximeq; necessaria, vera Dei inuocatio, quæ est rectrix omnium periculorum vitæ, & radix cæterarum virtutum, & præsidiū in hac miseria humana præcipuum. Huius virtutis doctrinam vult Deus omnibus hominibus notissimam esse, & seruari incorruptam. Facilè autem deerrant humanæ mentes à Deo, & in quàm tetros furores ruāt, postquam semel impulsæ Diaboli laqueis tenentur, ostenduntidola, & per-

& pernicioſi errores omnium ſeculorum atque ætatum.

Ideò non concedendum eſt, vt homines Epicurei, aut ignari doctrinæ cœleſtis, & non amantes veritatem, & ſtudioſi ſophiſtices, de his controuerſijs pronuncient.

At dicet aliquis: Nullane patiemini iudicia, nullam cognitionem? Imò non dubitamus membra veræ Eccleſiæ Dei paſſim in toto orbe terrarum, quò perferri doctrina potuit, quotidie iudicium facere de doctrina, & multi ſuam ſententiã declarant, qui vt teſtentur ſe probare hanc doctrinam, confeſſionem eius vitæ ſuæ anteponunt.

Non igitur deſunt iudices & teſtes noſtræ ſententiæ. Atq; vtinam de his tantis rebus, quas vniuerſo generi humano notiſſimas eſſe oportebat, in iudicio verè Eccleſiaſtico, poſſemus noſtras ſententias cum viris doctis, timentibus Deum, & amantibus veritatem, conferre. Cur autem eius ſynodi cognitionem expeteremus, in qua non ſolùm nos non audiemur, ſed etiam alijs rectè ſentientibus libertas dicendæ ſententiæ nulla concedetur?

Poſtremò & loci periculo iuſtè mouemur, vbi cũ noſtri tutò verſari, præſertim emiſſa aliqua libera voce, non poſſent, ſatis excuſati ſumus quò minùs ad eum locum accedamus.

Extant & vetera & probata exempla ſanctorum patrũ, qui ſynodos defugerunt, quãquam autoritate ſumma indictas, cùm ſuſpicabantur non hoc agi, vt veritas patefieret, ſed vt ſtabiliretur aut tyrannis aut impium aliquod dogma.

Imperator Conſtantinus, edicto luculenter & ſeuerè ſcripto, præcepit gubernatoribus Eccleſiarũ, vt in Tyro cõuenirent. Etſi aliqui eò viri boni & Deũ rectè colentes acceſſerunt, vt Potamon martyr: tamen plures Epiſcopi colludebant cum Ario. Cũ igitur Athanaſius videret ſe habiturũ eſſe iniquos iudices, noctu diſceſſit: cumq; ad Imperatorem, qui non procul erat, veniſſet, coràm Imperatori, quanquam irato, ſe excuſauit.

Deinde Conſtantius ſynodum Antiochiæ coëgit frequentiſſimam. Ad hanc noluit accedere Maximus Hieroſolymorum Epiſcopus, cùm quidem loci vicinitas eum inuitare poſſet. Sed norant, quò voluntas Conſtantij propendebat, vel potiùs qd machinarentur illi impoſtores, qui mirificis technis deprauabant Imperatoris animum.

Postea cùm Photinus horribilem tumultum in Pannonia excitasset, renouans veterem Ebionis blasphemiam, ac negans in Christo duas esse naturas, Imperator, vt in re magna, synodum conuocat Syrmium. Ad hanc magnitudo negotij inuitare debebat omnes, præsertim qui non longè aberant. Venit autem eò magna frequentia Arianorum, quæ cùm suspecta esset pijs Episcopis in occidente, plurimi eò accedere noluerunt. Ex præcipuis verò venit eò Hispanus quispiam Osius, Cordubensis Episcopus, quem Imperator, propter nominis celebritatẽ, peculiariter euocarat. Cumque ibi astutè deprauatum esset Nicenum Symbolum, Osius ambiguitatem verbi, quod insertum erat, stulta opinione tranquillitatis, approbauit.

Postea cùm eius autoritatem hæretici allegarent, Ecclesiæ in multis regionibus perturbatæ sunt. Ideo Hilarius asperè queritur de Osio, eique non solùm imprudentiam, sed etiam leuitatem tribuit. Quare multò satius fuisset Osium nõ venire in Synodum.

Cyrillus Episcop⁹ Hierosolymorum, qui defendit ὁμοούσιον, & cum Gregorio Nazianzeno tandem consensit, aliquoties citatus à synodis non accessit ad eas, ac primus dicitur vsus scripta appellatione.

Imperator indixerat, vt Mediolani conuenirent Episcopi ex oriente & occidente. Ibi cùm Paulinus Episcopus Treuerensis, & pauci quidam alij, animaduerterent, Auxentium fauere Arianis, statim initio discesserunt, ac fuerunt cæteris autores discedẽdi. Non enim volebant prætextu synodorum deleri veritatem.

Cùm igitur similes causas habeamus, ne Tridẽtinam synodum probemus, quales illi habuerunt in fugiendis aut relinquendis impijs synodis, satis nos & hæ causæ, & hæc exempla excusant.

Precamur autem Deum æternũ Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt, sicut se immensa bonitate generi humano patefecit, ita seruet inter homines lucem Euangelij, nec sinat eam deleri humanis furoribus quibuscunque. Precamur etiam, vt voce Euangelij colligat sibi in multis gentibus æternam Ecclesiam, à qua verè inuocetur & celebretur, & vbique terrarum idola euertat. Oramus etiam, propter gloriam Dei & salutem Ecclesiæ, inuictissimum Imperatorem Carolum Augustum D. nostrũ clementissimum.

tissimum, & omnes Reges & Principes, ne prætextu synodi sinãt damnari manifestam veritatem, & confirmari idola, & iniustam sæuitiam passim grassantem: ac sibijpsis comminationes diuinas proponant, in quibus dicitur: Blasphemia spiritus non remittitur hominibus. Item: Veniet super nos sanguis iustus, effusus inde vsque à nece Abel iusti, &c. Non assentiantur hypocritis, qui agnitam veritatem obruere conantur, non sint ministri alienæ crudelitatis: sed quærant salutaria consilia ad fouendam Ecclesiam Dei, quæ profectò in hac mundi senecta fit angustior & ærumnosior. Hæc reuerenter, vt in Ecclesia Dei, sine vllis priuatis cupiditatibus, petimus. Non enim delectamur dissidio, nec ignoramus nostra pericula, & nostras ærumnas. Sed assentiri non possumus, vt Euangelij lux & doctrina necessaria Ecclesiæ Dei, aboleatur, nec societate crudelitatis polluere mentes nostras, & vniuersam posteritatem nostram volumus.

Hæc est plana consilij ratio, quam cùm iustissimam esse constet, ab ea non discedendum est, & exitus DEO commendandi sunt, sicut sæpe docet vox cœlestis, vt in Psal. 36. Subditus esto Deo, & ora eum. Item, Expecta Deum, & custodi viam eius. Et hunc ipsum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem omnium rerum & Ecclesiæ suæ oramus, vt nos gubernet & defendat.

AMEN.

DE SARCIENDA ECCLESIAE CONCORDIA, DEQVE SEDANDIS OPINIONVM DISSIDIIS: ERASMI ROTERODAMI CONSILIVM, EX ENARRATIONE PSALMI LXXXIII.

DIgnare quæso, Domine virtutum, aperire oculos omnium nostrum, vt videntes quàm sint amabilia, quã pulcra, quàm tranquilla, quàm tuta, quàm felicia tabernacula tua: rursus, quàm his dissimilia tabernacula impietatis: positis opinionum & affectuum dissidijs, eodemq; sensu, eademq; sententia concordes versemur in illa beata sodalitate sanctorũ omnium, vt verè de nobis dici possit: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.

Nunquam autem coalescemus in vnum, nisi pariter spẽ nostram ponamus in Christo Iesu rege Sion, ac Domino nostro, & ad illum vnum spectemus omnes.

Vbi regnat ambitio, vbi pecuniæ studium, vbi peruicacia, vbi cœcus fauor, aut odium cęcius, vt pertendamus tueri, quicquid semel diximus, aut scripsimus, vbi in gratiam partium probamus, quæ scimus esse improbanda, aut odio priuato damnamꝰ & ea quæ piè dicta: deniq; vbi quisq; ad se spectat, & vndiq; trahitur funiculus contentionis, nõ potest res ad concordiam redigi.

Reputemus, quàm sit stultum, sic odisse mores quorundã Pontificum, aut Sacerdotum, aut Monachorum, vt ipsi fiamus illis deteriores. Deterior enim est, qui recedit ab Ecclesię consortio, & in hæresin, aut in schisma demigrat, quàm qui impurè viuit saluis dogmatibus. Cùm hoc perquam iniquum est, nos ad aliorum vitia lynceos esse, ad nostra ipsorum talpis cœciores, & in aliorum oculis videre festucam, ipsos trabem in oculo circumferentes. Homines cũ hominib. versamur. Quanquã grauiùs (fateor) peccant, qui in potestate constituti publica, non meminerunt officij sui: Tamẽ populi peruicacia sæpenumero in causa est, vt, qui præsunt, alij sint, quàm esse conueniret. Sic populus Israëliticus pro mitissimo Samuele, accepit superbum Saulem. Placabilior erit alienis erratis, qui priùs sua inspexerit. Præcipuum est

discor-

discordiæ seminarium, quòd sinistro tantùm oculo proximorũ vitia intuemur. Claudatur ille siniſter, & dexter vicissim ad eorũ virtutes aperiatur. Si virtutũ candidi fuerimus æstimatores, leuiùs offendemur vitiis. Inter fratrem ac fratrẽ, inter vxorẽ ac maritum nõ constat amicitia, nisi vicissim inter sese ad quædã conniueant. Quomodo igitur cõstabit totius Ecclesiæ cõcordia, si qs. que ad alterius virtutes luscioſus, ad vitia tales habet oculos, qualia sunt specula quædam, quæ faciem oppositam & multò maiorem reddunt & deformiorem.

Dolendũ est, tam multos esse monachos, qui præter vestitũ ac frigidas ceremonias minimũ habent religionis: tã multos esse sacerdotes, qui nec castè viuũt, nec sacris vacant literis: nõnullos etiam Abbates & Episcopos, qui minimũ differant à prophanis principibus aut satrapis. Sed interim dissimulamus, quàm multi sint inter illos, pij, sobrij, docti, deq; Rep. bene merentes, in diuitijs pauperes, in dignitate modesti, in potentia mites.

Nec cogitamus quantò nos essemus ferociores, si tot rebus adlicentiam inuitaremur.

Expedit igitur, vt plebs, quæ dissimulatis sacerdotũ virtutibus vitia tantùm videt exaggeratq́ue, suam inspiciat manticam à tergo in pectus reuolutam. Quo tuſquisque est opifex, vt ab infimis incipiam, qui in præstanda opera fidelis est, in mercede exigenda æquus? Nec enim temerè natum est illud vulgo celebre prouerbium, in sua quenq; artificem arte furem esse. Iam, quod omnino genus rerum est, quod illi non corrumpant quæstus gratia? Quot modis vitiatur triticum ac farina? quot modis vinum ac cereuisia? quot modis pannus reliquaq́ue texta? Omitto nunc in promissis perfidiam, in commercio supercilium ac morositatem, vt propemodum commodius sit cum Rege quopiam aut Cardinale agere, quàm cum latomo, qui vix habet domi vnde cœnet. Qui tales sunt in seruili sordidoq́ue opificio, quales probabile est futuros, si ad eorum dignitatem euehantur, quorum mores ferre non possunt?

Vulgus, sacris initiatorũ incontinentiam, incestũ, sacrilegij ac violati voti titulis exaggerãt, sibi, vt liberis ac solutis, blandiuntur. Atqui, ne errẽt, nemo Christianus ad peccandũ liber est, omnes religiosissimo sacramento sunt astricti, nisi fortè ludũ esse credũt, quod in baptismo professi sunt. Si infami cognomine vo-

cantur apostatæ, qui à Benedicti aut Franciſci inſtituto deſciſcũt, quantò magis eo nomine digni ſunt, qui in Baptiſmo mundi contemtum profeſſi, toto animo ſeruiunt mundo, & à Chriſto Imperatore tranſeunt ad Satanam? Iam adulterium, crimen quod apud Ethnicos gladio, apud Iudæos lapidatione puniebatur, neutiquam leue eſt, vtcunque nunc pro ioco ducitur. Quòd ſi quis propiùs inſpiciat, inueniet, fraudibus, rapinis, periurijs, referta omnia: Vt ne commemorem interim, quantam malorum lernã tegat vmbra belli. Nihil attinet hîc de magiſtratibus inferioribus loqui, deque iis, qui ob nobilitatis titulum ſibi volunt licere omnia, deque Principibus. Quocunque vertas oculos, heu nimium multa eſt querelarum materia. Sed hæc eſt rerum humanarũ natura, maris in morem multa ſecum deferre, quæ malis abeſſe. Mutat ſæpe vitia, ponit nunquam. Quid igitur ſupereſt, niſi vt ſe quiſque diſcutiat, & omnes ad Chriſti miſericordiam confugiamus?

Quædam vitia leuiora ſunt, quàm vt expediat aſperam admouere medicinam: Quædam minore religionis incommodo diſſimulantur, quàm exagitantur. Porrò quæ grauiora ſunt, quã vt oporteat diſſimulare, manum doctam & artificem requirunt, ne nobis eueniat, quod ſolet imperitis medicis, qui, dum parum dextrè admouent remedia pro morbo, extinguunt hominem, aut ex leuiore malo reddunt immedicabile. Pleraque paulatim ac per occaſionem irrepſerunt, ea paulatim ac per occaſionem tollenda ſunt, ſi fieri queat abſque graui tumultu: ſin minùs, diſſimulanda, donec ipſa dies porrigat occaſionem commodiorem.

Eadem dexteritate vtendum eſt in dogmatibus.

Quidam dum impotenter vociferantur, hæreſis, hæreſis, ad ignem, ad ignem, in peiorem partem interpretantes quæ dicta ſunt ambiguè, per calumniam deprauantes & quæ piè dicta ſunt, plurimum fauoris conciliarunt ijs, quos exitio dignos iudicabant.

Rurſus, qui ſub Euangelij plauſibili titulo moliuntur ea, quæ ex diametro pugnant cum Euangelio, vehementer adiuuerunt partes eorum, quos oppreſſos volebant.

Itaque dum illi nihil omnino patiuntur innouari, hi nihil ſinunt relinqui, tempeſtas orta eſt penè inſedabilis: & dum vtrinque

que nimium tenditur funiculus contentionis, fit, vt vtraque pars rupto fune in tergum cadat. Non quòd Ecclesia concidat, quæ nixa saxo immobili Christo, nullis turbinibus concutitur. Sed de quibusdam hominibus loquor, qui causam Ecclesiæ tuentur, magno quidem zelo, non enim dicam malo, sed non secundum scientiam.

Nondum eò processit hoc morbi, vt sit immedicabile. Extingui potest hoc incendium, si materiam igni subtrahamus. Præcipuus autem huius tumultus fons sunt impij mores hominum. Non est quòd alij in alios culpam reijciamus. Primum hoc humani generis exemplum est, sed vt per se prauum, ita nobis infelix: Mulier decepit me, serpens decepit me. Omnes iram Domini prouocamus, restat vt omnes ad illum simul syncero corde conuertamur: ille, vt est exorabilis, vicissim conuertetur ad nos, atq; hos inconditos rerum motus vertet in tranquillitatem, nobis eôdem pro nostra quantulacunq; portione annitentibus.

Quo pacto, inquis, id fiet? Sit vnusquisq;, quod esse debet. Sint pontifices, pontifices, Christi vicarij, syncero corde gregis Dominici curam agentes. Sint Principes, Principes, diuinæ iustitiæ ministri, tanquam Deo reddituri rationem: Quem hoc magis oportet ab illis timeri, quò liberiores sunt à timore hominum. Magistratus bona fide Rempub. administrent. Monachi perfectionem, quam titulo profitentur, moribus præstent. Sacerdotes noctes atq; dies meditentur in lege Domini, quò possint esse sal populi. Qui laici sunt, sint quod dicuntur, non præeant, sed reuerenter obtemperent Sacerdotibus, fideliter pareant Principum legibus, in suo quisq; opificio probet suam conscientiam summo illi καρδιογνώστῃ. Nam beati Lucæ verbo libenter vtimur. Qui negociator est, bona fide negocietur: qui molitor est, bona fide sit molitor: qui pistor est, bona fide sit pistor: qui faber est, bona fide sit faber: qui vestiarius est, bona fide sit vestiarius, fiduciam habens in eo, qui non deserit rectos corde. Atq; idem de cæteris dicendum est.

Nemo suis vitijs hoc nomine blandiatur: Ita mos est, sic nemo non facit. Ne circumspicias, ô bone, quid alij faciant, sed quid abs te fieri velit supremus ille iudex, cuius oculos nemo fallit, ad cuius tribunal omnes sistendi sumus, siue Reges, siue inopes erimus coloni. Ibi non valebit hæc tergiuersatio: Ita mos est, sic nemo non facit.

Interim ponatur ambitio, & pertinax vincendi studium, faceſſant fauores cum priuatis odijs, conſileſcat dementis rixæ ſurda vociferatio: ita demum elueeſcet veritas illa pacifica.

Accedat illa συγκατάθεσις, vt vtraq; pars alteri ſeſe nonnihil accommodet, ſine qua nulla conſtat concordia. Sed hactenus obſecundetur, vt ne moueantur τὰ ἀκίνητα, & hactenus feratur hominum infirmitas, vt paulatim inuitentur ad perfectiora.

Illud autem omnibus penitus infixum eſſe oportet, nec tutum eſſe, nec ad fouendam concordiam vtile, temerè deſciſcere ab ijs, quæ maiorum autoritate tradita ſunt, quæque longo ſeculorum vſu conſenſuque confirmata. Nec quicquam omnino nouandum eſt, niſi huc aut cogat neceſſitas, aut inſignis inuitet vtilitas.

Liberum arbitrium. De libero arbitrio, ſpinoſa eſt veriùs, quàm frugifera diſputatio. Et ſi quid de hoc quærendum eſt, in Theologicis diatribis ſobriè diſcutiatur. Interim inter nos illud conuenire ſatis eſt, hominem ex ſuis viribus nihil poſſe, & ſi quid vlla in re poteſt, totum eius debere gratiæ, cuius munere ſumus quicquid ſumus, vt in omnibus agnoſcamus imbecillitatem noſtram, & glorificemus Domini miſericordiam.

Fides iuſtificans. Conueniat inter nos Fidei plurimum eſſe tribuendum: modò fateamur & hoc, eſſe peculiare Spiritus ſancti donum, idq; multò latius patêre, quàm vulgus hominum credit: nec omnibus adeſſe, qui dicunt: Credo Chriſtum pro me paſſum eſſe. Concedamus, fide iuſtificari, hoc eſt, purificari corda credentium: modò fateamur, ad conſequendam ſalutem neceſſaria charitatis opera. Nec enim vera fides poteſt eſſe ocioſa, quum ſit fons & ſeminarium omnium bonorum operum.

Quin potiùs diſtinguamus iuſticiam repurgantem mentis noſtræ domicilium quam rectè dixeris innocentiam, & iuſticiam ornantem ac locupletantem eam bonis operibus.

Merita. Deus propriè nulli debitor eſt, niſi forſitan ex gratuito promiſſo: quanquam & hoc ipſum, vt præſtemus promiſſi conditionem, illius eſt munificentiæ. Non tamen reijciendum eſt mercedis aut meriti vocabulum, quòd Deus, quæ in nobis, aut per nos operatur,

operatur, pro bonitate sua, acceptat, ac pensat. De verbis nulla sit digladiatio, modò de re conueniat.

Nec interim ingerantur auribus imperitæ multitudinis illa παράδοξα: Nihil refert, qualia sint nostra opera, tantùm habeto fidem, & seruaberis: &, Homo, quidquid agit, nihil aliud quàm peccat. Quæ vt in aliquo sensu vera sint, tamen ab imperitis aliò rapiuntur quàm expedit: Quemadmodum & illæ voces, Christus pro nostris peccatis dependit. An ille pro nobis mortuus est, vt nos viuamus in peccatis: an potiùs vt semel illius sanguine loti, abstineamus ab omnibus inquinamentis? Mortuus est, & resurrexit, vt ipsum imitantes, moriamur peccatis, & in vitæ nouitatẽ resurgamus. Pro nobis crucẽ gestauit, sed idem clamat: Qui nõ tollit crucẽ suam quotidie, non est me dignus. Cæterùm qui Dominũ suis sceleribus quotidie, quod in ipsis est, crucifigunt, ijs mors illius adeò nihil profutura est, vt cessura sit in grauem supplicij accessionẽ. Pij cuiusdam affectus est, credere, preces ac bona opera viuentiũ prodesse defunctis, præsertim si hæc illi, dum viuerent, facienda curarunt. Tantùm admoneantur, qui funebres pompas ac missas gloriæ causa instituunt, perdere mercedem suam: ac certius esse lucrum, si, quod morientes legant, viui ac sani in pios vsus erogent. At quibus hoc nondum persuasum est, ne obstrepant aliorum simplicitati, sed ipsi tantò benigniùs subleuent paupertatem inopiam, tantoq; feruentiùs incumbant bonis operibus, quò minùs credunt defunctos viuorum benefactis iuuari.

Necessitas bonorum operum.

Pro defunctis.

Religiosi item affectus est, credere sanctos ac sanctas, quos Deus adhuc mortali corpore grauatos tanti fecit, vt ad illorum preces, dæmones expulerit, mortuos ad vitam reuocarit, nunc quoque nonnihil apud eum posse. At quibus diuersa sedit opinio, pura mente, synceraq; fide inuocent Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: ne obturbent odiosè ijs, qui citra superstitionem implorant diuorum suffragia. Superstitio, quam fateor in inuocatione cultuq; diuorum esse plurimam, coarguenda est: Pius ac simplex affectus interdum tolerandus est, etiamsi sit cum aliquo coniunctus errore. Vt nostra vota non sentiant diui, sentit tamen Christus, qui & amat simplices animos, si minùs per sanctos, certè pro sanctis, dabit nobis quæ petimus.

Inuocatio sanctorum

Qui sæuierunt in Diuorum imagines, nõ prorsus absreconcitati sunt ad eum zelũ, licet immodicum mea quidẽ sententia.

Imagines.

Nam

Nam horribile crimen est, Idololatria, hoc est, simulacrorum cultus, qui tametsi iam olim sublatus est è moribus hominum, tamen periculum est, ne technis dæmonum, eôdem reuoluantur incauti. Sed, cùm statuaria & pictura, olim inter liberales artes habita, sit tacita poësis, plus interdum repræsentans affectibus hominum, quàm homo quamuis facundus possit verbis exprimere: & Plato agnoscens poësin plurimum habere momenti ad Rempub. bene secúsue instituendam, non omnes Poëtas submouerit ex illa, quam fingit, ciuitate, sed Homerum tantùm, aut Homeri similem, qui dijs, ac deorum filijs attribuit adulteria, puerorum amores, furta, mendacia, impotentes iras, dissidia, aliaque vitia, quæ nemo bonus Reipub. gubernator ferret in suis ciuibus, aut frugi paterfamilias in vxore, liberis aut famulis: corrigendum erat, quod per imagines irrepserat superstitionis, vtilitas erat seruanda. Vtinam omnes omnium ædium parietes haberent vitam Iesu Christi decenter expressam. In templis autem, quemadmodum in Aphricano Concilio decretum fuit, ne quid recitaretur præter scripturas canonicas: ita conueniret nullam esse picturam, nisi cuius argumentum in Canonicis scripturis contineretur. In peristylijs, porticibus, & ambulacris possent & alia pingi ex humanis historijs desumta, modò facerent ad bonos mores. Stultas verò aut obscœnas aut seditiosas tabulas oportuit non solùm è templis, verùm etiam ex omni ciuitate sublatas esse. Et quemadmodum blasphemiæ genus est, sacras literas, ad ineptos ac prophanos detorquere iocos, ita graui pœna digni sunt, qui, dum pingunt canonicarum scripturarum argumenta, de suo capite miscent ridicula quædam ac sanctis indigna. Si libet ineptire, à Philostrato potiùs petant argumenta. Quanquam sunt & in Ethnicorum annalibus multa argumenta, quæ idiotarum oculis vtiliter exponi possent. Ergò cui persuasum est diuorum imaginibus, quoniam non sentiunt, nihil habendum honoris, fruantur suo sensu: ne tamen obstrepant ijs, qui citra superstitionem sic venerantur imagines eorum amore quos repręsentant. quemadmodum noua nupta sponsi absentis amore exosculatur anulum aut strophium ab illo relictum aut missum. Hic affectus Deo non potest ingratus esse, qui non ex superstitione, sed ab abundantia quadam amoris proficiscitur.

Idem

Idem sentiendum est de ijs, qui simili affectu exosculantur ossa, aliásue reliquias sanctorum. In his Paulus, opinor, concederet, vt in suo quisq; sensu acquiescat. Noui Theologum, qui, cùm videret quendam per cœmiterium euntem, (nam erat iter publicum) non aperire caput ad signum crucifixi, haud quidem studio, sed intentum fabulis comitum, quibus cum deambulauerat: miro zelo dixit ad suos confabulones, ausim iurare illum esse Lutheranum. Illud profectò non rectè: quemadmodum altera pars peccat, odiosè obstrepens non superstitioni, sed simplici religioso q; affectui nonnihil tribuentium imaginibus. Illud citra noxam omnibus potest inculcari, diuos ac diuas optimè coli imitando vitam illorum. *Reliquiæ sanctorum*

Itidem, quibus nondum persuasum est, horum temporum Sacramentalem confessionem, fuisse ab ipso Christo institutam, seruent eam vt rem salutarem, multisq; commendabilem vtilitatibus, ac multorum seculorum vsu comprobatam. Vt autem illa tum tutior sit, tum minùs grauis, magna ex parte in nobis situm est, videlicet si deligamus integrum, eruditum, ac silentij tenacem sacerdotem, nec eum ambiguis ac perplexis sermonibus remoremur, vt percunctando cogatur velut expiscari crimina, sed simpliciter, tanquam coram Deo, aperiamus ea duntaxat, quæ certò sunt lethalia vulnera: Quod genus sunt, adulterium, homicidium, furtum, ebrietas, enormis ac voluntaria, obtrectatio malitiosa, quod homicidij aut veneficij genus est, periurium, fraus, rapina, aliaq; huius generis seu facto perpetrata, seu certo animi proposito destinata. Quibus enim nihil defuit, præter occasionem, iam perpetrarunt. Absit autem repetendi confessionem superstitio, absit anxietas enumerandi commissa & circumstantias, aut totam iterandi confessionem apud alium sacerdotem, si quod crimen in priore fugit. Præcipua cura sit, vt quod admissum est, detestemur, & in pristinum remigremus affectum. Illud omnium caput est, sic instituere vitam, vt non incidamus in vllum crimen lethale. Id qui potest, liber est ab onere confitendi. Leuiores culpas vitare vix cuiquam concessum est, in hac vita: at non difficile est, auxiliante Deo, vitare crimina ei, qui semel sit radicatus in charitate Dei ac proximi. Hoc igitur fundamentum ante omnia iaciendum ac stabiliendum est in animis nostris. Quòd si accidat in crimen prolabi, non est necesse protinus ad *Confessio auricularis.*

facer-

sacerdotem currere, sed ad Deum ilicò confugiendum est, cum illo statim redeundum in gratiam: Vt sacerdoti quoque confitearis, expectanda est temporis oportunitas. Consultum tamen est, culpas, de quibus dubitas, criminales sint necne, sacerdoti, cùm oportunum fuerit, referare. Idem dico de factis, de quibus ambigis, vtrum legitima sint, an non.

Complures enim perplexi casus incidunt in vita mortalium, veluti de vsura, de matrimonio, de restituendo, de votis. Qui credunt eam, vt nunc est, à Christo institutam, tantò obseruent religiosiùs, sinantque alios in suo sensu acquiescere, donec sacrosancta Synodus aliquid expressiùs de hoc pronunciarit. Hoc pacto fiet, vt nec scindatur omnino Christiana concordia, nec mores infirmorum in omnem licentiam proruant.

Missa. In Missam si quid superstitionis aut sordium irrepsit, æquum est corrigere. Ipsam Missam cur vsqueadeo execremur, non video.

Constat Psalmodia, qui dicitur Introitus, doxologia, precatione, sacris canticis, recitatione verborum Propheticorum aut Apostolicorum, quam vocant Epistolam, recitatione Euangelij, professione fidei Catholicæ, gratiarum actione, quam appellant Eucharistiam, ac religiosa commemoratione mortis Dominicæ, rursus precationibus, inter quas est precatio Dominica: dein sequitur pacis Christianæ Symbolum, mox communio, rursus sacrum canticum, & precatio.

Postremo loco sacerdos totum populum velut in suam tutelam receptum Deo benedictione tradit atque commendat, vt perseuerent in affectu pietatis, mutuaque charitate. Quid in his non pium ac venerandum? Quos offendit sordida turba conductitiorum sacrificulorum, submoueant indignos, dignos retineant. Quibus non placent prosæ, præsertim indoctæ, licet eas prætermittere. Nec enim Romana Ecclesia vllas nouit prosas.

Similiter & cantionem, quam nunc in nonnullis templis canunt, post consecratum corpus & sanguinem Dominicum, pro pace, aut contra pestilentiam, aut pro felici prouentu frugum, sine religionis detrimento liceret omittere. Id enim omnino præter veterem morem inductum est.

Nam

Nam id temporis olim populus non curſitabat ad videndum id quod ſacerdos oſtēdit, ſed proſtratus humi corporibus, animis in cœlum erectis, gratias agebat Chriſto Redemtori, qui nos ſuo ſanguine lauit, ſua morte redemit. Nihil porrò tale nouit Eccleſia Romana. In ſacello pontificis non eſt niſi vnicum altare, & vnicum ſacrum. *Eleuatio.*

Quin & hodie in multis Eccleſijs Romanam imitantibus, non licet priuatim ſacrificare duntaxat id temporis, cùm ſummum peragitur ſacrum. Illorum inſolentia eſt arguenda, qui, cùm ſummi ſacrificij tempore ambularint nugantes de rebus friuolis, proprium requirunt ſacerdotem, qui ipſis propriè ſacrificet: aut in veſpertino cultu, quemuis obuium arripiunt ſacerdotem, qui ipſis ſeparatim dicat veſpertinas laudes, etiamſi iam ſuas abſoluit: qui ſi recuſet, ſic commouentur, vt periculum ſit, ne illi pugnos in faciem ingerant. Adeo, quod publicum eſt, contemnitur, & quiſq; priuata quærit. *Miſſæ priuatæ.*

Si non placet in templis illud modulatæ Muſicæ genus, & organorum cantus, poſſunt citra pietatis iacturam omitti: ſi placet, curandum eſt, vt illa quoque Muſica ſit digna templo Dei. Iam & illud non rectè fit in quibuſdam Eccleſijs, vt ob muſicorum aut organorum concentum omittantur aut decurtentur ea, quæ ſunt præcipua. Hora propè conſumitur in proſa, ac decurtatur Symbolum fidei, & omittitur precatio Dominica. Nec minimum temporis abſumunt illæ vocum caudæ ad ſingulos verſus in longum productæ. Atqui præſtabat cultum ſolennem nullis ſuperuacaneis verti in tædium. *Cantiones*

Ad ſuperſtitionem vergunt tot peculiaria miſſarum argumenta: miſſa de ſpinea corona, miſſa de tribus clauis, miſſa de præputio Chriſti, miſſa pro nauigantibus, pedeſtri aut equeſtri itinere peregrinantibus, pro ſterilibus, pro grauidis, pro parturientibus, pro febri quartana, aut tertiana laborantibus. Hæc & huius generis multa facilè poſſent vel tolerari, vel corrigi. Nec erat neceſſe, vt miſſam tot ſeculis receptam, quaſi rem peſtilentem & impiam, exigeremus. *Miſſæ variæ.*

Iam quæ quidam tradiderunt de qualificatione, de merito principali & ſecundario, de opere operante & operato, poterant inter humanas opiniones ſeponi, donec ſuper his quoq; Synodus pronunciaret, aut ſuo quemq; arbitrio relinqueret.

Sacri-

Sacrificiũ pro viuis & defunctis.

Sacrificij atq; immolationis vocabulum veteres sacri Doctores non horruerunt. Christus semel mortuus non morietur iterum, fateor, sed vnicum illud sacrificium mysticis ritibus quotidie quasi renouatur, dum ex illo fonte inexhausto nobis nouam subinde gratiam elicimus. Immolamus hostiam pro viuis ac defunctis, dum pro illis patrem per Filij mortem obtestamur. Postremò cùm omnis precatio, laus & gratiarum actio, rectè dicatur sacrificium, maximè nomen hoc conuenit in missam, hæc omnia sacratiùs continentem.

Communio.

Sunt qui requirant in missa communionem. Sic fateor fuit à Christo institutum, & olim ita consueuit obseruari. Verùm id quò minùs fiat, haud stat per sacerdotes, sed per laicos, in quibus heu nimium refrixit charitas: cœlestis ille cibus non est obtrudendus inuitis, aut nauseantibus, auidè petentibus non negabitur. Nunc quæ possit esse communio: cùm quibusdam in locis templa ferè sint vacua communionis tempore? Quidam aspersi mox abeunt domum, &, ante introitum, faciunt exitum: Alij post auditum & non intellectum Euangelium abeunt: Aliqui, posteaquam sacerdos dixit, sursum corda, & gratias agamus. Tum præcipuæ populi partes erant, quando tacente sacerdote quisq; cum Deo loquitur. Atq; interim illi fabulantur in foro, aut potant in popina. Quanquam & hi verecundiùs faciunt ijs, qui toto sacro nugantur in templis.

Deniq; tametsi inter sacrificantem & assistentes non est signorum sacramentalium communio, quæ nec olim inter omnes fuit: est tamen sacræ doctrinæ, pię exhortationis, precationis, laudis & gratiarum actionis communio. Commune est igitur, quod viuificat: illud commune non est, quod sine illis nihil prodest.

Adoratio Sacramenti.

Sed obijcitur scrupulus de adorando. Si in Eucharistia totus est Christus, cur non est adorandus? Quanquam Christus in eo Sacramento est, sub ratione cibi ac potus, vt summa cum animi puritate sumatur, non vt ostentetur, aut in ludis publicisque pompis circumferatur, aut in equo circum arua vehatur. Id nequaquam est veteris exempli, sed in hoc multitudinis affectui plus satis indultum est. Quidam sibi valdè pij videntur, si, quoties Sacerdos finit videri corpus Domini, vndiq; accurrant, acè proximo defixis oculis intueantur. Quantò religiosius erat cum publi-

publicano procul à cancellis abstinere, & corpore humi fuso, mente adorare crucifixum? Nullus est tam stolidus, vt humanam Christi naturam adoret pro diuina, aut vt panem & vinum adoret pro Christo. Quoniam autem nemo certus est, an sacerdos verè consecrauerit, præter ipsum vnum: nullus adorat ibi Christum, nisi sub tacita conditione, & tamen id quod in Christo propriè adoratur, nusquam non adest. *Adoratio Sacramenti.*

Adde huc quòd nullum sit Sacramentum tam humile, cui non assistamus nudis capitibus, cùm administratur, velut in baptismo, in confirmatione puerorum: quid sentiunt igitur qui putant idololatriam esse, si huic sacramento caput aperiant, etiamsi Christi corpus & sanguis tantùm ibi sint in sacro signo?

Quot porrò videmus Sacramentariorum formas? Quoties ipsi suam mutarunt sententiam? quoties alienam reiecerunt? Nam & nuper exortus est, qui tam impiam de hoc sacramento sententiam commentus est, vt totum sustulerit sacramentum. Neque enim sacramentum dici meretur, quod nullo externo signo, sed tantùm animi cogitatione peragitur. Hæc qui faciunt, vtrum sibi videntur talis ludere, an de grauissimis rebus disputare? Quod si ambigunt, vt ipsa declarat res, quantò satius erat in eo perseuerare, quod nobis tradiderat Ecclesia Catholica? tradidit autem ibi verum esse corpus & sanguinem Domini, haud dubiè quin viuum. Quod si credimus in sepulchro diuinam naturam non fuisse separatam ab exanimi corpore Domini, quantò credibilius est eam à viuo corpore non esse separatam in Sacramento? *De præsentia corporis Christi in Missa.*

Itaque si in hoc concordes essemus, cætera quæ disquirunruntur, quomodo sit ibi corpus & sanguis Domini sub panis substantia, aut sub speciebus panis an vini; & quid accidat sumto corpori, & si qua sunt his similia, poterant in Synodo definiri. Nunc dum quisq; de re tanta, quod libet, comminiscitur, nonne illud vnicum piarum mentium solatium ac delicium, quodammodo in nauseam vertimus?

Turbam festorum dierum, quos vel Episcopi multitudinis affectibus indulgentes induxerunt, vel Romani pontifices causis non necessarijs instituerunt, ipsi facilè patientur abrogari: *Festi dies.*

quod genus sunt festum conceptionis & natiuitatis virginis matris, item festum præsentationis in templo. Et haud scio an expediret nullum omnino festum solenne indici, nisi cuius argumentum extet in sacris literis. Diem Dominicum semper excipio. Facilè patientur esse festa pauciora, modò ea quæ supersunt, maiore religione celebrentur. Non est omnino prophanus dies, quo licito labore citraque fraudem paratur, quod vxorem alat ac liberos, aut proximi subleuet inopiam.

Festa quæ sodalitates sibi priuata constituunt autoritate, vnà cum ipsis sodalitatibus, à magistratu tollenda sunt. Nihil enim aliud sunt quàm Comi & Bacchi conuenticula.

Ieiunia.

Delectum ciborum ac ieiunia non indixit Ecclesia nisi ad sanitatem corporis & animi. Itaq; qui piscium esu periclitantur, aut ieiunio & valetudinem corporis & animi vigorem lædi sentiunt, hos nequaquam obligat Ecclesiæ constitutio. Qui verò sentiunt, se ex abstinentia carnium & ieiunio & corpore & animo melius habere, quæ rogo contumacia est, velut in odium Ecclesiæ hoc reijcere, quod tantam adfert vtilitatem?

Hic igitur nullus alium dijudicet. Vescens non insultet abstinentibus, abstinentes non condemnent vescentes, etiamsi causa non sit euidens. Suo Domino stant aut cadunt.

Traditiones humanæ.

Idem sentio de cæteris Episcoporum constitutionibus, quæ si piæ sunt, si vtiles, si æquæ, ob hoc ipsum seruandæ sunt, quod tales sunt: & si displicet legis vocabulum, amplectamur eas tanquam salubria consilia. Si seruus de lapide emtus dat tibi consilium vtile, auscultas & obtemperas, non quia seruus dedit, sed quia est in rem tuam. Et nos eorum consilia reijcimus, qui publica dignitate præeminent, quiq; nobis patrum ac doctorum loco sunt?

Hæc eo spectant, non vt quæ dicimus pro certis haberi velimus aut præeamus Ecclesiæ quid fit statuendum, sed vt interim dum apparatur Synodus, ipsi dissensionum causas omnes, quantum in nobis est, amputemus, nihil per vim ac tumultum agamus, neq; cuiquam hoc faciamus, quod si nobis fieret, cœlum ac terram ac maria inclamaremus, neq; quenquam ad nouam religionem, à qua abhorret, perpellamus. Aequissimum enim est, vt, qui sibi religionis causa vim fieri nolunt, ab alijs eam abstineant

præser-

præsertim cùm hîc quoque melior sit causa, tam longi præscriptione temporis sese tuentium. Hæc admonitio ad vtramq; partem attinet.

Si moderata συγκατάβασις præmolliat dissidiorum paroxysmum, fiet vt Synodi medicina felicius operetur ad concordiam. Sic enim medici, priusquam porrigant validum pharmacum, leuibus ac blandis potiunculis, Sirupos illi vocant, præparant corpora. Hoc exemplum vtinam omnes imitemur. At vereor ne sint, qui vel ob inopiam iudicij, vel vt ipsi sint in tuto, properent sic exulcerare omnia, vt frustra coëat Synodus.

Quis autem malus genius effascinauit infelices Anabaptistas? Nam audio hos errore falli magis quam incitari malitia, vt ad istum modum in proprium ruant exitium. Non sufficit illis baptismus, qui mille quadringentis annis suffecit Ecclesiæ Catholicæ? Nam temporibus Augustini tam vetus erat consuetudo tingere infantes, vt huius exempli autor ignoraretur, admodumque probabile esset, ab ipsis Apostolis fuisse inductum. Quanquam enim non est expressum in sacris libris quòd Apostoli baptizarint infantes, tamen ex his sumitur non leuis coniectura. Paulus enim fatetur se baptizasse tres familias, Crispi, Caij, & Stephanæ. Et apud Philippenses nóctu baptizauit carcerarium cum vniuersa familia. Et Petrus in Actis baptizauit Cornelij, non solùm familiam, sed etiam cognatos ac necessarios, quos ille sub aduentum Petri conuocârat. In his familijs probabile est fuisse non nullos infantes aut pueros. Christus ait: Date Cæsari quæ sunt Cæsaris. Et Apostolorum principes Petrus ac Paulus diligenter admonent, vt Christiani ciues obtemperent regibus ac præfectis licet idololatris. Volunt seruum baptizatum fidelius etiam seruire hero suo, quàm antea fecerat, & isti grauantur parêre principibus eodem lauacro tinctis, eandem professis religionem?

Anabaptistæ.

Baptismus Infantum.

Dicuntur exigere à suis rerum omnium communitatem. At ista quidem fuit aliquamdiu temporibus Apostolorum in primordijs Ecclesiæ nascentis, ne tum quidem inter omnes Christianos. Nam latius propagato Euangelio non potuit seruari communitas, exitura videlicet in seditionem. Hoc ad concordiã est accomodatius, vt rerum proprietas ac dispensandi ius sit penes legitimos domnos, charitas verò faciat vsum commune.

Nunc audimus apud Bohemos exoriri nouum Iudæorum genus, Sabbatarios appellant, qui tanta superstitione seruant Sabbatum, vt si quid eo die inciderit in oculum, nolint eximere, quasi non sufficiat eis pro Sabbato dies Dominicus, qui Apostolis etiam erat sacer, aut quasi Christus non satis expresserit quantum tribuendum sit Sabbato.

Beatus Paulus anathema minatur Angelo, qui vel cœlitus afferret aliud Euangelium quàm ipse tradiderat. Nunc multorũ animos adeo conspicimus vacillantes, vt si vel obscurissimus homuncio proferat nouum dogma, licet absurdum, inueniat discipulos. Vnde tanta vacillatio in animis Germanorum, qui semper cæteris nationibus fortitudinis & constantiæ laude præcelluerunt?

Quid nobis felicius, si positis dissidijs concordes versemur in domo Domini? Agit hoc summo studio Carolus Cæsar, agit idem Romanorum, Hungariæ, Bohemiæque rex Ferdinandus, princeps singulari pietate præditus. Nec Christianissimus Gallorum rex in hoc negocio, suo cognomini non est respõsurus. Nec Anglorum rex obliuiscetur, se non ita pridem defensoris fidei Catholicæ speciosum meruisse titulum. Qui Clemẽtis pontificis ingenium propius norunt, pollicentur illum ad æquissimas conditiones descensurũ, modò sarciatur Ecclesiæ pax. Nec defutura est eruditorum Cardinalium æquitas. Res auspice Christo feliciter cessura est, si cæteri quoq; principes ac ciuitates huc intendant animum. Iam nimium diu rixis indultum est, vel delassati quæramus concordiam. Si Domini lenitas nos prouocat ad licentiam, quæ ad pœnitentiam debebat inuitare, verendum est ne furor fiat læsa sæpius patientia, & quod de Iudæis scripsit Paulus, perueniat in nos ira Dei in finem.

Ne regum quidem mansuetudine abuti consultum est. Non ignorant illi vires suas, sed pro sua clementia mollioribus, si fieri possit, remedijs huic malo mederi malunt, quàm cauterijs aut sectionibus.

Fortasse nos credimus dormitare Cæsarem, at is planè vigilat: in hoc negocio lentior est, sicut oportet principem summa potentia præditum non esse præcipitem in rebus gerendis, sed tamen ille tandem perficit, quicquid animo destinauit semel.

Regis

Regis Ferdinandi bonitas & animus planè Philosophicus, qualem in Principe requirit Plato, non meretur contemtum, sed abundantiorem reuerentiam, ac religiosiorẽ obedientiam.

Nunquam habuere felicem exitum ausus Cyclopici, & inconsulta temeritas: Sed vt verissimè dixit ille vates acutissimus, vis consilij expers mole ruit sua. Vim temperatam dij quoq; prouehunt in maius. Ergò si moderatis consilijs, affectibusq; sedatis incubuerimus ad sarciendam Ecclesiæ concordiam, fiet quod vaticinatur Iesaias: Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta: iamq; simul omnes vno ore nobis inuicem gratulantes dicemus,

Quam amabilia tabernacula tua à Domine virtutum.

DE PROPOSITA AB ERASMO SARCIENDAE CONCORDIAE RATIONE, IVDICIVM ANTONII CORVINI.

PRAEFATIO D. MARTINI LVTHERI.

EXtorsit mihi Typographus præfationem hanc sub nomine meo edendam, vt libellus hic per seſe satis vendibilis, meo velut testimonio magis probaretur, quanquam re ipsa & stili elegantia, tum ipsa modestia etiam mihi ipsi valdè probetur, haud dubiè pijs & eruditis, etiam sine meo testimonio, multò magis probabilis futurus. Et fateor ingenuè, non esse mei ingenij & moris, in re tali, quam noster Coruinus hic tractat, tam placidè & leniter agere, præsertim postquam inter Erasmicos Theologos & me tanta sit coorta turba, tamen in gratiam libelli, vincam me ipsum, quantum potero, & posita vehementia hoc dicam: Mihi sanè non posse probari istam rationem docendi, quam hic Iulianus pro Erasmo defendit: Facilè & ipse credo, Erasmum fortè & suos discipulos, bono animo velle rebus, seu turbis potiùs, consultum, per istam mediocritatem & mutuam partium condonationem, metuentes videlicet, ne res in neruum eat (vt dicitur:) Sed conscientia & veritas ipsa hanc concordiæ rationem tolerare non potest.

Alia est enim concordia fidei, alia charitatis: Secundum charitatem nihil est ex parte nostra ynquam omissum,

sum, quod non sit plenissima voluntate oblatum, pro pace & concordia vel seruanda vel resarcienda. Omnia facere, pati, seruare, paratissimi semper fuimus, quæcũq; salua fide præcipi, iniungi & inferri possent ab aduersarijs. Id quidem & opere ipso & fructibus peerpetuo tenore ostendimus. Nunquam enim illorum sanguinem sitiuimus, multò minùs fudimus: Nihil eis nocuimus, aut rapuimus, quin pro eis contra seditiosos & phanaticos spiritus, strenuè semper stetimus, fecimus & laborauimus, atque (vt pij & boni, imo & multi inter ipsos fatentur) plus effecimus, quam ipsi, pro ipsorum statu conseruando, vnde & maiore & acerbiore odio, nos ipsos onerauimus. Nam Spiritus isti seditiosi & furiosi multo clementius Papistas oderunt, quam Lutheranos: Cũ interim non cessent Papistæ nostrorum sanguinem fundere & haurire, deinde ferro, igne, aqua & omni furoris genere nos persequi, nullam ob causam, nisi quod contra conscientiam non possumus humanas ipsorum traditiones, Deo & verbo eius æquare, vel potius super Deum & cultum eius exaltare. Deus igitur hic iudicabit, an ex parte ipsorum vel nostra stet, quo minus inter nos seruetur concordia. Nam gloria nostra hæc est, testimonium lætissimum & securæ conscientiæ, quod concordiam, quantum ad charitatem attinet, summis studijs quæsiuimus, orauimus, efflagitauimus etiam fuso valde multo nostrorum sanguine, & toleratis infinitis crudelitatibus & odijs aduersariorum.

Verum concordiam fidei seu doctrinæ frustra quærit Erasmus, eo consilio, vt mutuum cedamus & condonemus, non tantum, quod aduersarij prorsus nihil cedunt, nec cedere volunt: quin potius rigidius & obstinatius nunc omnia defendunt, quam vnquam antea, etiam talia ausi

nunc exigere, quæ ante Lutherum ipsimet damnauerunt & probauerunt: Verùm etiam, quòd & nos non possumus ea probare, quæ manifestè cum scripturis diuinis pugnant, & quæ prorsus nullum (vt dicitur) medium admittunt: Nam doctrina fidei non luctatur cum carne & sanguine, sicut charitas, quæ cum hominibus & eorum vicijs exercetur, tolerandis, corrigendis, emendandis, quæ mutari possunt, & ipsa spem habet perseuerantem vsq; ad mortem conuertendi peccatoris: Sed luctatur cum Spiritibus nequitiæ & desperatis, quorum malitia est obstinata in æternum, sine vlla spe conuertendi aut mutandi animi. Ideo inter fidem seu doctrinam Christi, & Dæmonum voluntates, nulla pax, nulla concordia, nulla amicitia tentari debet. Ipse est homicida & pater mendacij, & tam non potest non odisse fidei doctrinam, quàm mendacem & nocendi voluntatem non mutare. Quæ enim est conuentio Christi & Belial? Quæ societas lucis & tenebrarum?

At Papistæ (inquies) Christi doctrinam æquè iactant, & Dæmonum errores nolunt docere videri. Iactant sanè, Sed ex fructibus arbor cognoscitur. Ac ne hic disputem prolixè, Id satis constat, nihil eos curare, quid certò & solidè doceant pro firmandis conscientijs: Vna est eorum vociferatio, Ecclesia, Ecclesia, Ecclesia, & Ecclesiam vocant homines, etiam impios, qui supra & contra scripturam sentire & statuere possunt, idq; autoritate diuina. Hanc eorum vocem & Erasmus confirmat, qui vbiq; Ecclesiam sequi sese promittit, & interim omnia dubia & incerta docet. Sed si Ecclesiam hoc vocare debemus, quod illi Ecclesiam esse vociferantur, deinde credere, quicquid illa Ecclesia eorum facit & dicit,

dicit, quid opus est diuina Scriptura? Cur reprehenduntur vitia? Cur periclitamur confessione veritatis? Quando breuissimo compendio & ociosè dormitantes possimus salui fieri, tantum sic dicendo, Credo Papistas esse Ecclesiam, & credo veritatem esse, quicquid Papistæ statuunt, etiamsi absque, supra & contra scripturas statuant. Sed quid facies pijs & bonis animabus, quæ Scripturæ autoritate captæ, vt verbo veritatis diuinæ, non possunt credere, quod manifestè contra Scripturam docetur? Istisne dicemus, Audiendus est Papa, vt pax constet & concordia, aut incertæ sunt relinquendæ, suspensa interim sententia, donec aliud Papa decreuerit cum suis? At sint alij tam securi & suæ salutis tam negligentes, qui volent. Certè animus Deum timēs & seriò metuens mortem æternam, & cupiens æternam vitam, non potest incertis & dubijs doctrinis quietari.

Vnde & in meo Seruo arbitrio in Erasmi Theologia reprehendi istam Scepticorum sententiam. Necesse est enim in Ecclesia certum dogma, certum verbum Dei haberi, cui certò & securè possimus credere, & in eadem certitudine fidei, & viuere & mori: Quam certitudinem quia & Erasmus parum curat, & Papistæ non docent, (nec enim possunt, cùm eam non intelligant prorsus) sed oderunt & persequuntur, coire nulla concordia in fide & doctrina potest, quia Ecclesia hac certa fidei anchora carere non potest, & extra seu supra verbum Dei, nulla fides subsistere potest. Ideo quicquid Papistæ vel Erasmus hic vel docent vel consulunt, frustra & inutiliter consulunt. Conscientiæ istis consilijs & remedijs humanis iuuari non possunt neque volunt, sed vocem sponsi sui cupiunt audire, & vocem pastoris & Magistri sui

vnici. Ad vocem alienorum dicunt, Hoc quia de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Non loquor iam de controuersijs in Scripturis agitatis, sed de his, quæ extra Scripturas & contra Scripturas, ab aduersarijs defenduntur & exiguntur per vim & omne genus furoris. Talia non sunt hæretica (Hæreses enim è scripturis fingunt spiritus impij) sed prorsus profana, & certissimè diabolica. Quare tutiùs Erasmus à Theologia abstineret, & pro suo ingenio in alijs rebus eloquentiam suam exercet. Theologia requirit animum seriò & simpliciter verbum Dei quærentem & amantem, sicut legitur: Et in simplicitate cordis quærite illum, Inuenitur enim ab ijs, qui nõ tentant eum. Et Paulus Rom. 12. præcipit, vt doctrina Christianorum sit analoga fidei. Et prima Petri quarto. Si quis loquitur, quasi sermones Dei, Item secunda Petri primo, Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia. Et satis magna miseria experti sumus sub Papatu, quàm varijs ventis doctrinæ agitati simus, dum ex Scripturis proprios humana voluntate articulos finximus, donec etiam cucullos Monachorum adorauerimus: Qua Idolatria omnium Gentium portenta planè vicimus. Nam qui clamant, multos credi ab Ecclesia articulos, qui in Scripturis non habeantur, suis aguntur furijs, aliam fingentes sibi Ecclesiam, scilicet Satanæ synagogam & nomen sanctæ Ecclesiæ virginis & sponsæ Christi impudentissimis mendacijs, scortum & lænam Diaboli ornantes & venditantes. Sed de hac re, si Dominus ocium & vires concesserit, cùm de Ecclesia scripsero, latiùs disputabo. Interim durante regno Diaboli, non est,

quòd

quòd pacem & concordiam ſperemus in doctrina. Vna tantùm via eſt, ſcilicet, patientia in charitate Chriſti, vt illos ſinamus furere & nos quieto ſpiritu eorum odia & malitiam ſuſtineamus: Nam nos oportet eſſe verè Chriſtophoros & de ordine S. Crucis. Chriſtus conuertet electos ſuos, & liberabit tandem nos omnes, Cuius eſt victoria, virtus & gloria, cum Patre & Spiritu ſancto in æternum,

AMEN.

PERSO-

PERSONAE DIALOGI, CORVINVS, IVLIANVS.

CORuinus. Itáne ais, Iuliane, præscriptam nobis ab Erasmo, sarciendæ in Ecclesia concordiæ rationem? Iulianus. Aio, vt quam & viderim ipse & minimè oscitanter legerim. Coruinus. Fac obsecro mihi quoque eius libelli copiam: Tametsi enim verear veterē istic cantilenam occini, tamen miro desiderio teneor, num noui aliquid adferat, cognoscendi. Iulianus. Noui? Quasi verò sui dissimilis tantus vir vsquam esse possit. Ab initio hos tam ingēteshumanarum rerum motus execrari non desijt, ad pacem & concordiam spectans, quod tu consilium mutasse ipsum haud existimare debes. Coruin. Pacis amantem semper fuisse memini. Atque vtinam redigi tandem in concordiam omnium animi possint. Quem enim harum turbarum non tędeat? Sed vereor, vt nunc sunt tempora, ne irritum & nobis & ipsi votum hoc futurum sit. Iulianus. At nihilominus quènque adniti pro se decet, vt vel aliqua saltem ex parte constet orbis tranquillitas. Sensim ad has dissidiorum tempestates ventum est. Sensim ergo & pacis leniorau ra expectanda est. Remittat vtraque pars de iure suo aliquid, & breui senties, rem cessuram ex Erasmi mei sententia. Coruinus. Adde, Modò Christus dexter ac propitius adesse dignabitur. Sed cur Erasmum tuum ac non etiam nostrum dicis? Iulianus. Quia enim iniquiores in ipsum estis, quotquot cum Luthero ab Ecclesiæ vnitate recessistis. Coruinus. At nos neque ab Ecclesiæ consortio alieni sumus, neque iniqui in Erasmum vnquam fuimus, Quem etiam apud nos, ob profligatam è Germania barbariem, magno hactenus in precio fuisse, adeoq; semper futurum, ne tu quidem negare potes. Solum hoc ferre haud possumus, quòd minore, quàm talem virum decebat, constantia, in Euangelico versatur negotio: Taceo, quòd tot modis iniurius in eos est, qui nūquam de illo meriti sunt malè. Iulianus. Ergo crimen illi adscribis inconstantiæ? Aut de vllo vnquam Erasmus meritus est malè? Coruinus. Modestè tecum agam: Tu mihi fac vicissim modestè respondeas. Iulianus. Age, fiet. Quo ergò merito inconstantem appel-

appellas? Coruinus. De hoc pòst videro. De iniuria priùs dicam. An non insignis iniuria est, quòd in eo Dialogo, cui nomen fecit Euangelioferus, Euangelicos viros iuxta numerum Euangelistarum quatuor potissimùm quærere ait, vt videlicet ventri bene sit, & ijs quæ sunt sub ventre, vt sit vnde viuamus, vtque quicquid libeat, liceat? Quid grauius in nos dici poterat? Aut in Verrem quã do amarulentiùs debacchatus est Cicero? Iulianus. Dictum hoc non est generaliter in omnes: Quorundam improbitatem taxare voluit, falsò verbum Dei iactantium, adeoq; sub plausibili Euangelii prætextu, in quiduis vitij corruentium. Neque enim statim bonos omnes læsisse iudicabitur, opinor, qui in malos vtcunque hiscere ausus sit. Cor. Vel vnum iota igitur profer, quo se nihil de bonis locutum ibi, testificetur, id quod de Papistis verba facturus, vbique tam facit sollicitè. Iulianus. Suscepta in eo Dialogo persona aliter tractari non potuit. Describendum enim suscepe-rat nõ verè Christianum, sed falsò Euangelicum: Talis igitur personæ decorum obseruandũ fuit. Et ea res quid te offendit tantopere, cùm ipse apud me conquestus sis sæpenumero, bonam Euangelicorum partem abuti Euangelio? Coruinus. Etiãmne conquestus sum, videri idcirco mihi Euangelij doctrinam falsam esse? Aut non millies addidi, Christianæ religionis dogmata, nõ è vulgi moribus, sed è verbo Dei æstimari oportere? Aut vulgi mores, quando non fuere patrum memoria inquinatissimi? Quòd si nullum doctrinæ genus recipis, nisi ad quod & mores & vitam vulgus componat, iam ne Christus quidem docuisse vera videbitur, propterea quòd illo quoq; Euãgelium prædicante, multitudinis mores fuerint deprauatissimi. An non igitur iniuriam nobis Erasmus facit, quòd ob quosdam improbos, etiam bonos è grege nostro odiosos reddere conatur, non solùm apud huius ætatis homines, verùm etiam apud posteros? Cùm enim id genus Dialogi pueris ediscendi proponantur, fieri non potest, quin vnà cum recta loquendi ratione, odium quoque doctrinæ nostræ imbibant. Proinde cùm eiusmodi salibus nusquam non in nos ludens, modestiæ tamen laudem sibi arroget, scire vehementer cupio, quibúsnam rationibus hoscce orbis tumultus sedari posse arbitretur. Et propensis omnium ad pacem animis, facilè quod vult persuadebit, modò æqua atque verbo Dei non abhorrentia, præscribat. Iulianus, Liber ad manum non est: Tamen si & audire libet, & disse-

disserere hisce de rebus mecum vacat, libens tibi earum rationũ summam, vt quas in memoria adhuc habeam, ob oculos posuero. Coruinus. Et libet & vacat. Iulianus. Principio igitur scias, prudentissimum virum non sponte in hanc arenam descendisse, vt qui surdis hactenus eandem narrarit fabulam: Sed improbissimis amicorum efflagitationibus huc adactum esse, vt sehuius tempestatis sedatorem, vel ad futurum Concilium vsq; præberet. Coruinus. Non placet omen. Stultum enim est inuitis canibus venari, iuxta prouerbium. Iulianus. Quid faceret? sic instantibus, sic vrgentibus mos gerendus fuit, etiamsi citra partium offensionem in huiusmodi negotio vix quenquam versari posse intelligebat: Quam tamen difficultatem sic vicit, vt in neutram partem inueheretur, sed placidissimis verbis, quid ad fouendam cõcordiam facturum videretur, ostenderet. Quid? Iesum pacis spiritum, optimum pacis autorem fore ratus est, de amabili Ecclesiæ concordia in 83. Psalmo differentem, in consilium adhibuit, Eoque duce talem se in eiusdem Psalmi enarratione gessit, vt vel cœco adpareat, præter pacem ipsum quærere nihil. Coruinus. Concordiæ studium planè nobis cum illo commune est, quatenus inuiolabilis Scripturæ autoritas patitur. Iulianus. Tandem in fine Psalmi, omnes ad mutuam pacem cohortatus, rationes, veluti diximus, quasdam ostendit, quibus mederi tam afflictis rebus possimus: Quarum cum prima tum præcipua est, vt pariter spem nostram ponamus in Christo Iesu rege Sion ac Domino nostro, & ad illum vnum spectemus omnes. Coruinus. Optima mehercle componendorum dissidiorum ratio. Quòd si ab aduersarijs nostris, vt dicto hîc audientes sint, Erasmus impetrarit, apparebit, per nos non stare, quò minùs pax coëat: Ad Christum enim respicere, inq; eo spem omnem ponere, quis nisi insanus recuset? Iulianus. Atqui nec ad Christũ respicitur, nec de cõcordia cogitatur, vbi regnat ambitio, vbi pecuniæ studium, vbi peruicacia, vbi cæcus amor, odium cæcius, vt pertendamus tueri, quicquid semel diximus aut scripsimus, vbi in gratiam partium probamus, quæ scimus improbanda, aut odio priuato damnam' & ea quæ piè dicta sunt, denique vbi quisque ad se spectat, & vndique trahitur funiculus contentionis. Coruinus. Apud nos quid vel per ambitionem vel auaritiam geri possit, non video: Fermè enim & despicabiles apud mundum fiunt & omnium rerum

iacturam faciunt, qui ad doctrinæ hoc genus sese applicant, tantum abest, vt professio hæc vel honorem vel prædam habeat. Quod si etiam tales inter nos sint, (neque enim vllus status tam perfectus est, vt malos non admixtos habeat) ij causæ ipsi officere nihil debent, quòd abusus nullius rei tollat substãtiam. Quod ad peruicaciam attinet, eatenus nostra tueri pergimus, quatenus Scripturis cõsentanea sunt: Si quid verò perperam à nobis extra iustificationis causam vel dictum sit vel scriptum, id rescindi facilè patiemur, neque committemus, vt priuato vel amore, vel odio, ea quæ piè dicta sunt, damnemus, aut contrà, damnanda probemus, memores, Ethnico etiam scriptore teste, Eos qui de grauibus rebus consultant, ab id genus affectibus vacuos esse oportere. Iulianus. Vnde igitur tot velitationes, tot libri, tot scommata, in monachos, in sacerdotes, in Episcopos, in ipsum deniq; summũ Pontificem? Corui. Hi Pharisæorũ exemplo, Christi doctrinam, quam vnà nobiscum deprædicare debebant, in primis extinguere conati sunt. Rectè igitur Lutherani calami, ac aliorum à veritatè stantium, senserunt impetum: Neq; enim fert contemtum sui Spiritus ille cœlestis, in hoc electis donatus, vt mundum accuset & arguat. Quanquã si res probè æstimetur, adeoq; quàm non tolerandis cõuitijs ad huiusmodi libellos nostri irritati sint, considerabitur, nemo, opinor, hac de causa reos nos aget. Vel nuper quàm sycophanticus, quàm seditiosus, quàm sanguinarius libellus prodijt à Coclęo in Georgij Saxoniæ Ducis defensionem conscriptus? Huiusmodi ardelionibus, rabulis, ac asinis, qui possunt, silentium imponant, & sublata respondendi necessitate, facilè ab ijs velitationibus nostri quoque abstinebunt. Iulianus. At sunt in grege vestro, qui proprijs vitijs vel neglectis, vel dissimulatis, sic ferme in monachos & Episcopos debacchantur, vt solo calumniandi studio alteram partem odisse, ab altera stare appareat: de quo hominum genere rectè ad hunc modum Erasmus conqueritur, Perquàm iniquum est, nos ad aliorũ vitia lynceos esse, ad nostra ipsorum talpis cæciores, & in aliorum oculis videre festucam, ipsos trabem in oculo circumferentes. Cor. Bifariam hæc dere verba facta oportuit: Aliter enim hîc de publica psona, inq; verbi ministerio constituta, aliter de priuata loquendum est. Si de priuata Erasmus agit, iam ipse fateor, ineptè facere vulgum, quod sacrificiorum vitia sic exaggerat, vt ad proprtia interim

conniueat. Sed quis infrenem illam linguæ petulantiam in multitudine incondita coërcere queat? Ex cordatioribus nullus apud nos est, cui non vehementer ij multitudinis mores displiceant, Etiamsi procliuius hæc sit incusare quàm corrigere. Phocion Athenienſis palàm clamare ausus est, vni sibi nihil placere omnium quæ vulgus vel dicat vel faciat, & tamen alium ac erat, facere non potuit. Si verò de publica persona inque verbi ministerio constituta loquitur, quo iure hîc nostros taxare possit, non video. An non enim contra illos, qui doctrinam inuehunt, diuersam ab Euangelicis literis, indesinenter clamandum putas? Increpa illos durè, inquit Apostolus. Iulianus. De vulgo præsertim conquestus est, imò de omnibus omnium hominum vitijs, adeo, vt præcipuum huius tumultus fontem ex impijs hominum moribus natum existimet. Coru. Multitudinem innumeris vitijs obnoxiam esse, iamdudum sum confessus. Et cur dissimulem? Vtrinque peccatur, fereque fit quod Flaccus ait, Iliacos intra muros peccatur & extra. Quòd si doctores quoque humanum quiddam subinde pati dixeris, nō maximopere tecum contendero. Nemo enim sine vitijs nascitur, & optimus ille est, qui minimis vrgetur: imò tantò confidentiùs peccatores esse nos, quotquot Luthera nam doctrinam amplexi sumus, fatemur, quantò certiores sum⁹ Christum peccatoribus, hoc est, peccatum agnoscentibus, promissum esse & adparuisse. Sed heus tu, Meminisse hîc Erasmum oportuit, non de vitijs maximopere nos, sed de doctrina disputare ac sollicitos esse, neq; corruptos hominum mores, sed impuram ac impiam Papistarum doctrinam, horum malorum & causam & caput esse. Porrò si ad impuram vitam Episcopi non etiam addidissent impia dogmata, tolerari vtcunque poterant. Iam quum vitæ turpitudinem, doctrinæ impijssimæ sordibus longè vicerint, quo pacto parcere nominibus eorum, ni resipiscant, possimus, non video, nisi forte tu, vt bonum malum, malum bonum dicamus, nobis autor eris. Iulia. Quantum peruersa doctrina, ni obstes, noceat, & Erasmus probè nouit, & ego memini, (fingam enim recta docere vbique vos) Itaque hoc non agit, vt concionatoribus improbandi impia dogmata potestatem adimat, sed vt quemque fragilitatis propriæ memorem, ea Ecclesijs tradere moneat, quæ ad tranquillitatē faciant & concordiam. Quod ipsum, vt ab omnibus, præsertim Ecclesiæ primoribus impetret,

sic

sic inquit, Sint Pontifices, Pontifices, Christi Vicarij, sincero corde Dominici gregis curam agentes, Sint Principes, Principes diuinæ iustitię ministri, tanquam Deo reddituri rationem, quem hoc magis ab illis oportet timeri, quo liberiores sunt à timore hominum, Magistratus bona fide rempub. administrent, Monachi perfectionem quam titulo profitentur, moribus præstent, Sacerdotes noctes ac dies meditentur in lege Domini, quo possint esse sal populi. An non hæc via est ad concordiam compendiaria? Coruinus. Erasmum hic laudo, sed non omni ex parte: Quod cur ita dicam, postea audies. Pontificem vult esse Pōtificem, Qua, amabo te, autoritate? An non Leuiticum hoc Sacerdotium, in quo primas tenebat Pontifex, Summus ille Sacerdos Christus abrogauit? Iulianus. Huius vocabuli abusum pacis studio ferri oportet. Coruinus. Et Christi Vicarium esse vult, Quasi verò is Vicario habeat opus, tumque mentitus sit, cùm diceret, Vobiscum sum vsque ad consummationē seculi. Sed age, disceptationem de verbis, modò de re conueniat, lubentes ac volentes omittemus. Quando autem sincero corde Dominici gregis curam agent? Hoc ipsum si feciſſent hactenus, vel nunc tandem facere inceptarent, & minus in Ecclesia dissidiorum esset, & nos pacis studio facilè illis pareremus, præsertim æqua iubentibus. Iactatum hactenus, vt sæpe, ita ineptè, est illud Christi ad Petrum, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Perinde ac si regnum quoddam Pontificibus hæc verba constituant. Sed illud, Petre pasce oues meas, nemo est qui diligentiùs considerarit, quique dictum hoc sibi existimarit. Proinde ego fucatum hunc Pontificem eatenus agnoscendum censeo, quatenus illius, cuius vicarium se mentitur, tum docendo, tum viuendo imitabitur vestigia. Iulia. Neque induci Lutherani potestis, vt pacis studio Pontificem pro Pontifice, vel ad futurum Concilium vsq; habeatis? Corui. Regnum ipsius, Tyrannidem ac potentiam ferre possumus, impiam doctrinam ferre non possumus. Per nos, vt Romæ satrapam agat, adeoque iuxta Canonicam Politiam Pontifex sit, facilè licebit, modò verbi cursum apud nos non impediat. Miror autem tam sollicitè hoc agere Erasmum, vt huiusmodi Pontificum Tyrannidem ac regnum rursus instauret, quos ipse etiam alicubi dicit auersari Deum. In Marc. cap. 11. sic inquit, Quàm huiusmodi Pontifices auersetur Deus, illud argumento est, quòd

totum illud fucatum Sacerdotium cum suo templo deleri iusserit. Siquidem hi sunt, per quos etiam hodie Christus perimitur in membris suis. In eundem Marcum cap. 14. Nullus hostis capitalior Iesu, quàm impius Pontifex. Et infrà, Ad perdendum Iesum summo Pontifice opus est. Iulia. Quod de Pontificibus malis ac impijs dictum est, id in bonos detorqueri haud patiar. Habuit Synagoga Prophetarum ac Christi interfectrix, Pōtifices hoc nomine indignos, impios videlicet ac ambitione turgidos. Tales Deum Erasmus auersari ait, bonos nimirum semper excipiens. Corui. Cur igitur hodie quoq; Christum per hos in suis membris perimi, addit? Iulian. Id quoque de bonis accipiendum non est, sed de improbis. Coruinus. Da igitur ex omnibus Pontificibus vnum aliquem, qui post Apostolorum tempora rectè officio functus sit, qui Petri exemplo Christianos pauerit, qui Apostolorum peram & baculum (paupertatis Symbola) dignitati, gloriæ diuitijs, antetulerit? Iulian. Ego, vt laudare, si quid perperam adeoque præter officium designant, haud possum, ita derogare illorum dignitati nihil debeo, Et, vt candidiùs facere illos puto, qui animo simplici multos in hoc ordine fuisse & sanctimonia & eruditione conspicuos credunt, ita me quoque consultiùs facturum arbitror, si Principi iuxta Scripturam non maledixero, quàm si conuitia in illa Ecclesiæ capita congeram, quæ per iugulum meum aliquando reditura sint. Coruinus. Proh sententiarum inæqualitatem. Paulò antè Christiani Pontificis causam egisti, qui tibi nunc Metamorphosi quadam, prophanus Magistratus factus est. Quid erit, si hoc non est extra oleas ferri? Neque enim nos legitimo Magistratui maledicimus, cùm pseudoprophetam ac peruersa docentem suis pingimus coloribus, sed opus boni pastoris potiùs facimus, quem Lupos à caulis gregum æquè arcere decet, atque de pabulo ouium sollicitum esse, veluti quoque Paulus dicit, Episcopus potens sit in sermone, vt possit contradicentes conuincere. An non contradicit, qui Christianæ doctrinæ loco, sua somnia, adeoq; Decretalium tradit spurcitiem? Quiq̃ue prophanis Magistratibus ac Cæsari, vt salutiferæ Christi doctrinæ vim admoliantur, autor est? Iulianus. Quantum audio, vix Pontificem pro Pontifice habituri estis Lutherani, nisi futura Synodus hoc dissidium redegerit in concordiam. Coruinus. Interim Romæ regnet Canonicæ politiæ iure, id quod nos

catenus non reprehendemus, quatenus verbi cursum nobis permiserit liberum. Iulianus. Vt autem illud in Erasmo placet, quòd Principes vult esse Principes, diuinæ iustitiæ ministros, tanquam Deo reddituros rationem? Coruinus. Bellè, Hoc enim vt ad concordiam multum facit, ita à nobis nunquam improbabitur: Et videre doctissimum virum credo, quàm multa faciant à foro suo aliena Principes, dum neglecta externa rerum gubernatione, luxui, aleæ, scortis, venationibus dant operam, de rebus bene administrandis minùs laborantes, quàm de ranis palustribus, iuxta prouerbium. Dictu autem mirum, quàm erigant cristas interim, si concioneris, Magistratum habere Deum autorem, adeoque Deorum nomine, interdum in Scripturis designari: Sin verò officij admoneantur, etiam summa cum modestia, iam adeò ferre ea in re concionatorum libertatem non possunt, vt etiam animaduertendi in eos ius vsurpare sibi audeant. Noui quēdam è Germaniæ Principibus, neq; indoctum, neq; ignobilē, sed de Papatu, ne corruat, adeo sollicitum, vt præ nimio zelo in omne libidinum genus prolapsus, legitimam etiam vxorem thoro pepulerit. Cui tu an non monitore opus esse putas, à quo commonefiat, longè aliter politicam iustitiam, ad quam maritalis quoque erga coniugem fides pertinet, administrari, atque ratione tam fœda? Et tamen eundem Principem magno supercilio de Christianæ religionis dogmatis Augustæ sententiam tulisse multi audierunt: Quasi verò eadem facilitate & de fidei articulis pronuncietur & alienus thorus maculetur. Discere priùs debebat rectam viuendi rationem, quàm de Lutheranis ferret sententiam. Iulia. At huiusmodi monitiones tempestiuas ac subblādas esse oportet, ne, dum vulnusculū curare studemus, grauiori protinus morbo occasionem præbeamus. Coruin. Rectè, si vulnus quoque leuiusculum sit: Sin verò grauior plaga sit, quàm vt vulgaribus ac mitibus medicamentis sanari possit, qualis fuit illa in Tyberio, qui Antoniæ auiæ pro sua autoritate, vt secus quædam ageret, monenti, Memento, respondit, omnia mihi in omnes licere, iam tum Ioānis exemplo, qui de vita periclitari, quā ad Herodis adulterium conniuere maluit, seuerius aliquantò arguendos cēseo. Iulian. Quicquid huius feceris, tuo tibi periculo faciendum erit. Mea mihi potiùs allubescit ratio: Quemadmodum illud quoque magis probare libet, quòd monachos vult esse

monachos Eraſmus, adeoque ſacerdotes dies ac noctes verſari in lege Domini, quò poſſint ſal eſſe populi, quàm ſi vterque ordo labefactetur. Coruinus. Quid vocat monachum eſſe? Iulianus. Morum perfectionem, quam titulo profitentur, præſtare. Coruinus. Hanc ego Eraſmi rationem probare non poſſum: Quæ poteſt enim in hoc vitæ genere eſſe perfectio? Iulianus. Qui ſua ſponte alterius ſe ſubijciunt arbitrio, aliena, quoad viuunt, victuri quadra, qui contemtis huius mundi vel diuitijs vel illecebris, voluntariam adſciſcunt paupertatem, qui deuicto affectu rei vxoriæ cœlibes viuunt, an non quandam moribus perfectionem præſtant? Taceo ieiunia, preces, eleemoſynas, ac alia huius inſtituti exercitia, longè à vulgi moribus diſſidentia. Atque hæc quidem, vt in improbis parui momenti eſſe fateor, ita in optimis quibuſq; non poſſum non laudare. Coruinus. Parum hæc ad rem faciunt: Illud enim, (Alterius ſe arbitrio ſubijcere) nihil aliud eſt, ac parentibus, magiſtratui, parochis obedientiam ſuffurari, inq; illegitimum propoſitum transferre: Quæ res quod habet in ſcripturis teſtimonium? Et ſpontanea illa paupertas, an non omnium rerum ſecum trahit copiam? Quotuſquiſq; inter monachos ſitit, eſurit, alget? An non opulentia ſatrapas vincunt? Huc adde, quòd Scriptura paſſim non illam corporis, ſed ſpiritus paupertatem commendat ac prædicat. Certè vt Chriſti cohæres efficiare, non ſordes, ſed fides in gratuitam Domini miſericordiam impetrat: Rurſus, in gehennam non purpura demittit, ſed infidelitas. Quid dicam de iſtorum cœlibatu, cùm etiam extra monaſteria cœlibes viuere, quibus continendi donum contigit, permittantur? Aut omnes monachi virginitatem, quam vouerunt, præſtant? Non tam cœci ſumus Lutherani, vt, quid huius in monaſterijs fiat, ignoremus. Cucullus concupiſcentiam nihilo magis tollit, quàm ſexum in Semiramide ſuſtulit virilis habit⁹. Quid habent igitur perfectum monachi? An non perfectionis vocabulum, adeoque omnia pietatis exercitia, omnibus Chriſtianis cõmunia ſunt? Quanquam huiuſmodi perfectio hîc cœpta, non niſi in futuro ſeculo conſummetur. Iulia. Non tam plenus rimarum eſt Terentianus ille Parmeno, quàm tu verborum. Tot iam ſeculis, tanto patrum conſenſu comprobatum vitæ genus, quorſum attinet, in vniuerſum damnare? Tollantur abuſus, qui paulatim irrepſerunt, & iuxta Apoſtoli cõſilium, quod bonũ eſt, teneatur.

Corui-

Corui. Atqui nos non de abusu solùm, sed de rei substantia quoque disputamus, disquirentes, num hæc tam varia vitæ genera vel exemplum Scripturæ vel testimonium habeant: Quod ipsum cũ ostendere hactenus potuerit nemo, liberè pronunciamus, Monasticen Sathanam autorem habere, ferriq́ue non posse. Quid? Hypocrisin, quam Quintilianus in Philosophis plerisque damnat, Ethnicus in Ethnicis, quòd sub hoc nomine maxima vitia interdum lateant, nos Christiani, à falsis Prophetis attendere iussi, feremus? Iulianus. Consultius erat hanc sententiam ad futurum Concilium patribus reseruare, adeoq́; miseros Monachos in suis nidis sinere ad id tempus vsq; conquiescere. Coru. Monasterijs manum admoliri non est nostrum: Adeoq́ue quod ad vim attinet, nihil monachis erit à nobis periculi: Interim tamen committere non debemus, vt, quod à Scripturis alienum vel docent vel faciunt, intempestiuo silentio comprobemus. Iulian. At æquiores sacerdotibus eritis, quos vult dies noctesq́; meditari in lege Domini, quò possint sal esse populi. Cor. Quid ni? dent, qui Ecclesiç capita haberi volunt, huiusmodi pastores errabũdis Christi ouibus, & breui coalescet diu ac multorum votis exoptata cõcordia. Certè enim indoctum illud Sacrificulorũ genus hisce tumultibus occasionem dedit: Qui si id, quod audiunt, esse laborassent, quis nisi demens illis restisset? quis recta docentibus sese opponere ausus fuisset? Neq; enim ignoramus, eos q bene præsunt, duplici honore dignos esse. Magnus est vbique Sacerdotum numerus, Missas ac omnia sacra prostituentium, qui si à missando, (libet enim hoc verbo vti) vel nunc tandem ad rectè docendum conuerterent animos, nihil esset hoc seculo, tot eruditis fœcundo viris, felicius: Certè enim præcipuum hoc est Sacerdotis officium, vt doceat. Loquor autem de verbi ministerio, quod ipsum si Sacerdotibus, vel, vt rectiùs dicam, Presbyteris detrahatur, quiduis citiùs quàm Sacerdotes erunt. Qua de re sic Malachias inquit, Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem ex ore eius requirent, quia angelus Domini exercituum est. Et Christus emissurus Apostolos suos in vniuersum orbem, Docete, inquit, omnes Gentes, hoc ipso indicans, docere, præcipuum Sacerdotis officium esse. Iulianus. Spero quenque pro se daturum operam, vt, cùm hactenus ob neglectam docendi prouinciam, iuxta eundem Prophetam, despicabiles fuerint, nunc rursus in

pretio habeantur. Sed hîc penitus, inquit Eraſmus, infixum illud omnibus eſſe oportet, nec tutum eſſe, nec ad fouendam Eccleſię concordiam vtile, temere deſciſcere ab ijs, quæ maiorum autoritate tradita ſunt, quæque longo ſeculorum vſu, conſenſuq; cõfirmata: Nec quicquam omnino nouãdum eſt, niſi huc aut cogat neceſſitas, aut inſignis inuitet vtilitas. Coruinus. Temere apud nos nihil nouatum eſt: Agam enim iam nunc non vulgi, non ſeditioſorum quorundam, ſed eorum, qui ob doctrinæ veritatem Luthero adhæreſcunt, cauſam: Qui ſi quid nouarunt, id magna neceſſitate coacti nouarunt. Quòd ſi acciſis Eccleſiæ rebus, afflictiſque adeo conſcientijs in tempore conſuluiſſent Epiſcopi, neceſſitatem Lutheranis pleraque nouandi nõ impoſuiſſent. Iam cùm in vtramuis aurem ocioſi dormiant iſti, mirum nemini videri debet, quòd ipſi nobis conſulimus. Nouatum eſt apud nos dogma de indulgentijs, de humanis ſatisfactionibus, deque alijs nugis Romanenſium. Sed huc an non & vtilitas inuitauit & neceſſitas? Niſi fortaſſis inutile, minimeque neceſſarium iudicas, noſſe, vnde remiſſio peccatorum, vnde iuſtificatio, vnde vita æterna petenda ſint. Nouatum eſt & dogma de vna Sacramẽti ſpecie, non temere, ſed planè neceſſariò. Cùm enim Pater ille cœleſtis, filium ſuum nobis audiendum propoſuerit, iſq; vtranque ſpeciem ſumendam inſtituerit, an non ingens piaculum ſit, quod is præceperit, omittere? Idem nobis permiſimus in monachorum votis abrogandis, in delectu ciborum tollendo, breuiter in omnib. dogmatis, quæ vel laqueos conſcientijs noſtris inijciebant, vel palàm cum Scriptura pugnabant: Non profecto hoc agentes, vt cornicum oculos, iuxta paroemiam, configeremus, ſed vt piorum conſcientias è miſeranda & plus quàm Iudaica ſeruitute eriperemus. Quæ res adeò neceſſaria fuit, vt, niſi in tempore verbi ſui imbre Chriſtus nos perfudiſſet, multi de ſalute periclitaturi fuerint. Iulianus. Nec ego inficior, nec Eraſmus diſſimulat, eſſe permulta in Eccleſiam inuecta, vel ſacrificiorum imperitia, vel negligentia, quæ corrigi oporteat: Sed expectandam hîc Eccleſiæ primorum autoritatem, citra quam nihil nouari oporteat, rectè iudicat. Coruin. Iam ergo in mentem tibi veniat eius, quod paulò antè dixi, minore Eraſmum cõſtantia, quàm par ſit, in Euangelico verſari negocio: Aliâs in Eccleſia, niſi Epiſcoporum autoritate, nihil vult nouari, aliâs aliter loquitur. Audi enim

enim, quid ea dere in Epistolam ad Galatas commentetur: Absit, inquit, vt vllius hominis autoritas vos ab Euangelij sinceritate dimoueat, Et adeo vos non commoueant Petri aut Iacobi Ioannisque quantumuis magna vocabula, quibus abutuntur quidam ad illaqueandos vos Legis oneribus, vt, etiamsi quis Angelus è cœlo prædicarit vobis Euangelium diuersum ab eo, quod à nobis prædicatum est, non solùm nõ audiatur, verùm etiam execrabilis & abominandus habeatur vobis. Ibidem, Nullius hominis, imò ne angeli quidem autoritas apud nos valere debet, quoties de rectitudine fidei agitur. Ibidem, Non existimabam hominis autoritate comprobandũ, quod ipsius Christi iussu delegatũ esset. Iulia. Apostolum certò nouit & à Deo missum esse, &, quod docebat, diuinitus per reuelationem Iesu Christi accepisse. Rectè igitur atque ordine facit, quòd è solo Christo ipsum, cuius iussu ad Gentes ablegabatur, non ex autoritate aliorum Apostolorum pendere ait, idem fortassis & de Luthero dicturus, si certum sit, & à Deo missum, & omnia quæ docet, Scripturis consentanea esse. Coruinus. Scrutetur ergo Scripturas, adque Scripturæ regulam, doctrinam nostram exigat. Quòd si tum docuisse Lutherum aliquid à Scripturis diuersum conuicerit, meritò hîc pollicem, vt dicitur, premimus: Sin verò recta docere hominem pietati addictissimum vel res ipsa clamarit, demiror, quid causæ sit, cur ad humanam autoritatem remittere nos malit, quàm Christi autoritate contentos esse, præsertim cùm eorum, ad quos remittimur, tyrannide, Euangelica veritas non solùm non promoueatur, verùm etiam pessundetur, vel ipso Erasmo teste, ad hunc modum de ipsis conquerente, Quid facturus esset Iesus, si conspiciat suam sponsam Ecclesiam, quam suo sanguine lauit, vt exhiberet sibi puram, expertem omnis maculæ & rugæ, per Episcopos Ecclesiæ præfectos, omni turpitudinis genere profanari, violari, conspurcari? qui nõ solùm pecudes & columbas, sed omnia sacra habent venalia, quæ pretio nec dari, nec emi possunt. Iulia. Iterum, quod mihi in improbos dictum est, id in bonos quoque detorques. Fateor esse multos in hoc ordine, malos, sed ij habẽt suum iudicium: At qui boni sunt, de ijs ego non dubito, si sacrosancta Synodus coierit, quin copiosè de Lutherana doctrina & disputaturi & pronunciaturi sint. Coru. O bellos disputatores, Scilicet tum asini isti portabunt mysteria, quod aiunt. Sed quid

interim tradetur Ecclesijs, præsertim si Articuli isti, de quibus controuertitur, incidant? Iulia. Mira nobis dexteritate & hîc cõsulitur, Ac primùm quidem de libero arbitrio sic inquit, Si quid de hoc quærendum est, in Theologicis diatribis sobriè discutiatur. Interim inter nos illud conuenire satis est, Hominem ex suis viribus nihil posse, & si quid vlla in re potest, totum eius deberi gratiæ, cuius munere sumus quicquid sumus, vt in omnib. agnoscamus imbecillitatem nostram, & glorificemus Domini misericordiam. Coru. Ita me Deus amet, vt hæc cordatissimè dicuntur. Quòd si ante sexennium hisce de rebus ad eum modum scripsisset, nunquam inter ipsum ac Lutherum tantum esset conflatum incendium, Certè enim opus est, ad amplificandam Domini misericordiam, vt vires nostræ extenuentur, quæ vt maximè externam & politicam iustitiam per se præstent, tamen in iustificationis causa, ne tantillum quidem possunt. Spiritu hic opus est, totum hominem innouante. Neque est cur timeamus, si palàm hęc è suggestu doceantur, ne ad nequitias ac malè agendum fenestra vulgo aperiatur: Illa enim imbecillitatis nostræ, ac naturæ tot modis vitiatæ exaggeratio non deteriores facit, sed nos in nostri agnitionem perducit, ita vt non solùm de viribus nostris desperemus, sed vt eò quoq; vbi paratum ac præsens auxilium sit, properemus, nimirum ad Christum. Atque ibi tum cum fructu pauperibus huiusmodi annunciatur lætum illud Euangelij nunciũ, inque Christum fiducia perdiscitur. Sed heus tu, Occurrit eadem de re non dissimilis locus, mihi quoque apud Erasmum obseruatus, quem tantò maiore fide reddam, quantò ad recitatam abs te sententiam accedit propiùs. Habet autem sic: Deus exigit ardua & humanis maiora viribus, sed idem addit opem, vt possis quod iuberis: Ita fit vt, quod homo non possit ex sese, id possit auxiliante Deo, qui nihil non potest. Puto hîc alludsum ad illud Augustini, Da quod iubes, & iube quod vis. Iulia. Erasmum ergò hîc laudas ac recipis? Coru. Imò iampridem à nobis impetrauit, vt de libero arbitrio nunquam aliter vel sensuri vel locuturi simus, Atq; vtinam talis consensus in cæteris quoque sit dogmatibus, de quib' controuersia est, præsertim de fide ac bonis operibus. Iulianus. Rectè mones: probè enim hîc teneo Erasmi sententiam, Conueniat, inquit, inter nos, fidei plurimum esse tribuendum, modò fateamur, & hoc peculiare donum esse Spiritus sancti, idq; multò

patêre

patêre latiùs, quàm vulgus hominum credit, nec omnibus adesse qui dicunt, credo Christum pro me passum esse. Concedamus fide iustificari, hoc est, purificari corda credentium, modò fateamur ad consequendam salutem necessaria esse & charitatis opera: Neque enim fides potest esse ociosa, cùm sit fons & seminarium omnium bonorum operum. Coruinus. Multa hîc præclarè dicuntur: Veræ enim fidei plurimum tribuendum est, vel totius noui Instrumenti testimonio: Atque hanc ipsam fidem peculiare donum esse Spiritus sancti, omnino latiùs, ac vulgus credit, patens, tantum abest, vt non fateamur, vt etiam anxiè admodum è suggestu hoc ipsum inculcemus. Imò quid rectius doceri potest, ac fidem purificare corda credentium? Tollatur hæc è Scripturis in Christum fides ac fiducia, & reliqua parui momenti fore, facilè apparebit. Cuius fidei ea demum est efficacia, vt, nisi bonis operibus, adeoq; pietatis exercitijs fœcunda sit, nihil minùs quàm fides dici mereatur. Et quidem rectè hactenus de fide dictum est: Quod verò exigit, vt vicissim fateamur nos, ad consequendam salutem necessaria esse & charitatis opera, id quale sit, non video, quia non sibi hîc constat Erasmus. Iulianus. Quî fit hoc? Coruinus. Iamdudum fide purificari corda confessus est: At verò corda purificari, est à peccatis liberari, iustum coram Deo pronunciari, vita æterna donari: Requirere igitur ad eam rem charitatis quoque opera, quorsum tandem attinet? Iulianus. Charitatis opera sic requirit, vt tamen primas fidei tribuat: Quod ipsum an rectè culpes, tu videris. Aut fidei iusticia sine operibus vlla esse potest? Aut non exigunt sacræ literæ & operum iusticiam? Coruinus. Exigunt, sed tamen operibus nec iusticiam acceptam referunt (iusticiam inquam qua coram Deo iusti reputamur) nec vitam æternam. Quin nos docendi gratia discernere hîc inter opus ac personam solemus: Nullum opus tam est in speciem bonum, quod placere, nisi persona priùs accepta sit, Deo possit. Vt igitur persona iusta pronuncietur coram Deo, vt placeat, vt accepta sit, misericordia in Christo nobis exhibita efficit, quam ipsam misericordiam ni apprehendat fides, nihil est, quod de charitatis operibus vel iactemus vel præsumamus: Non quòd bonos fructus in bona arbore damnemus, sed quòd fidei iusticiam incertam reddere nolimus. Incerta autem redderetur, si vel vlla ex parte penderet è dignitate nostrorum operum. Quod enim opus

opponi poterit iræ ac iudicio Dei? Iam vbi persona per misericordiam in Christo nobis donatam, diuinæ iusticiæ facta est particeps, adeoq; per fidem insita Christo, ibi fieri non potest, quin vltro ac sponte legem impleat, bonis operibus studeat, pietatisq; adeò exercitijs commendabilem sese faciat. Breuiter, In iustificationis causa, sola misericordia, quam fide apprehendi oportet, regnat: Neq; vllum opus aliud, præterquam Christi meritum, admitti debet. Quod verò ad declarandam fidem attinet, operum iusticia modis omnibus præstanda est. Iulianus. Si opera igitur in iustificationis negocio, vsq; adeo admittenda non sunt, iam mercedis quoq; vocabulum è suggestu profligari oportebit, cuius tamen & patres Orthodoxi & sacræ literæ passim, imò frequentissimè mentionem faciunt. Vnde apud Apostolum dicitur, Vnusquisq; propriam mercedem accipiet secundum laborem suum: Et in Euangelio, Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. Coruinus. Mercedis vocabulum nec explosum est ex Ecclesijs nostris, nec explodetur vnquã. Qua de re ad hunc modum docemus, in persona gratis per Christum iustificata, virtutes & opera verè esse meritoria, mereri autem non remissionẽ peccatorum, non iusticiam spiritus, non vitam æternam, vt quæ fidei debeantur, sed alia præmia, cum corporalia, tum spiritualia. Iulianus. Quantum audio, non procul abestis, Lutherani, quod ad fidei præconium attinet, ab Erasmi sententia. Vtrinq; docetur, fidem iustificare, fidem esse donum Dei, fidem patêre quam latissimè, fidem non ociosam, sed fontem & seminarium esse omnium bonorum operum. Quin & de mercedis vocabulo propemodum consensus est: Solùm de operibus variant sententiæ. Coruinus. Variant, sed non adeo, vt sarciri concordia hîc non possit: Vtrinque enim fatemur, externam operum iusticiam præstari oportere, adeoq; eam fidem, quæ charitatis operibus ac pietatis exercitijs non commendetur, nihil minùs ac fidẽ esse. At verò operibus locum in iustificationis causa tribuere, vt planè cum Scriptura pugnat, ita à Lutheranorum peruicacia alienissimum est. Quin Erasmus quoq; alicubi idem fatetur his verbis, Nullum est opus hominis ita bonum, vt mereatur præmium vitæ æternæ. Quibus verbis si satius stare duxerit, quàm ab seipso dissentire, nihil, quod concordiam in hoc articulo remorari possit, fiet reliquum. Iulianus. Non ab seipso (crede mihi) dissentiet:

Interim

Interim tamẽ, quid huius populi auribus ingerere conueniat, cõsiderari oportet. Quẽ non faciant enim ad bene operandũ segnẽ ac desidẽ, tot ac tanta fidei pręconia, quibus citra omnem nostrã operã, Christo fidentibus æterna beatitudo promittitur? Qua de re ad hunc modum Erasmus loquitur, Nõ ingerantur auribus imperitæ multitudinis illa paradoxa, nihil refert, qualia sint opera nostra, tãtùm habeto fidem & seruaberis. Item, Homo, quicquid agit, nihil aliud, quàm peccat. Item, Christus pro peccatis nostris dependit. Coruin. Non vult prædicari huiusmodi paradoxa Erasmus tuus? Iulia. Vult, sed ea moderatione, vt ne hinc in deterius labendi arripiat ansam populus: Qui quantò est ad peccandũ propensior, tantò sæuioribus concionibus à flagitijs deterreri debet. Corui. Commentũ hoc recipio, si de obstinatè malis, deq; iusticia rijs, qui verbo Dei non afficiuntur, loqueris. Huiusmodi enim canibus sanctũ non esse obijciendũ, nec huiusmodi porcis margaritas obtrudendas, & scio & memini. Quid? Hoc hominum genus, quoniã conciones sacras ridet & cõtemnit, suo morbo relinquẽdum est. Interim æquum putas, afflictas ac pauidas conscientias, quas vt non ita passim, ita tamen reperire est in multitudine, hoc tam læto fraudare nuncio, vnde aduersus peccatum petant remediũ? Aut Christus vsquam, quia omnia quæ docebat, aliorsum ac dicta erant, multi rapiebant, paradoxa huiusmodi obticere iussit Apostolos? Quæ dixi, inquit, in tenebris, prædicate super tecta, & Lucæ vltimo, pœnitentiam ac remissionem peccatorum in suo nomine annunciari iubet omnibus gentibus, Vbi audis, opinor, Christum verbi sui cursum, si fructus speretur, nullis cancellis coërceri, sed liberum esse velle. Et apud Ioannem legitur, quosdam Christi verbis offensos abijsse retro, neq; pòst secutos ipsum esse. Ideóne Christus ab officio docendi supersedere cœpit? Sciebat nimirum, pios huiusmodi paradoxis non offendi, sed vberem potiùs hinc vtilitatem capere: Quòd si impij & excæcati huius seculi filij offendantur, id obstare non debere, quò minùs magnum illud gaudium, quod toti populo futurum angeli prædixerunt, omnibus annuncietur. Huc pertinet, quod de Pharisæis Christus, ob id genus paradoxa offensis, dixit, Sinite illos, cæci sunt cæcorum duces. Iulianus. Vt vera sint hæc, habent tamen periculi aliquid hę particulę, Nihil refert, qualia sint opera nostra, item, Homo, quicquid agit, peccat, præsertim vulgo inculcatæ. Corui.

At

At nos in huiusmodi paradoxis tradendis, ea prudentia vtimur, vt de ijs verba ad populum facientes, ne Erasmum quidem iudicem recusaturi simus. Sic enim docemus, bona opera iure diuino exigi, rursus, operum confidentia nihil esse pernicios ius, ad hæc, nullum opus tam esse in speciem bonum, cui vel iustificatio, vel vita æterna possit referri accepta, solam enim fidem hîc misericordiam Dei in Christo apprehendentem, regnare, adeoque tenere primas: Docemus præterea, hominem, quatenus caro sit, nunquam non peccare, iuxta illud, Qui carnales sunt, quæ carnis sunt, affectant: Cuius peccati vis tanta sit ac talis, vt etiam spiritu renouatis multum facessat negotij, id quod nihil obscuris verbis Paulus quoque indicat Romanis scribens, Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quę est in membris meis. Rursus, Vbi cor per spiritum ac ignem renouatum sit, ibi, quia persona accepta sit, opera quoque placere Deo. Non dissimili moderatione & illud paradoxon (Christus pro peccatis nostris dependit) vulgo inculcamus, apud iusticiarios & impios, quia veteribus vtribus Euangelicæ gratiæ mustum non rectè committitur, tacemus, sin verò adsit multitudo, quæ nunquam tam est mala, quin habeat vel paucos qui Euangelicæ gratiæ capaces sint, iam vt pœnitentiam, hoc est mortificationem & fastidium nostri, liberè docemus, ita Christum quoque solum pro peccatis nostris dependisse rectè tradimus: Hoc enim dogma, si ex Euangelicis tollatur literis, perinde erit, ac si mundus sole priuetur. Proinde, vt planè hæc Erasmica ratio friget, ita admitti, nisi cum insigni contemtu verborum Christi, non potest, vtcunque tandem hac de re Synodus statuat. Iulianus. Ergo hîc Erasmus iuxta prouerbium, panes in frigidum furnum immittit. Coruinus. Non omnino frigidum. Quanquam enim verè magnus, vereque admirabilis ob eruditionem apud nos sit Erasmus, tamen tantus non est, vt in gratiam ipsius manifestam veritatem abnegare vel possimus vel debeamus. Non sumus Pythagorici, vt illud αὐτὸς ἔφα, nisi sacrarum literarum autoritas huc accedat, pro rato habituri simus. Præscribantur ea nobis, quæ consentanea sint sacris literis, & dicto audientes erimus. Iulianus. Etiam hæc non sunt scripturis consentanea? Pij cuiusdam affectus est, credere, preces ac bona opera viuentiũ prodesse defunctis, præsertim si hæc illi, dum viuerent, facienda curarunt.

curarunt. Tantùm admoneantur, qui funebres pompas ac Miſſas gloriæ cauſa inſtituunt, perdere mercedem ſuam, ac certius eſſe lucrum, ſi, quod morientes legant, viui ac ſani in pios vſus erogent: At quibus hoc nondum perſuaſum eſt, ne obſtrepant aliorum ſimplicitati, ſed ipſi tantò benigniùs ſubleuent pauperũ inopiam, tantoque feruentiùs incumbant bonis operibus, quò minùs credunt defunctos viuorum benefactis iuuari. Coruinus. Rectè Eraſmus facit, quòd noſtrum hac de re dogma non reijcit nec improbat: Hinc enim apparet, videre hominem doctiſſimum aduerſariorum noſtrorum doctrinam de vigilijs, de miſſis, deque anniuerſarijs, vt vocant, è Scripturis probari non poſſe, niſi fortè iſtas nobis è Machabæorum libris drachmas obiecerint, quas potiſſimum Romanenſes hîc venerari, clarius eſt, quàm vt negari poſſit: Et quid tandem huiuſmodi parentalia ac pompæ mortuis prodeſſe poſſunt, cùm poſt mortem pios ſtatim irrumpere in vitam, impios contrà iræ ac iudicio ſtatim obnoxios eſſe, Scriptura palàm vociferetur? Sic enim apud Ioannem Chriſtus inquit: Qui credit in me, non iudicabitur, qui verò non credit, iam iudicatus eſt. E quibus verbis colligi rectè poteſt, eos qui hinc decedunt, vel fide præditos, vel diffidentia laborantes, decedere: Si fide præditus eſt qui animam agit, iam dubium non eſt, quin immortali vita donatus nulli pœnę obnoxius eſſe poſſit, veluti Chriſtus ad latronem ait: Hodie mecum eris in Paradiſo: Si verò diffidentia laborat, iam quoque habet iudicium ſuum, non aliter atque epulo ille Euangelicus, qui protinus poſt obitum in infernum delatus audit, inter nos & vos hiatus ingens firmatus eſt, vt ij, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſcendere. Sic noſtra eſt ratio: etiamſi non me clam ſit, Eraſmum alicubi neſcio quod purgatorium de nouo ſomniare, in quod animæ defunctorum ob leuiuſcula peccata perpurgandæ immigrent: Quod tamen commentum tantò periculoſius eſt, quantò incertius habet in Scripturis teſtimonium. Quin & illud haud placet, quòd pij affectus eſſe putat, credere, preces ac bona opera viuentium mortuis prodeſſe. Scilicet mors Chriſti ad expianda omnia peccata noſtra non ſufficeret, niſi operibus noſtris iuuaretur: Quid dici poterat ineptius? Gratuito fidentibus peccata condonantur, neque Deus, natura clementiſſimus, ad eam rem operibus noſtris, etiamſi hæc ipſa exigat, perinde atque fructus

ctus bonæ arboris, opus habet. Adhæc, nihil pium vel esse vel dici potest, quod non è verbi testimonio pendeat. Poterat & illud videri pium, quòd dives ille Euangelicus ita demum fratres suos in melius vitam mutaturos, deq; salute sollicitos putabat futuros, si quis ad illos è mortuorum numero ablegaretur. Sed audit, Habent Moysen & Prophetas. Et Scriptura nihil obscuris verbis dicit, Non facies, quod tibi rectum videtur: ablegans videlicet nos ad legem & testimonium. Iulianus. Si probè Erasmi sententiam assecutus es, nõ hoc agit, vt ad vigilias ac missas nos reuocet, quas ipse quoq;, si gloriæ causa instituantur, improbat, sed vt ne illis, qui aliter ac vos credunt, obstreperi sitis. Et quidem hîc Ecclesiæ autoritatem, tanto, tamq; diuturno doctorum consensu confirmatam, argumentis tuis opponere possem, ni scirem, huiusmodi digladiationes concordiæ, quam quærimus, obfuturas. Itaq; scias, nihil hîc Erasmum pronunciare, sed hoc potiùs agere, vt concordiæ studio vsq; ad futurum Concilium mutuò inter nos conquiescamus. Coruinus. Causam, quam semel defendendam suscepimus, deserere, nisi cum animarum nostrarum certo periculo, nõ possumus. Quanquam si quieuerint aduersarij, nos quoque non illibenter quiescemus, tantò interim diligentiùs Ecclesijs nostris sanam doctrinam tradituri, quantò plus otij hinc ad nos rediturum est. Sed nihíl ne verborum de Sanctorum inuocatione facit? Iulianus. Facit, Religiosi, inquiens, affectus est, credere sanctos ac sanctas, quos Deus adhuc mortali corpore grauatos tanti fecit, vt ad illorum preces Dæmones expulerit, mortuos ad vitam reuocarit, nunc quoq; apud Deum nonnihil posse: At quibus diuersa sedit opinio, pura mente syn ceraq; fide inuocent Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, ne obturbent odiosè ijs, qui citra superstitionem implorant Diuorum suffragia. Coruinus. Quòd sæpenumero ingentia per diuos miracula Deus ediderit, scio, quòd præterea magni illos fecerit, scio: Sed an hisce de causis inuocatio illorum admittenda sit, id verò nescio. Præterea, cur affectum, diuos ob edita miracula inuocantium, religiosum vocem, nullas omnino causas video. Neq; enim Scriptura ad nostros affectus exigenda est, sed nostri affectus ad Scripturam potiùs se accommodent, oportet: Alioqui è Scripturis Lesbiam regulam faciemus, iuxta paræmiam. Iuxta Euangelicam doctrinam, Vnus mediator est Dei & hominum, Homo Christus Iesus: A quo quisquis

quisquis mediationis honorem aufert, adq; creaturas transfert, cum ego nihilo minùs delinquere arbitror, quàm qui præcepta primæ tabulæ transgrediatur. Quod enim habet hæc inuocatio Scripturæ testimonium? Itaque libet rem certam hîc pro incerta amplecti, hoc est, inuocationem diuorum, ab humana solùm autoritate pendentem, relinquendam illis iudico, qui humana diuinis potiora habent. At verò Christi Mediationem tantò obstinatiùs defendendam puto, quantò certiores sumus, quòd gloriam suam alteri nunquam daturus sit. Iulianus. Nihil igitur honoris sancti à vobis auferent, quos vt in vita, ita nunc quoq; pro Christianæ Reipublicæ salute indesinenter orare credibile est? Coruinus. Bardi vsque adeo non sumus, vt honore indignos iudicemus: Quis enim sic insaniat? Imò cùm constet diuos omnes, in augendis talentis sibi concreditis summa fide semper vsos esse, inq; fidei confessione ad finem vsq; constantissimè perstitisse, quis, obsecro, in his Christum nō veneretur? Quam tamen laudem ita demum gratam illis futuram scimus, si & fidem & cæteras eorum virtutes diligenter imitemur. Quadere ita Paulus inquit, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Iulianus. Et Erasmus, Illud, inquit, citra noxam omnibus inculcari potest, diuos ac diuas optimè coli, imitādo vitam illorum. Sed interim & imagines fertis, opinor, idq; pacis studio. Coruinus. Ferimus, præsertim si absit cultus ac veneratio. Iulianus. Atqui Erasmus affectum religiosum, ac simplicem, imaginibus nonnihil tribuentem, ferendum putat. Coruinus. Fruatur ergò suo sensu: Nos, vt vi ad fidem cogimus neminem, ita nullum affectum nisi è verbo Dei pendentem probamus. Iulianus. Ergò & confessionem, quam plerique diuini iuris esse contendunt, fortasse non recipis: Quam Erasmus idcirco retinendam iudicat, quòd & salutaris sit, & multis vtilitatibus commendabilis, & tanto seculorum vsu comprobata? Coruinus. Si ad enumerationem peccatorum, eamq; anxiam non adigamur, sed liberum istud vnicuique relinquatur, iam propter clauium vsum & absolutionem nullo pacto reijciendam nos quoque iudicamus. Quain re tamen danda est opera, vt eius confessionis, qua coram Deo nos accusamus, ante omnia cura habeatur, Quòd prior illa, nisi hæc accedat, planè Hypocrisis quædam sit. Iulianus. Istud rectè. Sed quid de Missa fiet? Eam non abrogandam, sed si quid sordium in eam irrepsit, id corrigendum

gendum iudicat, Ceremonias ac preces ferè omnes probat, prosas omitti posse ait: Quin superstitionem priuatarum quoq; Missarum vel tolerandam, vel corrigendam putat. Coruinus. Priuatæ Missæ qua ratione vel tolerari, vel corrigi possint, non video: Neque enim vel à Christo, vel ab Apostolis institutæ sunt, sed ob quæstum, id quod res ipsa palàm arguit, susceptæ. Publicum verò sacrum, quod Christi & præceptum & exemplum habet, quis quęso reijciat? Imò hoc ipsum apud nos summa reuerentia habetur, ceremoniæ ac preces, quæ cum verbo Dei non pugnant, religiosè in eo seruantur, sed tamen semper, qui mensæ Domini participent, requiruntur. Iulianus. Sic fuisse olimà Christo institutum, & diu seruatum ipse quoque Erasmus fatetur, Verùm quò minùs id fiat, non per Sacerdotes, sed per Laicos stare, in quibus nimium charitas refrixerit, existimat. Coruinus. Mi Iuliane, non hoc per Laicos stat, sed per Sacerdotes, qui assiduis exhortationibus ad sacram hanc communionem prouocare populum debebant: Quod cùm fœdè hactenus omiserint, solum Paschatis tempus ei rei destinantes, factum est, vt vsum Cœnæ omnino prophanauerint, qui apud nos diligenter docetur, quamque necessariũ sit hoc Christi præceptum subinde exequi, ostenditur. Hinc fit, vt nunquam, qui communicent, desint. Iulianus. Atqui sacrificij vocabulum è Missis vestris explosum esse scio, quod tamen tolerari poterat. Coruinus. Est sacrificium propitiatorium: Est & laudis sacrificium ac gratiarũ actionis, Philippo nostro teste, quem vbique libenter sequimur. Sacrificium propiciatorium, quo pro culpa nostra satisfit ac pœna, Christus est, qui, vt semetipsum pro nobis in ara crucis obtulit, idq; Deo Patri, ita offerri ampliùs non potest, iuxta illud, Semel oblatus est, quia ipse voluit. Item illud, Vnica oblatione consummauit in æternum electos. Cuius nos sacrificij quoties recordationem peragimus, toties pro tam ineffabili beneficio, gratias Deo per Christum agimus, laudantes ac glorificantes Deum, quòd à peccato, morte, Sathana, inferno liberatos, in regnum Filij sui transtulerit. Atque hoc laudis sacrificium non illibenter in Cœnam admittimus, illam prioris sacrificij iterationem impijs sacrificulis relinquentes. Iulianus. Supersunt dies festi: de quibus ad hunc modum inquit. Facilè Episcopi festa patientur esse pauciora, modò ea, quæ supersunt, maiori religione celebrentur. Supereſt & ciborum delectus, quain

re

re vescentem non vult insultare abstinenti, & contrà. Coruinus. In huiusmodi rebus medijs facilè sarcietur concordia, si in iustificationis causa conciliatio inueniri possit: Poterit autem, si negocium hoc totum ad sacras literas, perinde atque Lydium lapidem, exigatur, neq; quicquam ab ijs diuersum admittatur. Atque hoc ipsum ni tandem fiat, frustra de Ecclesiæ pace laborabitur: Tam enim à Scripturæ autoritate diuelli non possumus, quàm est certum, omnia inibi contenta, esse quàm verissima. Iulianus. Neque hoc Episcopi, opinor, agunt, vt vos à Scriptura abducant, sed vt à falsa Scripturæ interpretatione abstineatis. Neq; enim rectè Scripturam intelligere iudicandus est, qui locum vnum atq; item alterum benè citare potuit: Alioqui & Zuinglianorum & Anabaptistarum errores, pro sanis dogmatis reciperenos cogetis. Coruinus. Scripturam falsò nusquam interpretati sumus, præsertim cùm ad Christum ac proximi dilectionem nusquam non spectauerimus. Quem scopum quisquis tandem præfixum in docendo habet, eum ego errare posse vix persuaderi possum. Quod ad sectarios attinet, iampridem Zuinglianos in Cœnæ negocio cæcutire, aq; Scripturæ analogia aberrare, probatum est, & Anabaptistæ, qui potissimùm è Zuingliana secta, perinde atque è Troiano equo prodeunt, erroris iampridem conuicti sunt. Ad quem modum si nos quoq; conuicti fuerimus, vltrò aduersarijs cedemus. Sed hoc ipsum quando fiet? Nimirum ad Kalendas græcas. Iulianus. Si coierit Synodus, erunt indubiè, qui de dogmatis vestris & iudicabunt & pronunciabunt rectè. Ego interim Erasmi mei consilium secutus, & à sectis omnibus abstinebo, & Ecclesiæ per omnia parebo. Coruinus. Ego verò, vt me Catholicæ Ecclesiæ, non Papalis, membrum agnosco, ita solùm vnicum illum Ecclesiæ sponsum Christum auditurus sum, iuxta illud, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, Hunc audite. Proinde vale. Iulianus. Et tu vale, pacis vbiq; memor. Coruinus.

Fiet.

CATALOGVS ERRORVM ET ABVSVVM PRAECIPVORVM IN ECCLESIIS PONTIFICIIS,

Cuius suprà fol. 1. in margine, & postea Consilio de Abusibus Ecclesiarum emendandis, mentio fit.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

MAnifesti abusus sunt, imaginari, sanctos esse opitulatores, qui ipsi tollant morbos, aut depellant pericula, aut prælientur, sicut fingunt de Georgio, aut similibus, cùm solius sint Dei opera, Patris, Filij, & Spiritus sancti, vbiq; adesse & exaudire, dare vitam ac salutem, vt Christus inquit, Pater vsq; modò operatur, & ego operor. Et Iesa. 45. Nunquid non ego Dominus, & non est vltrà Deus præter me, Deus iustus & saluans non est præter me, conuertimini ad me &c. Et si quid agitur ministerio angelorum, Deo impellente agitur.

Ethnica insania est, singulis sanctis tribuere certa officia. Anna fingitur dare opes, velut Iuno: Antonium faciunt custodem porcorum &c.

Est & ethnica insania fingere, quòd ad vnam statuam magis exaudiat sanctus, quàm ad aliam. Ideo aliæ statuæ magis coluntur, quàm aliæ, vt statua Mariæ Lauretanæ aut Heluticæ. Et singuli meminerunt, se ad tales statuas inuocasse Mariam, velut præcipuam propiciatricem, & placabiliorem Christo. Vt autem ad pastores pertinet, docendo reprehendere hos vitiosissimos cultus, sic ad officium Magistratus pertinet, tales statuas reipsa tollere. Deuter. 12.

Creuerunt & peregrinationes ex hoc errore, quòd aliæ statuæ magis quàm aliæ colendæ putantur: Cùm Deus non sit alligandus ad vllam rem, ad quam se ipse suo verbo non alligauit, Iesaiæ 66. sed velit vbiq; inuocari, in spiritu & veritate, in nomine Christi.

Declarat etiam Diabolus manifestis signis se autorem esse peregrinationum multarum: vt multi norunt, ad sacella Viti, hominet

mines sanos alioquì, corripi furore Diabolico, & saltare per triduum aut quatriduum. Constat & in hac vrbe Ratisbona, multos accurrisse ad statuam subito furore percitos, & iacuisse aliquandiu ante simulacrum stupentes, atq; ita velut voto persoluto, ad se redijsse. Hæc similia sunt multorũ ethnicorum exemplorum, vt de Orgijs, de Corybantibus legitur.

Scimus alicubi persuasum fuisse mulieribus, prodesse ad fœcunditatem, si nudæ circumirent in sacello aram, & offerrent munus. Multa, quæ verecundè recitari non possunt, omittimus.

Quantum impostura rarum est & in ipsis imaginibus? Vidimus statuas Mariæ, quæ ita fabrefactæ erant, vt vultum auertere à precante, aut annuere possent.

Hæc non possunt singula commemorari, sed pastorum & Magistratuum diligentia tales abusus tolli oportuit, qui tamen propter quæstum retinentur.

Abusus est in iureiurando, addere sanctos, Ita me Deus adiuuet, & omnes sancti, vel, sicut legitur in Decretis: Ita me Deus adiuuet, & hæ reliquiæ sanctorum.

Postremò, si officium Mediatoris Christi illustraretur in docendo, faciliùs abusus illi caueri possent.

Feriæ sanctorum moderandæ sunt, & corrigendi abusus plurimi earum feriarum: populus piè conuenire debebat ad audiendam veram historiam, quæ hortaretur pios, vt agerent gratias Deo, qui Ecclesiam confirmat exemplis sanctorum, item, vt accenderentur ad imitationem. Nunc, aut nullas audit historias, aut fabulas audit, putat sanctum placandum esse his operibus, ieiunio, & ceremonijs festi dici. Non igitur conuenit ad discendum, sæpius verò conuenit ad conuiuia, ad ludos.

Prohibendę sunt etiam discursationes stationariorum, qui confirmant errores, & expilant plebem.

Prohibendæ etiam consecrationes similes magicis, vt herbarum, cultrorum & similes, quibus vana fiducia alitur, & mens à Deo auertitur.

DE POENITENTIA.

ABusus manifestus & vsitatissimus est, quòd propter consuetudinem multi petunt, & impetrant absolutionem, qui non habent propositum emendandorum morum, sed perseuerant in mani-

manifestis delictis, vt scortatores, adulteri, vsurarij, simoniaci & alij. Tales nõ sunt absoluẽdi, donec manifestè alijs scandalo sunt.

Abusus manifestus est, quòd in doctrina de pœnitentia hactenus fuit omissa doctrina de fide in Christum, qua accipimus remissionem peccatorum. Sed multi docuerunt propter contritionem remitti peccata.

Abusus manifestus est, quòd non docentur Ecclesiæ, ne scrupulosa enumeratione excrucientur mentes, sicut quidam modesti homines totos quatuor dies aut plures consumebant in recitatione delictorum, quorum tamẽ pleraq; erant violationes superstitiosarum traditionum humanarum, nec norant discrimen inter diuina præcepta, & superstitiosas traditiones.

Abusus manifestus est, contentio de proprio sacerdote. Pastores ipsi debebant suam plebem audire, aut, si qui mallent apud alios sua arcana deponere, iubere, vt testimonia adferrentur ab honestis viris, qui confessiones audiuissent.

Multi sunt abusus manifesti in reseruatione casuum. Seruit ea res ambitioni & auaritiæ pontificiæ, & pleræq; reseruationes pertinent ad casus, quibus humanæ traditiones violatæ sunt: grauiora delicta faciliùs remittuntur. Item, si qui ignorant, quid valeat hæc reseruatio, grauiter cruciantur, cùm putant se excludi à regno Dei. Sunt & in satisfactionibus varij & manifesti abusus. Imponuntur opera inutilia, peregrinationes, preces ad sanctos compositæ, in quibus multa absurdè dicuntur, vt, Maria mater gratiæ, tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe, &c. Vexantur etiam conscientiæ omissione satisfactionum, præsertim cùm indocti putent eas mereri remissionem culpæ.

Abusus manifestus est, dare indulgentias. Cùm enim olim indulgentiæ fuerint relaxationes pœnarum canonicarum, & tempora ipsa mutauerint pœnas canonicas, iam indulgentiæ sunt inane nomen.

Commentitium est, quòd docent in indulgentijs applicari merita sanctorum, cùm tamen hæc applicatio non pertineat ad claues. Item cùm dicatur, Iustus sua fide viuit, qua applicat sibi Christi merita, non est persuasio offundenda populo, quòd propter merita sanctorum saluentur. Blasphema vox est, quòd in absolutione addunt meritis Christi merita sanctorum, cùm dicunt, merita Christi & Mariæ & omnium sanctorum sint tibi ad remissionem peccatorum.

Abusus

Abusus manifestus est, quòd populus putat, minùs valere absolutionem sui pastoris, quàm indulgentias.

Abusus manifestus est, quòd dantur indulgentiæ pro mortuis, cùm scriptum sit, Quidquid ligaueris super terram.

Abusus manifesti sunt, quòd populus iubetur redimere relaxationes traditionum de cibis & alijs. Hæ impostura etiam quæstuosæ sunt: Et non solùm falsæ persuasiones nocent conscientiæ, sed etiam iniustè compilatur populus.

Abusus manifestus est, quòd obnoxij publicis criminibus, cùm recipiuntur, ab ijs qui præsunt, redimunt pecunia publicam castigationem, quæ ad exemplum pertinet.

Abusus manifestus est, quòd de bonis malè partis dantur facultates dispensandi, & faciendi compensationes quæstuosas auditoribus confessionum.

DE MISSA.

ABusus manifesti sunt, quòd multis datur Sacramentum, quos constat perseuerare in manifestis peccatis. Et sic ingens turba sacrificulorum assiduè celebrat Missas.

Abusus manifesti sunt, quòd discernunt applicationes Missæ, generalem, specialem, Et hanc volunt esse in arbitrio sacerdotis, vt applicet, vel multis vel paucis, viuis & mortuis, æqualiter vel inæqualiter, & affirmant Deum partiri fructus Missæ secundum determinationem sacrificuli: sic enim loquuntur. Et quidem fingunt Missam prodesse alijs ex opere operato.

Hæc est prorsus ethnica persuasio. Et cùm Paulus dicat puniri Ecclesiam propter indignè sumentes: non dubium est, hanc horribilem prophanationem, causam esse maximarum calamitatum publicarum. Recepta enim opinione, quòd fiat applicatio iuxta arbitrium sacrificuli, & opus sine pietate facientis prosit alijs, hîc sacrificuli securi cœperunt cumulare Missas, & vberiùs applicare ijs, qui plus numerabant. Inde Missæ in quæstum conuersæ sunt. Nec alia res in mundo quæstuosior est, quàm Missa.

Et recepta est persuasio, vt putetur esse remedium omnium malorum corporalium & spiritualium. Mercatores conducunt Missas, vt felix sit negociatio, viatores, vt iter sit faustum, ægroti, vt conualescant, &c.

Hæret fiducia operis sacrificuli. Interim, quo modo prosit conscientijs, quo modo sit exercenda fides & inuocatio in fide, silentium est.

Templa sunt occupata Missis, cùm interim negliguntur ministerium docendi Euangelij, & Catechesis, & examen iuuentutis ac rudium. Imò magis occupata sunt templa inferijs mortuorum, quàm ministerio, quod viuorum causa institutum est. Et in illis lectionibus nulla est animorum intentio, sed seruitur pompæ, more ethnico, vt olim celebrabantur ludi funebres.

Vt Persicos reges præcedebat equus gestans numen Persicum, sacrum ignem, ita Papam solet antecedere equus gerens Sacramentum, cùm Christus non instituerit suum munus ad hoc, vt seruiat ambitioni Pontificum.

In festo corporis Christi circumferuntur simul cum Sacramento, statuæ ethnico more, & prædicatur hic cultus tanquam singulare meritū, & confirmatur hæc persuasio per indulgentias.

ABVSVS POTESTATIS PONTIFICIAE, CONVERSAE IN REGIAM DOMINATIONEM.

I.

PApa transformat gubernationem Ecclesiasticam in imperium mundanum, affirmat se habere dominium super regna mundi, & vt ipsi loquuntur, vtrunq; gladium, Item, sicut Canon citatur, quòd habeat potestatem cœlestis & terreni imperij. Idq; eò est indignius, quòd affirmat à Christo hanc mundanam potestatem Petro traditam esse, & falsò detorquetur ad pontificiam potestatem hoc dictum, Data est mihi omnis potestas in cœlo & terra.

II.

Ex hoc errore constitutio Bonifacij octaui nata est, quæ cùm sit falsa, prorsus abolenda esset.

III.

Adeo absurda scribuntur de hac mundana potestate pontificis, vt glossa in Decretis dicat Christum vsum esse hac regia potestate, cùm fuit coronatus spinis.

IIII.

Papa

Papa affirmat se habere potestatem transferendæ Monarchiæ, quam tenet Imperator Romanus: Et quidem affirmat Papa, se hanc potestatem habere mandato Christi.

V.

Extat ficta donatio Constantini, in qua dicitur, Imperium occidentis donatum esse Syluestro.

VI.

Hęc figmenta peperunt bella, vt tempore Friderici secundi & Ludouici Bauari, & multipliciter nocent Ecclesiæ: Quia, dum Papa regit imperia mundi, negligit Ecclesias, & multa constituit ad augendam mundanam potentiam, contra salutem Ecclesiæ, & attemperat religionem ad suas vtilitates.

VII.

Etsi Reges & Respublicæ debent honesta stipendia dare Episcopis, qui rectè funguntur officio Ecclesiastico, tamen sit modus, & sint Episcopi contenti stipendijs suis, & faciant suũ officium. Papa autem nõ contentus est veteribus reditibus Ecclesiæ Romanę, nec oppidis donatis à Carolo, aut Ludouico primo: Sed omisso officio Episcopi dominatur regio more, auget ditionem bellis, seu iustis, seu iniustis, vi & fraude, occupat alienas vrbes, qualicunq; prætextu. Sic Romã ipsam & multas Italiæ vrbes inuasit, sic inani prætextu dominium sibi arrogat regni Neapolitani.

VIII.

Hæ opes sæpe magnos motus in Italia peperunt, dum ferè singuli pontifices vel augere ditionẽ conantur, vt Papa Iulius, vel filios, aut propinquos euehere, expulsis prioribus dominis, vt accidit sub Alexandro 6. & Clemente. Longum esset veteres historias recitare.

IX.

Item, quoties ad hanc regiam dominationẽ tuendam pontifices commiserũt inter se reges Europæ? Post mortem Friderici secundi, vocati sunt in regnũ Neapolitanum Galli. Cunradinus hæres regni captus, & decollatus est à pontifice. Quantum bellũ accendit Iulius Papa, vt Bononiam reciperet?

X.

Hæc tota regia dominatio pontificum pugnat cum dicto Christi, qui ait, Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.

XI.

Habent omnes aulæ sua vitia: Sed vbi sunt legitima imperia, vbi præsunt hi, qui liberis non solùm regna aut patrimonia, sed etiam beneuolentiam ciuium relinquere cupiunt, maior est iusticiæ cura, maior modestia. Sed cùm Romæ homines peregrini, cœlibes omnia gubernent, & proposita sit spes quibuslibet maximarum opum, amplissimorum honorum: multò maior est ambitio, quàm in alijs aulis. Et cùm pecuniæ, præsertim Romæ, omnia obediant: quantum in tanta licentia & ambitione & auaritia flagitiorum oritur, vt in versu dicitur, Regnandi causa violandum est ius, in alijs rebus pietatem colas. Deinde opes alunt luxum, & cœlibatus incendit cupiditates, & confirmat licentiam. Hinc oritur summa turpitudo morum.

XII.

Interim dum pontifices & Cardinales, qui antecelluntsapientia, sunt occupati curis regiæ dominationis, & alij in ocio viuunt, quæ faciunt officia Ecclesiastica? Si non postulandum est à summis gubernatoribus, vt per se doceant, tamen certè hanc oportuit esse primam curam pontificis, Cardinalium & Episcoporum, vt Ecclesiæ haberent pastores idoneos, & vt extaret doctrina Ecclesiastica pura, & consensus esset docentium, vt errata doctrinæ, & falsas ac superstitiosas opiniones vndecunq; ortas, aut ab ipsis pontificibus, aut monachis, aut ab alijs, veteres & recentes corrigerent, abolerent vitiosos cultus, coërcerent populum Ecclesiastica disciplina, & ad hæc tanta negocia conuocarent Synodos, concederent pijs & doctis libertatem dicendæ sententiæ, emendarent iustas leges, exigerent dogmata & leges, ad verbum Dei, iuxta mandatum cœleste, Hunc audite.

Hæc cùm non faciant, imò ne dominatio labefactetur, conentur opprimere piam & salutarem doctrinam Euãgelij, vtilissimum esset Ecclesiæ Christi, regiam illam dominationem pontificibus adimere, & opes redigere ad mediocritatem. Nam dum tenent regiam dominationem, & tantas opes, impossibile est, eos plus curare Ecclesiastica officia, quàm prophana negocia.

DE

DE BAPTISMO.

PIA & communis consuetudo est Ecclesiæ, ante Baptismum recitare locum Euāgelij, in quo scribitur, Talium est regnum cœlorum, & adduntur precationes. Vt autem populus adiungere posset suas precationes, & excitari lectione Euangelij, vtilius esset illas lectiones lingua populo intellecta fieri. Item cùm susceptores respondeant pro puero, conueniret eos sermonem intelligere, de quo interrogantur.

Aboleatur & ritus baptizandi campanas, qui est quædam veri baptismi contumelia.

DE CONFIRMATIONE.

OLIM in Ecclesia fuit consuetudo catechizandi iuniores & rudes, & postea in confirmatione flagitabatur professio fidei. Nunc in Ecclesijs consuetudo catechizandi prorsus desijt. Hanc negligentiam necesse est corrigi, & mandandum est pastoribus, vt certis temporibus conuocent iuuentutem, & proponant eis articulos fidei, Decalogum, summam doctrinæ Euangelij de peccato, & de remissione peccatorum, & de fide in Christum, de Sacramentis, de veris Dei cultibus: Et exploretur ac audiatur iuuentus. Cogantur & Patres familias mittere ad tale examen liberos, seruos & ancillas.

Huius moris restitutio maximè necessaria est, sed ad hanc rem opus erit pastoribus & ministris eruditis.

DE ORDINE.

HIC abusus sunt multiplices. Ordinantur indocti, malè morati, non ad officia certa. Hæc mutanda erunt.

Formæ etiam videantur, in quibus mandata dantur ordinatis.

Obligatio de cœlibatu tollenda.

Sint eruditi examinatores, & audiant ordinandos de summa doctrinæ Christianæ, non tantùm de puerilibus elementis grammatices.

Ideo prodesset extare scriptum aliquod publica autoritate

de summa doctrinæ Christianæ commendarum singulis Episcopis. Id ad puritatem doctrinæ & ad concordiam retinendam prodesset.

Nec putent Episcopi, se perfunctos esse suo officio, cùm ordinatos admittunt: Sed postea sint etiam inspectores doctrinæ, & morum, vt de visitatione & synodis infrà dicemus.

Abusus est, quòd ordinatio retinetur in minoribus ordinibus, in subdiaconatu, solis nominibus, sine officio.

Olim lector in Ecclesia erat Doctor iuuentutis, seu scholastica persona, qualis fuit Origenes. Nunc manet titulus in hoc ritu ordinationis, sine re.

DE CONIVGIO.

DVM immodicis laudibus ornantur vota Monachorum, obrepsit opinio, quasi coniugium sit genus vitæ vix placēs Deo.

Negligunt concionatores hortari adultos ad coniugium, cùm neglectio coniugij multis sit exitio, qui polluunt se vagis libidinibus.

Cùm in gradibus certis Deus prohibeat cognatos aut affines iungere connubia, & honestè quidam gradus sint additi, Romæ sine discrimine dispensatur de vtrisque diuinis & humanis prohibitionibus: vt constat concessum esse fratri, ducere fratris mortui coniugem, item, concessum esse, vt frater duceret fratris filiam, contra prohibitionem in Leuitico. Tales dispensationes Romæ venales sunt, vt testantur multa exempla.

Prohibitiones humanæ moderandæ essent, vt de cognatione spirituali.

Abusus periculosus est, quòd personæ innocenti, in diuortio iusto, non conceditur coniugium, cùm Christus clarè excipiat casum adulterij, & diuortium intelligi debeat de vero diuortio, vbi persona innocens verè liberatur.

Vtilius esset etiam seruari vetera iura, de consensu parentum, quā sine discrimine approbare clandestinas despōsationes.

Iniustum est solui desponsationes ingressu monasterij.

DE VNCTIONE INFIRMORVM.

ABusus est, quòd vnctio sine seria & vera precatione adhibetur, & adhibetur superstitiosè, non vt sanetur ægrotus, aut vt consolatione

solatione aliqua ex Euangelica concione adiuuetur, sed tantùm vmbra vetusti moris retinetur, & confirmatur ibi fiducia inuocationis sanctorum.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

PRima esse cura debebat, vt Ecclesiæ haberent idoneos Pastores, & vt in scholis studia vtilia florerent. Ad vtrumq; opus est inspectorib. seu Episcopis, seu alijs, & mediocribus stipendijs. Nũc magni sunt abusus: pauci sunt idonei pastores, & Episcopi negligunt visitationem seu inspectionem. Scholæ negliguntur, quia desunt inspectores prudentes, & reditus. Quare opus erit ex Monasterijs, aut collegijs rursus transferre aliquã partẽ ad parochias & scholas. Certum est enim olim tantos reditus donatos esse Ecclesijs, vt ministerium Ecclesiæ & literæ conseruarentnr, & pastores ac pauperes scholastici alerentur. Hæc duo præcipua in primis opus habẽt reformatione. Et vtrumq; efficiendũ est, vt sint inspectores fideles & prudentes, ac vt sit, vnde alãtur pastores & scholastici.

Hæc facilè possent effici, si Papa, Cardinales, & Episcopi facerent officia Ecclesiastica: sed hi, occupati dominatione mundana, alias res agunt.

DE ECCLESIASTICA GVBERNATIONE PAPAE ET EPISCOPORVM.

DVO sunt propria munera Ecclesiasticorum gubernatorũ, visitare Ecclesias, & Synodos conuocare. Visitatio explorat doctrinam, & mores ministrorum, studia Scholarum, & ea, quæ ad conseruationem Ecclesiæ necessaria sunt. In Synodis deliberationes habendæ sunt de abusibus, qui subinde exoriuntur: Sunt & iudicia doctrinæ exercenda.

Hæc omnia negliguntur à Romano Pontifice, Cardinalib. & Episcopis, & vagantur ministri Ecclesiarum, sicut grex sine pastore. Sed Rom. Pontifex sibi cauit, sumit sibi autoritatem supra omnes Canones & Concilia, & vetat se corrigi ab alijs, etiamsi innumerabiles animas perdat, vt apertè dicit cap. Si Papa. 40. dist. Hic error tollendus est ex Ecclesia.

Deinde

Deinde quales sint mores in collegijs, & aliorum sacerdotum, non est obscurum. Qualis fiat collatio Sacerdotiorum, quales Romæ lites sint de præbendis, notum est.

Transfert ad se Rom. Pontifex collationes, annatas & alias pensiones sine modo. Hi abusus corrigendi sunt: si synodi generales conuocari non possunt, congregetur nationalis, abolcantur vitiosi cultus, & iniustæ traditiones, consulatur moribus Sacerdotum, deliberetur de collationibus Sacerdotiorum, efficiatur, vt, qui sunt in Collegijs, nō sint ocioſi, sed seruiant Ecclesiæ. Interim quilibet patronus videat, vt pastores habeat idoneos, itē Scholis prospiciatur, vt rectè doceatur iuuentus.

DE OFFICIALIBVS ET ABVSV EXCOMMVNICATIONIS.

SI officiales essent docti & boni viri, non tantùm iudicia exercere deberent, sed etiam inspicere Ecclesias & Scholas. Nunc tantùm exercent iudicia, & quidem pleraque prophana.

Ecclesiasticus iudex cognoscit de doctrina, & punit manifesta crimina. Nec sit vnus tantùm iudex, sed debet esse cœtus aliquis, sicut Paulus plures adhiberi iubet, & Christus inquit, Dic Ecclesiæ. Nunc autem vnus aliquis officialis exercet iudicium, & transfert ad forum suum causas prophanas; Sicut & Pontifices excommunicarunt Imperatores sine legitima cognitione, & propter Imperij controuersias. Et nunc magnus quæstus est officialibus ex controuersijs, quæ sunt alienæ à foro Ecclesiastico.

Item in puniendo seruiunt magis auariciæ suæ, quàm vtilitati Ecclesiæ.

Deniq; hoc genus hominum, quod reipsa sustinet Episcopi munus, minimum habet grauitatis.

DE MONASTERIIS.

MOnasteria locupletia nec seruiunt Ecclesijs, nec colūt studia: Et cùm multa sint, prodesset inde sumere reditus ad Parochias & Scholas constituendas. Iniustum est enim ali ibi ociosam turbam de Eleemosynis datis ad conseruationem ministerij. Iniustum & hoc est, quòd deuorātur à Cardinalibus, Episcopis, aut Principibus, & defraudatur Ecclesia.

Monaste-

Monasteria virginum, propter sexus imbecillitatem, maximè habent opus pia mutatione. Nobilitas eò puellas includit, vt patrimonijs parcat. Et posset consuli hoc modo, si talia Monasteria tanquam Scholæ essent, vbi puellæ sine votis docerentur, & si quæ vellent deinde nubere, elocarentur, etiam adiutæ mediocri dote. Nunc tenentur ibi implicitæ votis, cùm multæ non sint idoneæ huic vitæ generi. Cruciatur infirmus sexus & sua imbecillitate, & superstitiosis cultib. & opinionibus. Nec audiunt, nec discunt syncceram Euangelij doctrinam. Habent auditores confessionum indoctos, aut etiam malos: legunt, canunt latina, quæ nõ intelligunt.

Est magnorum gubernatorum, affici huius sexus misericordia: consulatur puellarum saluti, quarum animæ & corpora periclitantur, liberentur votis, & præficiantur eis pij & prudentes concionatores, emendentur superstitiones.

Sunt & Collegia militaria, quibus opus est cõiugio, & quadam mutatione suarum ordinationum.

In Monasterijs tenuioribus, vt Dominicanorum, Franciscanorum, & Augustinianorum sunt aliqui studiosi & seruientes Ecclesijs: Sed hos ipsos sæpe audimus deplorare superstitiones, quibus multi apud eos fascinati tenentur.

Hîc etiam iuuenibus cõsuli oportet, per visitationem, quæ fieri debebat ab Episcopis, aut prudentibus viris ei rei præfectis.

Corrigendi etiam erunt in Monasterijs abusus Missarũ, quę ibi magis conducuntur, quàm apud alios sacrificulos. Et sunt alia vitia, superstitiosi cultus sanctorũ, indulgentiæ, & seruitus Pharisaica in ceremonijs certis.

Oramus autem Deum patrem Domini nostri IESV CHRISTI, saluatoris nostri, vt Ecclesiam suam liberet ab omni errore, & sanet, augeat, & seruet propter Filium suum, Dominum nostrum Iesum Christum, qui pro nobis victima factus est.

DE

DE ABVSIBVS ECCLESIARVM EMENDANDIS, AVTORE PHILIPPO MELANTHONE.

I.

CVM prima & præcipua cura esse debeat in Ecclesia CHRISTI, vt Euangelium rectè, purè & perspicuè doceatur: prodesset aliquam summam doctrinæ Euangelij, tanquam Catechismum edi de Deo, de tribus personis diuinitatis, de creatione, de peccato originis, de CHRISTO, denique de cæteris articulis Symboli. In hac summa prodesset complecti articulos conciliatos. Ita & multi piè erudirentur, & paulatim Ecclesiæ coirent in concordiam.

II.

Prohibendum est, ne omittantur conciones ordinariæ in festis diebus, & curandum per eos qui præsunt, vt pastores pia & vtilia ad ædificationem, & apta temporibus dicant: Et in fine cõcionum addant adhortationem ad pœnitentiam, cum publica absolutione, & precationem pro præsentibus necessitatib⁹ quolibet tempore.

III.

Et quia vetus consuetudo tradendi Catechismi, & puritiæ peculiariter erudiendæ & explorandæ, ferè vbique negligitur, inter præcipuas reformationis partes ducimus esse, renouationem eius moris. Quare efficiendum est, vt per pastores aut diaconos singulis septimanis duæ horæ aut tres, pro conditione loci, tribuantur Catechismo, sic vt cœtu puerorum, aut puellarum conuocato tradatur ordine, & simplicissimè summa doctrinæ Christianæ, & audiantur ordinè pueri & puellæ, recitantes Symbolum, Decalogum, Precationem Dominicam, doctrinam de Fide iustificante, de Sacramentis, de Pœnitentia, de bonis operibus, de Cruce. Cogitemus purissimam Ecclesiæ partem esse pueri-

pueritiam rectè institutam. Ideò hæc ætas nequaquam negligenda est, præsertim cùm & hic fructus accedat, quòd, cùm tenera ætas pia & salutari doctrina imbuitur, simul concipit amorem religionis Christianæ, qui postea, cùm accedunt anni, prodest moribus. Et meliùs iudicant homines de ijs doctrinis omnibus, quarum elementa rectè imbibit prima ætas. Denique notum est illud, Vsque adeo à teneris consuescere multum est. Et toties clamitat ac præcipit Deus, in sacris literis, vt doctrina cœlestis tradatur pueris.

IIII.

Et quia ceremoniæ inuitare homines, & assuefacere debent, tum verò etiam signa sunt ad admonendos & docendos rudes vtilia, curandum est per eos qui præsunt, vt ceremoniæ vtiles, & quæ aliquid grauitatis habent, retineantur, & absurdæ, ac indignæ grauitate Ecclesiæ abolcantur, vt sunt multæ statuarum circumgestationes, vt alicubi magno pondere crux circumfertur, quam vix quatuor gestare queunt, &c. Item statuæ ac picturæ fabulosæ, & quæ superstitiosè coluntur. Harum rerum emendatio bonis & prudentibus gubernatoribus in qualibet diœcesi commendetur.

V.

Sed plurimum refert, quales sint Pastores & cæteri doctores & ministri Ecclesiarum. Ac ne idonei præficiantur, potissimùm ex his duabus causis accidit: vel quia patroni & collatores commendant indoctos & ignauos, aut propter priuatã beneuolentiam, aut corrupti pecunia, aut propter alias causas non probandas; vel quia Episcopi sine delectu, sine exploratione, admittunt quoslibet, & cùm non afficiantur cura salutis Ecclesiarum, nec doctrinam, nec mores pastorum inquirunt, nec præficiunt inspectores, qui indoctos erudiant.

VI.

Vt igitur his causis occurrant, primùm de collatione deliberandum erit. In collegijs prodest restitui canonicam electionem,

nem, nec concedi, vt mense Papali aut per alias occasiones intru dantur indocti aut malè morati.

VII.

Cæterùm in eligendis pastoribus, etsi ius patronis nollemus adimi: tamen nec patroni præficiant pastores, non priùs cõmendatos aliquo testimonio Ecclesiæ, hoc est, honestorum hominũ in eo cœtu, cui datur pastor. Et liceat Ecclesijs reijcere impios aut non idoneos, aut referre rem ad Episcopos, aut eos, qui loco Episcoporum sustinent gubernationem Ecclesiasticam.

Episcopi, aut hi, qui Ecclesiasticam gubernationem loco eorum sustinent, nullos ordinent, nisi ad certa ministeria Ecclesiæ: Nec sint ocioſi sacrificuli, tantùm eò ordinati, vt victum sibi quærant lectione Missarum, vt vulgò fit.

Nec ordinentur inexplorati, sed sint viri docti & graues aliquot, quibus sit in qualibet diœcesi mandata cura examinis: hi neminem admittant ad ordinationem, nisi adferat testimonium de vocatione ad certum ministerium, & de moribus, deinde doctrinam inquirant de dogmatibus Ecclesiæ necessarijs. Si quos inuenient prorsus indoctos, prohibeant, ne ordinentur, & significent patronis aut Ecclesijs, vt alios quærant idoneos. Sin autẽ erit aliquis mediocri doctrina instructus, & videatur posse proficere, detineatur, & ab aliquo examinatore per mensem vnum atque alterum erudiatur. Nam examinatores illi non tantùm sint otioſi auditores ordinandorum, sed suscipiant laborem etiã erudiendi indoctiores, eosq; sæpius audiant. Et Episcopis aut gubernatoribus curæ sit, vt pauperes ordinandi interim victum habeant, & aliquot libellis necessarijs instruantur. Hæc officia si sumtuosa esse arbitrantur, cogitent nullum esse sanctius eleemosynæ genus, quàm pauperum sacerdotum studia iuuare, & consulere Ecclesijs, ac reputent, sibi propter tales eleemosynas tantas opes datas esse. Curabunt igitur, vt pauperes ordinandi habeãt hospitia & præceptores.

VIII.

Vt autem pastores & cæteri ministri Ecclesiarum, sacerdotes & diaconi, possint Deum inuocare bona conscientia & vera fide, aboleatur lex & obligatio, quæ prohibet coniugium sacerdoti bus,

dotibus,ac liceat eligere ad sacerdotium,videlicet ad docendum Euangelium, & ad sacramenta administranda,honestos maritos: liceat etiã his,qui sunt ordinati cœlibes,postea honestum coniugium contrahere. Si enim hoc nõ conceditis,multis locis deerũt pastores, & Ecclesiarum solitudo & vastitas metuẽda est. Sicut iã in ipsis Episcoporũ ditionibus in Germania scimus multis locis deesse pastores Ecclesijs. Cedat igitur humana traditio,& iniusta lex necessitati publicæ, cedat dignitati ministerij, quod vt conseruetur, tollantur iniusta vincula, & obligationes, quæ deterrent pios & moderatos ab ea functione.

Hauddubiè omnes modesti toto corpore & animo cohorrescunt,cùm cogitant, quanta agmina animarum hæc lex de cœlibatu tot iam seculis traxerit in æternum exitium.

Quanquam igitur cœlibatus fortassis ad opes Ecclesiasticas retinendas est accõmodatior, tamen maior habenda est ratio vericultus Dei,salutis animarũ, & publici exempli. Sacerdotes polluti mala conscientia,non possunt Deum inuocare, ruunt in interitum perpetuum, & nocent exemplo moribus aliorum.

Si his tantis causis gubernatores non mouentur, si impediunt veram Dei inuocationem,si non afficiuntur exitio aliorum, profectò dura est Ecclesiæ seruitus. Quare oramus, vt hoc vinculo cœlibatus ministri Euangelij liberentur.

IX.

Abusus est frequentissimus vbiq;, qui grauiter offendit Deum,quòd homines obnoxij publicæ turpitudini petũt Absolutionem & Cœnã Domini, sine vera pœnitentia, tametsi propter solennem ritũ,quandã simulationem pœnitentiæ prę se ferũt. Hoc eò fit,quia Episcopi multis seculis neglexerunt iudicia Ecclesiastica,vt postea dicemus. Sed tamen mandetur pastoribus, vt prudenter Sacramenta administrent, nec absoluant eos, qui nõ promittunt emendationẽ vitæ,& si possunt,obnoxios manifestæ turpitudini indicent iudicibus Ecclesiasticis aut alijs Magistratibus.

X.

Pastores in singulis Ecclesijs audiant semel in anno ordine auditores, præsertim rudiores,ac fidẽ eorũ explorẽt:idq; in tẽplo fiat. Nec potest hac in re quisquam detrectare Pastoris autoritatẽ, quia singuli debemus fidẽ profiteri,præsertim apũd pastores pios & fideles,cùm hoc ex officio postulant. Ibi pastor singulos etiam

ea, quę cuiusq; ætas aut mores postulāt, prudēter & grauiter moueat, & erudiat indoctiores, de fide, de morib. de vsu Sacramentorum. XI.

Et vt populus tranquilla & pia conscientia ad Cœnam Domini accedere possit, conscientijs illorum cōsulatur, qui cùm norint veterem Ecclesiæ morem, integro Sacramento vti malunt. Nemo circumferens malam conscientiam potest Deū inuocare. Vt igitur Deus colatur, & vt cōsulatur hominū saluti, gubernatores maximè cauere debent, ne lædantur piæ conscientiæ.

Constat hanc ceremoniā institutam esse, vt fidē confirmet in pauidis mentibus, seu consolationem adferat, & vt hîc gratiæ agantur Deo. Quomodo aūt consolationē capiet, aut aget gratias exulcerata cōscientia? Hæc arcana vulnera gubernatores Ecclesiæ intelligere & sanare debebant. Ideo tollatur abusus, videlicet prohibitio calicis. XII.

Maximus & vniuersalis abusus est, quòd non exercentur iudicia Ecclesiastica, nec de doctrina, nec de moribus sacerdotum, aut populi. Primū, Pontifices quando conuocarunt Synodos ad verā & æquam cognitionē de doctrina? sed iam de particularibus Ecclesijs agimus. Episcopi habent Officiales, vt vocant, quib⁹ cōtrouersiæ de contractibus sponsalium, & aliæ quædam inquisitiones commissæ sunt. Hi nec intelligunt officium suum, nec faciūt, sed habent quædam aucupia pecuniæ, quæ longū esset recitare. XIII.

Non possumus sine magno dolore commemorare Ecclesię calamitates. Nos in Germania titulos habemus Episcoporum, Episcopos, qui officium suum faciunt, non habemus. Cùm.n. quatuor sint Episcopi officia præcipua, docere & gubernare doctrinam, ordinare & explorare ordinandos, præesse iudicijs Ecclesiasticis, & visitare Ecclesias: nostri Episcopi in Germania vix vmbrā & ceremoniam vnius muneris retinent, videlicet ordinationem sine exploratione: Interim tenent amplas ditiones, quas cùm administrant, ducum officijs funguntur, non Episcoporum. Quas si volunt retinere, (non enim impedimus) deliberetur de certis, qui verè regant Ecclesias, & vt suprà dictum est, oportere in qualibet diœcesi esse certos delectos viros, qui præsint ordinationi, & explorationi ordinandorum, ita sint, seu ijdem, seu alij, qui præsint iudicijs Ecclesiasticis, & visitent Ecclesias.

Funga-

Fungatur igitur vero munere Episcopi, seu vnus aliquis certo loco, seu hæc decuria iudicum. Necesse est enim in Ecclesia esse aliquos idoneos gubernatores doctrinæ & ordinationis. Necesse est iudicia exerceri de doctrina, & de controuersijs sponsalium, de diuortijs. Necesse est restitui excommunicationem mãdatam in Euangelio. Hunc Episcopi vicarium, seu hanc decuriam iudicum, tueatur ille, qui titulum tenet Episcopi.

Iam si collegia haberent viros doctos, pios & exercitatos: expeditissimum esset, legere hos iudices ex collegijs. Sed addendi sunt aliqui honesti, graues & docti viri laici. Et singulis diœcesibus pro magnitudine plures tales decuriæ iudicum constituantur: sed sit vna suprema, quæ, vt dictũ est, sit velut vicaria Episcopi.

Vt autem habeant hæ decuriæ honesta stipendia, certæ præbendæ seu certa collegia, seu reditus monasteriorum ad hos vsus transferantur. Quanta est enim turba ociosorum & ignauissimorum hominũ nunc in collegijs & monasterijs opulentis?

Constat, exigua pecunia apud officiales posse transigi de pœna stupri & adulterij. Hæc lenitas auget licentiam. Ideo seueritas iudiciorum & pœnarum restituenda est. Ac primùm de omnibus criminibus hoc seruetur: Habeat suum ius magistratus ciuilis, vt ex officio laicorum delicta inquirit & punit, ita sacerdotes reos manifestorum criminum, stupri, adulterij, furti, cædis, & similium puniat suarum legum pœnis. Et quidẽm docendus est Magistratus, ne negligenter officium suum administret. Nam diuinitus huic gradui commendata est disciplinæ externæ conseruatio & defensio, vt Paulus docet, inquiens, Magistratum honore afficere bona opera, econtrà verò formidandum esse malis. Nec exigua morum corruptio inde orta est, quòd forum Ecclesiasticum impediuit magistratum ciuilem, ne inquireret aut puniret adulteria. Sit igitur vigilans & acer magistratus, sciat se disciplinæ custodem esse, diuinitus in hac statione collocatum. Interim tamen Ecclesiastici iudices suum faciant officium. Et quia in multis locis ciuilis magistratus, ex quadam veteri & praua consuetudine, segnior est in puniendis adulterijs: Ideo pastores & Iudices Ecclesiastici sint diligentiores in suo officio. Pastor admoneat obnoxios criminibus, adulterijs, Epicureo contemtui religionis Christianæ, blasphemis sermonibus, periurijs aut alijs criminibus. Si admonitus nõ pollicetur emen-

dationem morum, deferat eum decuriæ iudicum: In re inquisita sententiam excommunicationis ferant aduersus reum, ac magistratui ciuili suam sententiam indicent.

Et ita sint constituta iudicia, delectis certo numero viris grauib⁹, doctis & iustis, ne Pastor, aut quispiã alius, videatur odio potiùs reum in periculum adducere, q̃ moueri ad accusandum officij ratione. Nec liceat soli Pastori ferre sententiam excommunicationis, sine vlla iudicum decuria, aut nemine adhibito ex honestiorib⁹ viris suæ Ecclesiæ. Vt. n. vocantur hæc iudicia Ecclesiæ, ita sunt plures adhibẽdi, vt Paulus voluit. Tyrannis est inimica Ecclesiæ. Ideo species omnis tyrannidis in Ecclesiæ iudicijs fugiẽda est.

His decurijs Iudicum commendanda est visitatio Ecclesiarum, vbi de doctrina Pastorum fiat inquisitio, coërceantur petulantia ingenia, quæ ferunt falsa dogmata, tollãtur superstitiones & statuæ, ad quas fiunt concursus, & inspiciantur etiam scholæ, & gubernentur studia.

Nec officinæ Typographicæ negligendæ sunt. Plurimum enim refert, quales libri veniant in manus hominum, cauẽdumq;, ne spargantur impia dogmata aut famosi libelli. Ideò Magistrat⁹ in singulis locis præficiant certos inspectores, seu censores officinis, nec liceat edere libros non approbatos ab his censoribus. Fiat etiam inquisitio de moribus pastorum & populi: si compertũ fuerit, pastorem admisisse aliquod flagitium, puniatur seueris legum pœnis, & eò minùs conniuendum est ad stupra, adulteria aut scortationes sacerdotum, quia petimus concedi eis coniugium. Quare seueriſſimis pœnis corporis illa delicta puniantur.

Inspiciant etiam visitatores rationes ærarij in Ecclesijs, & curent fideliter pendi stipendia pastoribus, diaconis, & his qui præsunt scholis.

XIIII.

In scholis non solùm Ecclesiæ seminaria sunt, sed etiam ibi præparantur ingenia ad omnem reliquam vitæ gubernationem. Imò scholæ sunt fontes humanitatis in tota vita, quib⁹ neglectis, necesse est sequi magnas tenebras, confusiones religionũ, & superstitiones, legum & literarum, atq; artium interitum, obliuionem antiquitatis & historiarum, morum feritatem, denique infinitam barbariem morum, & omnium vitæ partium.

Quare

Quare omnes sapientes gubernatores maximè iudicarunt, scholarum cõstitutionem ad Remp. pertinere, & bene cõstitutas præcipuum decus & ornamentum esse ciuitatũ. Quantò magis in Ecclesia tuendæ sunt scholæ, in quib. cõseruatur & ppagatur doctrina Euangelij, & tradũtur aliæ bonæ artes, vtiles, tum ad explicandã cœlestem doctrinam, tũ ad reliqua vitæ officia gubernãda. Et hac in re moueamur cõsuetudine Ecclesiç omniũ temporum. Nunquã sine scholis floruit Ecclesia. Voluit Deus certos esse cœtus ad tabernaculũ, quod Moyses cõdidit, & postea ad templum, non aliã ob causam, nisi vt ibi studia legis diuinæ, & aliarũ artium bonarum in quadam frequentia vigerent, & iuuentus excoleretur. Ita Samuel adolescens missus est ad tabernaculũ, tanquam ad Academiam, & postea Elias ac Elisæus, Iohannes Baptista, Christ⁹ habuerunt agmina auditorum. Hunc morem & Apostoli seruarunt, vt ex Irenæo apparet, qui testatur Iohannem non solùm vniuersam multitudinẽ illiteratam docuisse, sed etiã habuisse quosdam assiduos auditores, qui se totos studijs addixerant, quos solitus est familiariter docere, etiam extra cõuentus vniuersæ Ecclesiæ. Hinc orta sunt vetera Collegia, & proderat esse tales scholas, quæ erant testes, quæ doctrina ab Apostolis accepta esset, & conseruabant sententiam Apostolorum. Ideò sæpe allegantur illæ veteres scholæ, & propter has laudatur ordinaria successio, quòd essent certi testes doctrinæ Apostolicæ. Nunc hæ laudes ad potentiam amplificandam transferuntur. Postea, cùm opes, Regia dominatio, luxus, extinxerunt studia collegiorum, caligo ingens in Ecclesia secuta est, & nata est illa Theologia monachorum, diluta quadam inerudita Philosophia, & superstitionibus. Et hæc ipsa nunc consenuit. Quare sapientes gubernatores prouidere debẽt, vt in scholis rursus pia & sincera doctrina Christi tradatur, & muniendæ sunt scholæ, vt ad posteros propagari incorrupta veritas possit.

Deinde, quia in singulis regionibus magno numero pastorum opus est, alẽdi sunt pauperes scholastici de publico, qui cùm rectè didicerint doctrinam Christianam, postea præficiantur Ecclesijs. Hæc est vetus & vera Ecclesiæ consuetudo.

Toties vociferantur aduersarij nostri, cõsuetudines Ecclesiæ negligi, cùm ipsi hæc vtilissima instituta Prophetarum & Apostolorum penitus deleuerint, quæ quidem vt restituantur, & cõ-

seruentur, omni contentione gubernatores perficere debent, vt delicet ita, vt scholæ floreant, & propagetur salutaris doctrina, & præparẽtur, excolantur, ac erudiantur studiosi postea præficiendi Ecclesijs.

Porrò in Academijs opus est duplici emendatione, videlicet doctrinarum & disciplinæ. De artibus tradendis verè eruditi & prudentes ordinem præscribant: ita vt iuuentus non solùm versetur in artib⁹ prophanis, sed etiam discat Christianam doctrinam. Deinde vt ad veram Philosophiam reuocetur, & explosis nugis sophisticis, tradatur Dialectica sincerè & prudenter, adiungantur Physica & Mathematica, formetur stylus. Sed hæc pars de doctrina longior est, quàm vt tota hîc comprehendi possit, & singulis locis iudicio eruditorum & prudentum constituenda est.

Disciplinæ restitutio requirit autoritatem, & diligentiam Principum & Magistratuum, necesse est mores seueritate maiore regi, & continere iuuentutem intra septa, & ad pia exercitia re uocare, licentiam adstringere, prohibere cõuiuia intempestiua, indecorum, scenicum & militarem vestitum. Hæc emendatio obtineri non potest, nisi Magistratus veris pœnis contumaces puniant.

Sed vt Demosthenes neruos belli vocat pecuniã, ita ad hos gradus omnes opus est reditibus, videlicet, ad alendos pastores, iudices, scholasticos: & sunt in promtu, si rectè collocentur. Facilè enim iniri ratio potest, vt nobilitas in collegijs maiori parte redituum Ecclesiasticorum fruatur, & tamen aliqua collegia, & monasteria transferantur ad hos tres gradus: ad augenda stipendia pastorum & diaconorum, deinde ad constituendas decurias iudicum, ac scholas, in quibus non solùm mercedes dandæ sunt docentibus, sed etiam mediocris victus præbendus pauperibus scholasticis. Hæc vt faciliùs fiant, opulenta monasteria transferãtur ad hos vsus, in quibus nunc tantùm ocioſi & ignaui homines aluntur. Et satius est hoc totũ vitæ genus aboleri, quàm interim esurire pios pastores, cum honestis vxoribus, & pijs liberis, aut scholasticos, aut Ecclesias stare orbatas pastoribus, aut deseri literarum studia. Cùm ait Christus, Dignus est operarius mercede sua, & Paulus inquit, Nemo militat suis stipendijs: mandatũ Dei præcipit, vt ad hanc militiam Ecclesiæ, docentium & discentium, stipendia conferantur. Et propter hanc causam à pijs Regibus & Princi-

Principibus hæ opes Ecclesijs, quas nũc tenent, donatæ sunt. Iniquum est autem præripi stipendia ab ociosis, & fucis, & interim fame perire eos, qui durissimam militiam in docendo & gubernatione sustinent. Hæc sunt mutanda, bonorum & sapientum Regum, & Principum consilijs & autoritate.

Sed de Monasterijs virginum omnino prodest, sexum illũ imbecillem liberari votis. Semper in conspectu sit sapientibus & pijs gubernatoribus hæc regula: Non esse impediendam veram Dei inuocationem, qui cum mala conscientia inuocari non potest, nec animas abstrahendas esse à Deo in æternum exitium. Cõstat autem in tanta imbecillitate eius sexus, multarum conscientias excruciari. Ideò aboleantur hæc vota. Et tamen pauperibus puellis, præsertim nobilibus, consulatur ex his reditibus, qui per certos quæstores ad hos vsus quotannis colligantur, & quodam ordine distribuantur. Nam in pagis, aut locis desertis, virginum cœtus esse, non videtur vtile, sed si placet aliqua Monasteria virginum conuerti in scholas puellarum nobilium, & aliarum, id fiat in vrbibus, vbi est honesta disciplina: Et præsint honestæ, piæ & graues matronæ. Tales scholas aliquas puellarum esse, sine vllis vinculis votorum, optandum esset: in quibus nobilium filiæ & aliæ puellæ discerent literas & doctrinam Euangelij, & assuefierent ad pia exercitia, & bonos mores, nupturæ cùm vellent.

Hæc est imago honestissimi cœtus matronarum & puellarum, quæ olim quadam assiduitate seruiebãt templo, in quo cœtu Anna Prophetissa, tanquam magistra fuit reliquarum. Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui elegit sibi Ecclesiam, in qua in vita æterna celebretur, emendet, regat, defendat & augeat eam,

AMEN.

ACTA CVM CINGLIANIS, ANNO M. D. XXIX. MARPVRGAE, ET M. D. XXX. AVGVSTAE.

M. D. LXXVIII.

ACTIONES

DE CONCORDIA CVM CINGLIANIS,

A LVTHERO DE COENA DOMINI, DISSENTIENTIBVS CONCILIANDA: IN COMITIIS AVGVSTANIS, ANNO M. D. XXX. ET PAVLO ANTE, MARPVRGÆ, Anno M. D. XXIX. susceptæ: quarum suprà in serie Actorum mentio facta est.

ILlustrissimus Princeps Philippus, Landgrauius Hassiæ, vt paucis mensibus ante Comitia, pio studio & zelo veritatis & pacis in Ecclesia restituendæ inter D. Martinum Lutherum, Philippum, Brentium, ab vna, & Ioannem Oecolampadium, Cinglium, Bucerum, ab altera parte, qui de Cœna Domini proximis annis, magna cum piorum offensione, publicis scriptis dimicarant, Marpurgæ Colloquium instituit: ita tum quoque in Comitijs Augustanis, apud nostros vrgere non destitit: vt Cinglio coniuncti Doctores, Bucerus, Capito, Blarerus, &c. Augustæ præsentes, posthabita dissimilitudine opinionum de Cœna Domini, nihilominus velut eiusdem fidei & confessionis socij, aduersus pontificios, à nostris, pro eiusdem Ecclesiæ membris & fratribus reciperentur.

Cùm

Cùm autem Epistolæ Philippi & Brentij, in quibus, piè his postulatis se assentiri non posse, respondent, multò antè editæ sint: Ego etiam, à bonis & pijs quibusdam admonitus, non vt dissidia & odia, quorum acerbitatem leniri & mitigari iamdudum omnes pij optant, renouem vel alam, sed vt instituta series actorum de Religione in Comitijs anni M. D. XXX. integrè & incorrupta contexta extet: simul inserendas esse hoc in loco duxi.

Primùm autem Marpurgensis Colloquij, ex quo præsens disputatio de Fraternitate originem traxit, summam breuem, sicut à Philippo Melanthone composita, & in Tomis Lutheri expressa est: vnà cum literis Lutheri ad Landgrauium de eodem Colloquio agentibus recitabo.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. PHILIPPO, LANDGRAVIO HASSIAE, COMITI IN Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhein & Nidda, Domino clementiſsimo.

MARTINVS LVTHERVS.

ILluſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime. Celſitudinis Veſtræ literas & poſtulata clementiſſima, vt Marpurgum ad Colloquium cum Oecolampadio & ipſius ſocijs, de controuerſia Cœnæ Domini habendum veniam, ſi fortè pacem ac concordiam Deus hac ratione largiri vellet, reuerenter accepi. Etſi autem exiguam ſpem pacis futuræ foueo, tamen Celſ. Veſt. diligentia & ſollicitudo in hac cauſa, ſummopere laudanda eſt. Ego etiam meo loco perditam hanc & fortaſſe etiam nobis periculoſam operam, Celſ. Veſt. ſtudiosè præſtabo, ac, quò Celſ. Veſt. volet & petet, me non grauatè conferam. Deo enim iuuante nolim aduerſæ parti hanc laudem verè concedere, quòd pacis & concordiæ ſtudioſiores, quàm ego, eſſent.

Meas verò cogitationes de hoc negocio Celſ. Veſt. ſtatim diſertè & expreſsè exponere volo: ac oro, vt Celſ. Veſt. clementer cogitet & exploret, an aduerſa pars etiam de ſua ſententia aliquantum cedere parata ſit, ne mali huius exitus deterior fiat, & planè contrarium illius eueniat, quod Celſ. Veſtr. tanto ſtudio & zelo iam conſectatur. Quid enim iuuaret conuenire & colloqui, ſi vtraq; pars hoc propoſito venit, quòd nihil omninò cedere velit?

Mihi hoc agere aduerſarij videntur, vt poſtea gloriari contra nos poſſint, per ſe non ſtetiſſe, quò minùs concordia fieret, cùm tantum Principem ad hanc cauſam tractandam permouerint. Ita ſub Celſ. Veſt. nomine nos traducere & accuſare, tanquam hoſtes pacis & veritatis, ſe verò eximiè ornare, cupiunt. Noui has Diaboli technas: atq; vtinam hîc non ſim Propheta.

Si

Si enim non simulatè & insidiosè, sed seriò pacem quærerent: nihil hac magnifica & ad ostentationem composita ratione, per magnos & potentes Principes hanc rem agendi, indigent. Nos enim, Dei beneficio, non adeo feri & inhumani sumus, quin suis literis modestiam & studium pacis suum, de quo gloriantur, iamdudum nobis significare potuerint.

Ego verò hoc bene scio, me illis prorsus non cessurum esse, nec possum cedere, cùm in conscientia mea certus sim, eos errare, & insuper ipsos de sua sententia incertos esse. Omnia enim illorum fundamenta in hac causa satis cognoui: ac ipsi vicissim mea fundamenta viderunt.

Quare reuerenter C. V. oro, vt C. V. propter Deum diligenter consideret, magísne profutura hęc actio vel obfutura sit. Certum enim est, si nihil cedent, nos frustra conuenturos, & re infecta discessuros, & C. V. oleum & operam perituram esse. Nec illi gloriationes suas hactenus illis vsitatas intermittere poterunt, & nos immeritò accusabunt, vt de nouo ipsis cogamur respondere. Ita deteriora omnia fient, quàm nunc sunt. Hoc vult & quærit Sathan.

Quòd autem C. V. sollicita est, ne ex hac dissensione tandem bellum & sanguinis effusio sequatur: tamen quidquid horum sequetur, quod Deus auertat, scit C. V. nos innocentes esse, Deus etiam innocentiam nostram in lucem proferet. Si Spiritus ille factiosus bellum accendit, naturæ suæ instinctum sequitur: sicut in Francisco Siccingense, Carolostadio, Muntzero, antea declarauit. Quo tempore nos tamen Dei beneficio immunes à sanguine, aduersarij autem nostri rei & nocentes manserunt.

Hæc scripsi, vt C. V. mea parata & gratificandi cupida officia, (tametsi cum exigua spe alicuius profectus coniuncta) declararem. Nam C. V. omnia subiecti animi studia & officia me debere profiteor. Christus Dominus conterat Sathanam sub suis & omnium nostrum pedibus, Amen, Amen. Datæ Vuittebergæ, 23. Iulij, Anno 1529.

SVM

SVMMA COLLOQVII DE COENA DOMINI, MARPVRGAE HABITI, SCRIPTA A PHILIPPO MELANTHONE.

ILlustrissimus Princeps, Landgrauius Hassiæ, hos, quorum adscripta sunt nomina, vocauit, vt Marpurgæ ad diem Michaëlis, Anno 1529. comparerent, & de Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi vnà colloquerentur.

Venerunt igitur Marpurgam primi Oecolampadius, Cinglius, Bucerus & Hedio: Deinde D. Martinus Lutherus, Iustus Ionas, Phil. Melanthon: Postremò Andr. Osiander Noriberga, Ioannes Brentius ex Salinis, & Stephanus Agricola Augusta.

Postquam D. Martinus Lutherus venit, Landgrauius seriò mandauit, vt D. Lutherus cum Oecolampadio solo, & Cinglius cum Philippo etiam solo colloquerentur.

Iuxta hoc mandatum hi vnà contulerunt: ac D. Lutherus Oecolampadio multos articulos proposuit, de quibus partim non rectè sensisset ac scripsisset, partim occasionem rumoribus præbuisset, vt plures inde & maiores errores secuturos esse metuatur.

De talibus articulis Philippus etiam cum Cinglio egit, hisce videlicet: Cinglium non rectè scripsisse de morbo originis, quòd non sit peccatum, & quòd baptismus non ad id prosit, vt peccatum originis infantibus remittatur: Item de Cœna Domini, quòd corpus & sanguis Christi non verè sint in Sacramento: Item de vsu verbi & Sacramentorum, non docere eos, quòd verbum & Sacramenta instituta sint, vt per ea Spiritus sanctus nobis detur.

Qua opinione recepta, ministerium verbi & Sacramentorum in Ecclesia facilè extingui posse. Fertur item, quosdam illorum non rectè sentire de diuinitate Christi.

Ad hæc

Ad hæc Cinglius respondit, primùm de diuinitate Christi, se semper sensisse, & adhuc sentire, Christum verum Deum & hominem esse: & alioquin de toto articulo Trinitatis se sentire, sicut Synodus Nicena docuerit: Nec ad se pertinere, si qui in superiori Germania incommodè locuti sint. Indicabat etiã Hetzerum Anabaptistam, qui Constantiæ supplicio affectus est, contra diuinitatem Christi librum scripsisse, quem ipse (Cinglius) oppressérit, ne in lucem prodiret.

De cæteris articulis, videlicet de peccato originis, Item, quòd Spiritus sanctus non detur per verbum & Sacramenta: multum disputatum est, sicut res magni momenti sunt, in quibus Cinglius libenter à suis scriptis discessit. Deinde conferebatur de articulo Sacramenti Cœnæ Domini, de quo Cinglij & Oecolampadij argumenta in publica collocutione audita sunt. Cùm enim de hoc articulo priuatim non conuenissét: voluit Illustrissimus Princeps Hassiæ, vt in suæ Celsitudinis & aliquot consiliariorum præsentia de eo ageretur.

Inchoato igitur publico colloquio, indicabat Lutherus, necessitatem flagitare, vt de tota summa Christianæ doctrinæ cum illis ageretur: Nam in Cinglij scriptis multos errores inueniri: Præterea parùm eos de iustificatione docuisse, vt appareat, propriam Euangelij doctrinam ipsis parum notam esse. Deinde protestabatur Lutherus, se scire, quòd de Sacramento rectè scripserit, ac velle se in eo, quod scripsisset, permanere. Quòd si Oecolampadius & Cinglius aliquid contra veritatem se proponere posse existimarent, id se audire velle & refutare.

Ad ea respondit Cinglius, conuentum hunc non ideò institutum esse, vt de cæteris articulis conferretur, sed tantùm de Sacramento, de quo si conueniret, velle se etiam de alijs causis colloqui. Ita articulus de Sacramento solus propositus est, ac tria præcipuè argumenta tractata sunt.

Primum, Ioan. 6. Christum dixisse, Caro non prodest quidquam. Ideo non existimandum esse, in Sacramento carnem Christi præsentem esse, quia carnalis manducatio nihil prosit.

Hoc argumentum Lutherus ita refutauit, quòd verba, Caro non prodest quidquam, non de Christi carne intelligẽda sint, quia

quia priùs dixit carnem suam viuificare: sed de carne sine Spiritu. Ideò addere Christum, Spiritus est qui viuificat, vt ostendat, nostram carnem nihil prodesse, non intelligere ea quæ sunt Spiritus Dei. Alioquin horrendum auditu fore, Christi carnem nihil prodesse.

Deinde, etiamsi concederetur, Christum de sua carne dixisse, caro non prodest quidquam: tamen Cinglianos non posse confirmationem suæ opinionis de Sacramento inde extorquere: Non enim asserunt hæc verba, Christi corpus non esse in Sacramento. Sed etiamsi concedatur, ea de Christi carne accipi debere, tamen ita intelligi posse, Christi carnem non prodesse ijs, qui non credunt: sicut Augustinus etiam hæc verba interpretatur. Nam Christi sententia est, carnem sine Spiritu nihil prodesse. Ideò addit, Spiritus est qui viuificat.

Alterum argumentum Philosophicum, ex ratione ductum erat: Vnum corpus non posse simul in diuersis locis esse: Sed corpus Christi esse in cœlo &c.

De hoc argumento longa rixa fuit. Lutherus aiebat rationem humanam non debere nec posse omnipotentiam Dei iudicare. Cinglius dicebat, Deum non proponere nobis talia credenda, quæ prorsus comprehendi non possint.

Tales ineptæ voces ei excidebant, cùm tamen doctrina Christiana multos incomprehensibiliores & sublimiores articulos habeat, videlicet, quòd Deus homo factus sit, quòd hæc persona, Christus, qui verus Deus est, mortuus sit.

Dicebat etiam Cinglius, quomodo res tantæ per malos sacerdotes confici possent, vt Christi corpus eò perueniret.

Ad id Lutherus clarè respondit, non ex sacerdotis merito, sed Christi ordinatione illud fieri: Quia Christus mandauerit, ideò fieri: Ita etiam de efficacia verbi & sacramenti esse sentiendum: Et Donatistarum errorem esse, quòd Sacramenta non sint efficacia, quæ à malis sacerdotibus administrentur. Ad hæc nihil tum Cinglius replicauit.

Tertium Argumentum vrgebat Oecolampadius. Sacramenta sunt signa, ideò intelligendum est, ea aliquid significare. Ideo hîc etiam sentiendum est corpus Christi tantummodò significari, non præsens adesse.

Adhoc argumentum respondebatur, verè dici, Sacramenta esse signa: Sed nos eis non alias significationes præter eas, quas Christus ipse tradidit, affingere, nec aliter ea interpretari debemus. Item, quod Sacramenta sunt signa, id præcipuè ita intelligendum est, quod annexas promissiones significent. Vt: Circumcisio præcipuè verbum significat à Deo ritui illi annexum, quod Deus propitius esse velit. Ac si quis aliam significationem quærere vellet, videlicet quòd circumcisio mortificationem carnis denotet, inutilis hæc significatio futura est, si altera principalis significatio promissionis negligatur. Ideo non temere significationes fingendæ sunt, sed videndum, quomodo verbum Dei se ipsum interpretetur.

Postremò multa dicta Patrum lecta sunt, per quæ Cinglius & Oecolampadius se victoriam in sua causa obtenturos esse, sperabant. Erant autem generalia dicta, quorum pleraque nihil de Sacramento loquebantur: vt, corpus necessariò in loco esse, & spacium certum occupare: item, quòd Christus verum corpus habeat. Aduersus ista, Illustrissimo Principi Hassiæ multa illustria dicta ex Patribus exhibita sunt, quæ docent, verum corpus & sanguinem Christi in Cœna Domini adesse.

Hæc summa est colloquij breuissimè comprehensa. Lutherus in sua sententia perstitit, verum corpus & sanguinem Christi in Cœna adesse. Aduersa autem pars à sua opinione discedere noluit.

Petebant autem vt Lutherus eos pro fratribus reciperet. Huic postulato D. Martinus nullo modo consentire voluit: Graviter etiam eos allocutus est, dicens, vehementer se mirari, quomodo ipsum fratris loco habere possint, si modo doctrinam suam veram esse serio sentiant: Sed hoc indicio esse, quòd non exi-

existiment etiam ipsi, multum in hac causa situm esse.

Sed tamen, vt maiora dissidia & turbæ auerterentur, visum est, articulos aliquot consignandos esse, qui typis editi sunt.

In articulis illis Cinglius & Oecolampadius libenter in cæteris omnibus Lutheri sententiam secuti sunt: De Sacramento tantùm sequi noluerunt.

Nimis enim longè progressi sunt in hac causa, vt difficulter gradum reuocare possint. Spes tamen est, eos in hac etiam parte cessuros esse, si potestas aliqua vias idoneas suscipiat. Quod Deus gratia sua fortunare dignetur.

De sequentibus articulis Marpurgæ conuenit inter eos, qui nomina sua subscripserunt, Die 3. Octobris, Anno 1529.

Primùm. Quòd vtrinque vnanimiter credimus & sentimus vnicum esse verum, naturalem Deum, conditorem omnium creaturarum, vnum in essentia ac natura, trinum in personis, videlicet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, prorsus sicut in concilio Niceno decretum est, & in Symbolo Niceno passim in tota Ecclesia Christiana canitur & legitur.

Secundò. Credimus, non Patrem, nec Spiritum sanctum, sed Filium Dei Patris, verum Deum, hominem factum esse, per operationem Spiritus sancti, sine virili semine, natum ex pura virgine Maria secundum carnem, perfectum corpore & anima, similem alijs hominibus, sine omni peccato.

Tertiò. Quòd hic Dei & Mariæ Filius, indiuisa persona, Iesus Christus, pro nobis crucifixus, mortuus & sepultus sit, resurrexerit ex mortuis, ascenderit in cœlum, sedeat ad dexteram Dei, Dominus omnium creaturarum, venturus ad iudicandum viuos & mortuos.

Quartò. Credimus peccatum originis ab Adamo in nos carnali generatione propagatum, tale peccatum esse, quod omnes homines condemnet, &, nisi CHRISTVS nobis opem sua

morte & vita tulisset, æterna morte nobis in eo moriendum fuisset, neque vnquam in regnum Dei & beatitudinem æternam peruenire potuissemus.

Quintò. Credimus nos à peccato originis & omnibus alijs peccatis & ab æterna morte redimi & liberari, cùm in Filium Dei IESVM CHRISTVM pro nobis mortuum credimus: nec sine hac fide, per vllum opus vel ordinem &c. ab vllis peccatis liberari posse.

Sextò. Quòd hæc fides sit donum Dei, quod nullis præcedentibus operibus aut meritis impetremus, nec proprijs viribus consequi nunc possimus. Sed Spiritus sanctus, vbi vult, dat & efficit fidem in nostris cordibus, cùm Euangelion seu verbum Christi audimus.

Septimò. Quòd hæc Fides sit nostra iustitia coram Deo, propter quam nos Deus iustos, probos & sanctos reputet, sine vllis operibus & meritis, & per hanc fidem nos à peccato, morte, inferno liberet, in gratiam recipiat, & saluet propter Filium suum, in quem credimus, & hac fide omnium beneficiorum, iustitiæ & vitæ CHRISTI participes reddamur. Quare totus monachatus & vota, cùm prodesse ad salutem existimantur, damnata sunt.

Octauò. Quòd Spiritus sanctus, de via ordinaria loquendo, nemini hanc fidem & donum suum largiatur, nisi præcedente concione seu verbo vocali, seu Euangelio Christi: Sed per & cum verbo vocali operatur & efficit fidem, vbi & in quibus ipsi visum est. Rom. 10.

Nonò. Quòd baptismus sit Sacramentum ad hanc fidem (efficiendam & obsignandam) à Deo institutum. Et quia mandatum Dei, Ite, baptizate, & promissio Dei, Qui crediderit, baptismo includitur: non nudum signum aut nota & tessera professionis Christianæ, sed signum & opus Dei est, in quo fides nostra requiritur, per quam regeneramur.

Decimò. Quòd hæc fides, per efficaciam Spiritus sancti, postquam

postquam per eam iustificati & sanctificati sumus, bona opera per nos operetur, videlicet, dilectionem proximi, inuocationem Dei & patientiam in cruce.

Vndecimò. Quòd Confessio seu petitio consilij (& absolutionis) apud Pastorem vel proximum suum, etsi non coacta, sed libera esse debeat, tamen valdè vtilis (& experienda) sit mœstis & afflictis, vel in peccata aut errorem lapsis conscientijs, præcipuè propter absolutionem seu consolationem Euangelij, quæ vera absolutio est.

Duodecimò. Quòd Magistratus, leges ciuiles, iudicia & ordinationes politicæ, vbicunque sunt, bonus & legitimus ordo sint, nec prohibiti sint, sicut aliqui Papistæ & Anabaptistæ sentiunt & docent: Sed quòd Christianus, qui ad Magistratum vocatur vel nascitur, benè per fidem CHRISTI saluari possit: Sicut ordo coniugalis, patris & matris, domini & matrisfamilias, &c.

Decimotertiò. Traditiones, quæ sic nominantur, seu ordinationes Ecclesiasticæ, ab hominibus factæ, si non pugnent contra manifestum verbum Dei, liberè seruari vel omitti possunt, prout homines sunt, cum quibus versamur, ita vt scandala non necessaria vitemus, & paci seruiamus. Et quòd prohibitio coniugij sacerdotum, sit doctrina Dæmoniorum.

Decimoquartò. Credimus & sentimus omnes de Cœna DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, quòd vtraque specie, iuxta institutionem, vtendum sit: Quòd Missa non sit opus, quo alter alteri, defuncto aut viuenti, gratiam impetret: Quòd Sacramentum altaris sit Sacramentum veri corporis & sanguinis IESV CHRISTI, & quòd spiritualis manducatio huius corporis & sanguinis, vnicuique Christiano præcipuè necessaria sit.

Similiter de vsu Sacramenti consentimus, quòd sicut, verbum,

bum, à Deo traditum & ordinatum sit, vt infirmas conscientias ad fidem & dilectionem excitet per Spiritum sanctum.

Etsi autem, an verum corpus & sanguis Christi corporaliter in pane & vino Cœnæ Domini præsens sit, hoc tempore non concordauimus, tamen vna pars alteri Christianam dilectionem, quantum cuiusque conscientia feret, declarabit, & vtraque pars Deum omnipotentem diligenter orabit, vt nos Spiritu suo in vera sententia confirmet, Amen.

Martinus Lutherus.

Philippus Melanthon.

Iustus Ionas.

Andreas Osiander.

Ioannes Brentius.

Stephanus Agricola.

Ioannes Oecolampadius.

Vlricus Cinglius.

Martinus Bucerus.

Caſparus Hedio.

Postquam

POstquam igitur in Colloquio Marpurgensi D. Lutherus Cinglium, Oecolampadium, Bucerum, & eorum socios, propterea, quòd in articulo de vera & essentiali præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini, diuersum à sententia sua docerent, pro fratribus agnoscere & recipere noluit: Landgrauius tamen, & alij boni & pacis ac concordiæ cupidi, non destiterunt in eo elaborare, vt dissensio illa de Cœna Domini piè componi & leniri, & Christiana pax & Fraternitas inter vtramque partem constitui posset.

Quare in Comitijs Augustanis, etiam ante exhibitam confessionem, Landgrauius Hassiæ scriptum quoddam de Fraternitate cum Cinglianis ineunda, Theologis Luthero coniunctis, Philippo Melanthoni & Ioanni Brentio exhiberi iussit: vt ad communem confessionis fidei subscriptionem Cingliani admitterentur.

De scripto illo, Philippus & Brentius Landgrauio sequentibus literis responderunt, quas, vt à Brentio ipso iamdudum editæ & publicatæ sunt, adiungo.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. PHILIPPO, LANDGRAVIO HASSIAE &c. PHILIPPVS MELANTHON, ET IOANNES BRENTIVS.

ILluſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime, Scriptum de ineunda cum Cinglianis fraternitate, nobis redditum, ſtudioſè, diligenterq; legimus: & C. V. humilimè oramus, vt noſtrum reſponſum clementer accipiat.

Poſſumus enim Deum vocare teſtem, nos nullius hominis amore aut odio in hoc negocio duci. Nam diſſenſionem hanc incidiſſe ex animo dolemus: nec quidquam nobis in hac vita ad acerbiſsimi doloris ſenſum grauius poteſt accedere, quàm quòd in hac cauſa videmus multos incertis & falſis opinionibus applaudere, ex quibus maiores Eccleſiarum diſtractiones, & conſcientiarum perturbationes ſequuntur: per quas etiam, ſubinde ad alios errores, maiori cum periculo coniunctos homines delabuntur. Cuius rei iam multa exempla extant.

Quidam enim, qui initio duntaxat de Cœna allegorias in medium attulerant, iam eaſdem, in alijs articulis quærunt, nempe Campanus, Martinus Cellarius, Caroloſtadius, Felinus. Præterea quieſcere non poſſunt, ſed aſſiduis practicis in eo laborant, vt per factiones, & vim, ſi aliter non poſſint, errores ſuos tueantur & propagent: Vnde non ſolùm cruenta & horribilia bella, verùm etiam maiores diſtractiones in Eccleſia, & diſſipationes Imperiorum, aliquot ſeculis, imò ad finem vſq; mundi vix reſarciendæ, conſequi poſſent. Deum immortalem, quàm triſte ſpectaculum eſt, horrenda iſta, vel tacitis duntaxat cogitationibus perſequi.

Perſuadeat ergò C. V. ſibi de nobis, nos ita non his rebus delectari, vt ſeriò etiam perturbemur, nec (de quo fortaſſe ſuſpecti quibuſdam eſſe poſſumus) captandæ laudis gloriæq; cauſalites contentionesq; mouere. Atq; ideo etiam humiliter Celſ. V. oramus, vt reſponſum noſtrum clementer audiat. Breuitati enim

enim ſtuduimus, ne C.V. detineremus longiùs: Deinde, quòd nõ iudicaremus neceſſarium ad ſingula capita ſcripti nobis propoſiti reſpondere.

Initiò autem, quod ad Fraternitatem attinet, fortaſſis Chriſtiani, qui aliquo errore impliciti ſunt, nec tamen pertinaciter errorem defendunt, vt Fratres tolerari poſſunt, vt & ipſe Seruator CHRISTVS diſcipulos ſuos tolerabat. At qui doctrinam falſam non modò introducunt in Eccleſiam, ſed etiam defendunt, pro fratribus agnoſcendi non ſunt: nullo enim modo falſæ doctrinæ aſſentiendum eſt. Quare quæ in eo ſcripto, quod nobis redditum eſt, de tolerandis infirmis prolixè agitantur, de ijs demum infirmis intelligenda ſunt, qui incerta dogmata ſua non defendunt, ſicut Paulus Galatas ſuſcepit: & tamen de ijs, qui falſam doctrinam defendebant, dixit: Vtinam abſcindantur, qui vos labefactant. Hæc noſtra eſt de hac re ſimplex ſententia, quam etiã ſperamus nos Deo approbaturos. Quomodo enim poſſumus cum aduerſarijs fraternitatem inire, atque ita conſentire, vt doctrinã ſuam velut veram & certam propugnent, cùm tamen conſcientia noſtra aliter ſentiat & ſtatuat, nec per diſputationes illorum certa reddi queat?

Bono fortaſſis animo candidoque, author huius ſcripti diſputationem iſtam inſtituit: ſed de Fide nimis frigidè loquitur, quia nõ magni referre putat, etiamſi in articulis aliqbus in Scriptura traditis erretur: nec neceſſe eſſe, vt certi ſimus de eo, quod credimus & docemus. At quando conſcientiæ inter certum & incertum fluctuant, in iudicio Dei ſeueriori illo conſiſtere nequeunt, ſicut Paulus dicit: Quidquid non fit ex fide, peccatum eſſe. Magna ergò cura, diligentiáque rerum ſacrarum experientia opus eſt, vt fides in ſeueriſſimo illo iudicio firma immotaq; poſſit conſiſtere.

Nec Articuli de Sacramentis, velut exigui momenti, parui pendendi ſunt. Cùm enim tota Eccleſia quotidie in Sacramentorum adminiſtratione occupata ſit: magnæ & triſtes offenſiones & ſcandala exiſtunt, cùm in illis erratur. Sed facilè coniecturam facere poſſumus, vnde noua hæc Theologia proficiſcatur, quæ patùm referre exiſtimat, quicquid tandem in Eccleſia doceatur: ac Deo ſatisfactum eſſe iudicat, ſi primùm quidem otio paciq; ſtudeamus, deinde vitam virtutibus politicis vtcunque exornemus.

Sed si ea perfecta & absoluta ad benè beateq; viuendum ratio est, multi Philosophi Ethnici in numerum Christianorum erunt referendi. Nec de doctrina ex specie vitæ ciuilis, sed ex verbo Dei iudicandum est.

Quantum ad secundam partem attinet, de Concilio vrgẽdo: Si ea ratione Cæsarea Maiestas in hoc conuentu procederet, sicut literæ Indictionis præ se ferunt, posset sanè pro Concilio agnosci. At, siue in Concilio, siue extra Concilium simus, officij nostri ratio flagitat, vt fidem nostram ingenuè profiteamur, nec alios impediamus, quò minùs doctrinam falsam prohibeant. Præterea diligenter cauendum est, ne nimia subtilitate, quæ tamen nihil habet certi, cursus doctrinæ veræ & certissimæ impediatur, quod sanè iam etiam aliqua ex parte fieri experimur. Videmus etiam Zuinglianos, non expectato decreto Concilij, Papistas & Anabaptistas persequi. Cur igitur alij iniustè facere iudicarentur, qui falsam ipsorum doctrinam, extra Concilium prohibent, præsertim cùm ea prohibitione, vera & certa doctrina promoueatur, & pax conseruetur?

Postremò C.V. propter Deum obsecramus, ne in hoc magno & arduo negotio de Cœna Dominica patiatur se à verbis Institutionis, ad nescio quas allegorias abduci. Nam in ordinationibus diuinis, proprietas verborum retinenda est. Et quidem, si rationes, quibus Zuinglius mouetur, conscientijs ita satisfacerent, vt in iudicio Dei ijs niti possent, facilè nos quoque allegorias ipsius approbaremus: sed scimus non posse conscientias istis argumentis acquiescere. Manifestum autem est, horribiliter eos peccare, qui incertam doctrinam pro certa tueri volunt, eaq; ratione tetris distractionibus & bellis causam præbent. Nolumus enim C.V. celare, Zuinglianos, qui hîc sunt, magnificè se iactare, quòd pecunia & viris instructi sint, & quæ peregrinarum gentiũ auxilia habeant, Item, qua ratione Episcopatus distribuere, & se in libertatem vindicare velint. Valdè autem miramur eos, qui tantopere alioquin de Christiana caritate gloriantur, talib⁹ practicis sese dedere, in quibus parum Christianæ caritatis, obedientiæ & patientiæ animaduertitur: ac etiamsi veram doctrinam tuerentur, talia tamen consilia, de quibus ipsi sese iactitant, nequaquàm Christiana sunt, ex quibus horribilis Ecclesiarum & Politiarum

tiarum confusio secutura esset. Profectò in re tanta, posterorum tamen ratio habenda esset, qui tali seditione excitata, nullam Ecclesiam aut Politiam tranquillam habituri sunt. Ad hæc omnia metuimus etiam hoc ipsorum propositum, infelicem exitum tãdem habiturum esse. Oramus autem C.V. vt simplicem hanc nostram sententiam clementer accipiat. Nam Deus nobis testis est, nos in hac re commodum nostrum nequaquam spectare, sed Deum Opt. Max. ardentibus votis orare, vt Cel. V. ab erroribus & omnibus malis custodiat. Videmus Diabolum horribilem Tragœdiam machinari. Quare cauendum est nobis, ne quid temerè agamus. Hæc C.V. breuibus respondere voluimus. Quòd si harum rerum explicationem copiosiorem C.V. à nobis requirit, omni diligentia & fide, vt nos debere fatemur, prolixiùs de re tota sententiam nostram exponemus. Deus Opt. Max. Cels. V. clementer tueatur, Amen.

RESPONSIO LAND. GRAVII HASSIAE.

Dilecte Brenti & Philippe. Literas vestras legi, & clementer accepi. Quod autem initio scribitis, Campanum, Martinum Cellarium, & alios, suis opinionibus, pernicioſas sectas inuehere: valdè doleo. Credo etiam Zuinglium & Oecolampadium non minùs, quàm vos, dolere. Sed propter illorum opiniones non sunt alij innocentes damnandi: Alioquin dici posset Lutherum etiam multis malis causam præbuisse, sicut Papistæ palàm dicunt.

Quòd verò ad Scriptum, de Fraternitate cum Zuinglianis ineunda (quod non alio quàm bono animo à me vobis missum existimabitis) breuiter respondetis: Non esse pro fratribus agnoscendos, qui falsam doctrinam defendunt, & Pauli dictum allegatis: nescio sanè an ex eo dicto confirmari possit, quod vos inde deducitis. Iudico enim errorẽ illum de Circumcisione, rem lõgè diuersam esse à casu præsenti. Iudæi. n. sentiebãt Circumcisionẽ necessa-

necessariam esse ad salutem. Ideò eos reprehendit Paulus, inquiens, velim vt abscindantur; Non dicit, vos Diaboli estis, & non ampliùs tolerandi.

Præterea hæc de Sacramento dissensio, illi longè dissimilis est. Siquidem nos vnanimiter vnum Christum credimus & confitemur, & per hunc solum saluari intendimus. Illi etiam quos errare dicitis, verbum Dei in omnibus verum esse credunt. Tantũ de intellectu verborum Cœnæ aliud sentiunt.

Itaque mihi videtur, cùm in omnibus alijs articulis vobiscũ consentiant, & Christum eadem ratione, qua vos, confiteantur: concedant etiam Christum in Cœna per fidem manducari, quæ manducatio ad salutem necessaria est: nec Omnipotẽtiæ laudem Deo adimant, sed iuxta analogiam fidei & secundum Scripturam sic intelligenda esse verba sentiant, vt ipsi intelligunt: Cumque Christus, quia clarificatum corpus habet, quo venter cibari nequit, vix aliter manducari possit, quàm à credentibus & per fidem: hæc, inquam, cùm ita se habeant, mihi videtur sententia & responsio vestra (durior &) non necessaria esse. Spero etiam, Deo dante, vos diligentiùs cogitaturos, & rectiorem sententiam sequuturos esse.

Quod etiamsi propter dogmatistas vobis non faciendum esse putaretis: tamen cæterorum etiam rationem habebitis, qui in vrbibus illis habitant, ac etiamsi errarent, tamen pro errore illo non pertinaciter propugnant. Multi etiam in illis regionibus & vrbibus idem vobiscum sentientes viuunt. Iam si tota aliqua regio, propter hoc dogma cõdemnari, & bello opprimi deberet: communis calamitas, vobiscum consentientes & dissentientes inuolutura & oppressura esset.

Omnino autem spero, vos illius Spiritus filios esse, de quo Christus inquit: Filius hominis non venit, vt perderet, sed vt saluaret, cùm discipuli ignem de cœlo descendere vellent, sicut fecerat Helias.

Neque opus est eos in hac ipsorum opinione à vobis defendi, sed tantùm tolerari & erudiri, & tempestiuè ac intempestiuè moneri, vt Paulus inquit. Hoc autem officium eis debetur, vt in ea doctrina, quam vos ipsi rectam esse iudicatis, eos tueamini & propugnetis, non gladio, quod ad vestras personas attinet; Sed verbo, & vocis ac scriptorum testimonijs adstipulantibus.

Scire

Scire etiam velim, an Lutherus VValdenſes, qui eiuſdem opinionis cum Cinglianis eſſe dicuntur, ſicut autor Scripti vobis miſſi indicat, Fratres nominauerit.

Quòd autem autorem Scripti inſimulatis, quaſi de fidei articulis languidiùs ſentiat: exiſtimo fortaſſe vos ita ſentire, quia ipſorum dogma odiſtis. Ego verò planè ſtatuo, autorem non ſentire, incerta & dubia credenda & docenda eſſe, aut operibus & diſciplina externa in cœlum perueniri, vt Philoſophi cenſent: ſed hanc eius ſententiam eſſe, vbi vera fides ſit, ibi bona opera & mores honeſtos certò ſequi. Cùm igitur aliqui veram fidem & opera habentes, quaſdam Scripturæ partes non planè eodem modo intelligant: hos tolerandos & non abijciendos eſſe. Nam qui non contra nos eſt, pro nobis eſt: inquit Chriſtus, Luc. 9.

Quod autem ad Concilium attinet: exiſtimo omnibus nobis opus eſſe, ne inauditi condemnemur. Quòd ſi hæc Comitia Cõcilium eſſe debent, nullum ſimile vnquam fuiſſe arbitror. Ac ſi omnes, qui CHRISTVM confitemur, decretum præſentis in hac vrbe conuentus expectare debemus, & tum aliter credere vel lemus: ego ſanè nihil me vnquam in Scriptura legiſſe malim. Ego verò, iuuante Deo, id nequaquam faciam. Certò etiam confido, vos bonos & doctos viros, quos iam pro columnis noſtris habeo, ad huius decreti normam, conſilia & actiones veſtras, non accõmodaturos eſſe. Quòd verò fidem veſtram confitemini, id nemo vobis vitio vertet, & pia, ingenua & vera confeſſio omni laude digna eſt.

Sed vi & armis prohiberi doctrinam, quæ nec articulum aliquem fidei abolet, nec ſeditioſa eſt, non iudico iuſtum eſſe: Et tamen erudiri cupio. Meæ ſententiæ rationes tres ſunt.

Prima. Quòd Chriſtus inquit, Sinite zizania cum tritico creſcere: Et Paulus, Quouis modo, ſiue per occaſionem, ſiue ſincerè, modò Chriſtus prædicetur.

Secunda. Quòd Lutherus, cùm concionari & ſcribere cœpit, fideliter hortatus eſt & docuit Magiſtratum Politicum, non eſſe officij ipſius prohibere libros, aut conciones impedire: Quia Magiſtratui corporum ſolummodo & facultatum, non conſciẽtiæ & animarum gubernatio commendata ſit.

Tertia. Quòd Cingliani, vt nominantur, nondum conuicti ſunt,

sunt, vt errorem suum fateantur, aut quòd talis error sit, qui contra sublimem Maiestatem Dei pugnet.

Quòd verò Zuingliani Papistas persequi dicuntur: id nunc primùm audio: Tametsi abusus Pontificios ab eis abrogari, non iniquum est, cùm operibus suis cœlum promereri velint, atque ita Filium Dei blasphement.

Quòd Anabaptistas persequuntur, nõ iniustè faciunt, cùm doctrinam seditiosam aliqui profiteantur. Intelligo tamen eos, q non sunt seditiosi, à cæteris discerni & tractari mitiùs.

Postremò. Quod de factionibus & practicis Cinglianorum meministis: spero rem non ita se habere. Peto autem, vt indicetis horum rumorum autores, vt veritas patefiat. Non enim existimo Cinglium & Oecolampadium eo animo esse, quòd Episcopatus diuidere vel seditiones excitare cupiãt. Quòd autem ipsorum Magistratus, multorum amicitiam & coniunctionem, in necessitate ipsis opem ferentium, expetunt, id reprehendi neqt, cùm N. ipse fœdera cum Principib. & ciuitatibus fecerit, & quotidie plurium societatem ambiat.

Quare concludens, propter gloriam Dei, & propter Ecclesiam & Rempublicam, vos obtestor, si omnino fieri potest, vt amicam & fraternam pacem, cum ijs, qui Zuingliani vocantur, faciatis. Cogitate, quanta humanitate & lenitate Apostolus & multi Patres inter se mutuò & erga alienos vsi sint. Scitis enim neminem cogi ad fidem posse, & corda primùm persuaderi oportere. Nam externa mandata & coactio nihil hac in re prosunt, sed institutione opus est, vt intelligatur cupere vos summa fide Zuinglianos rectè erudire & non perdere.

Prorsus etiam non spero vos existimare, Zuinglianos vi ad vestram fidem cogendos, vel bellum ipsis, doctrinæ, quam profitentur, causa, inferendum esse. Quod cum omni scriptura & ipsius Lutheri libris pugnaret, qui multa huius argumenti de Turcis, quorum fides prorsus impia est, scripsit. Sed de vobis talia non spero, etiamsi varia ad me perferantur. Vos vt respondeatis, peto.

Quòd me obsecratis, ne à vero intellectu verborum Sacramenti me abduci patiar: non est quod dubitetis: Deo enim volente promissionibus diuinis confidam, & verbo eius credam. Tametsi

metsi in hac causa vestram sententiam veram esse, expresso textu, sine glossa, certior reddi non possum. Sed libenter vos omnes & singulos audiam, & rationem meam, veræ sententiæ captiuã ducendam verbo Dei præbebo.

Vicissim autem vos, velut fratres in Christo, monere volo, vt vobis ipsis diligenter attendatis, &, quorum oculi in vos conjecti sint, consideretis, & ea, quæ pacis sunt, consulatis & agatis, ne occasionem præbeatis, vt Cæsar & Principes bello Zuinglianos inuadant, atque ita multi innocentes, etiam non adhærentes ipsorum opinioni, vnà cum nocentibus interficiantur: Cuius Tragœdiæ periculum ad omnes pios in tota Ecclesia pertineret & postea in nos redundaret. Euenire etiam posset, vt ab vna parte Cæsar & Principes, ab altera Heluetij, ciuitates & Rustici, ita se mutuo atterrerent & perderent, vt Magistratus etiam, Deo permittente, in periculum venire possent, & viduæ ac pupilli vitam & facultates amitterent.

Hæc vestri monendi causa scribo, & à vobis hac in re, non meam personam, sed Dei gloriam spectari volo. Oro etiam, vt longiores literas meas ex animo amico & pacis cupido profectas, sine tædio accipiatis. Libenter etiã coràm vobiscum de hac causa prolixiùs colloquar.

His Landgrauij Hassiæ literis Philippus & Brentius sequenti Epistola responderunt.

ILlustrissime Princeps, Domine Clementissime. Reuerenter Cels. V. gratias agimus, quòd literas nostras clementer accepit: Nec dubitamus Cels. V. fideli animo, in hac causa, communem & publicam salutem multorum populorum spectare. Denuò igitur subiectissimè oramus, vt Cels. V. consideratis causis, quas nuper indicauimus, ita sibi persuadeat, verè nihil nos petulãter in hac causa agere, sed consilia & actiones nostras ita instituere, sicut coram Deo nos rationem de ijs reddituros esse confidimus.

Nouit etiam Cels. V. nos duos, hactenus nec scriptis, nec alia ratione, quidquam inhumaniùs aduersus Cinglanos edidisse.

Multos

Multos etiam in eorum numero bonos amicos habemus, vt maiorem nobis dolorem hæc distractio, quàm multis alijs, adferat.

Quantum verò ad Fraternitatem attinet, Celſ. V. ſimplicẽ ſententiam noſtram legit, quòd in eam conſentire non poſſim⁹, propterea, quòd talis Fraternitas ſine ſcandalo iniri nõ poſſit. Neceſſariò enim ſequeretur, vt alij ſentirent, nos in eorum doctrinã conſentire, eamq; confirmare, & ſtabilire, quam tamen corã Deo defendere & tueri nequimus.

Deinde Celſ. V. facilè cogitare poteſt, multò maiora nobis à Cæſare pericula, quàm Cinglianis imminere, multis de cauſis, quas recenſere nihil opus eſt. Itaque nihil adhuc conſtituere certi poſſumus, quomodo ſe res daturæ ſint, in petendo Concilio, non quòd fidem noſtram à Cõcilio primùm diſcere velimus, ſed vt aduerſus iniuſtas perſequutiones & iniurias aduerſariorũ per appellationem ad Concilium nos tueamur.

Si autem Deus gratiam ſuam largiretur, vt doctrina noſtra, quam certam & neceſſariam eſſe ſcimus, à Cæſ. M. deinceps etiã, ſicut hactenus, toleraretur: exiſtimamus id non impedire nos debere defenſione Cinglianæ doctrinæ, ſi eam tolerare Imperator nollet.

Nos etiam, pro ſimplicitate noſtra, videre non poſſumus, Fraternitatem iſtam publicæ paci profuturam eſſe. Nam ſi C. M. perſequi Cinglianam doctrinam vellet, nequaquam inſtitutum ſuum propterea mutatura eſſet, quòd nos Fraternitatem cum illis inijſſemus. Imò maior & horribilior Tragœdia inde exiſteret, quod ſæpe in hac cauſa metuimus.

Præterea ſi noſtri mala conſcientia & ſine fide Cinglianam doctrinam defenderent, non valde gratum hac re officium Deo præſtituri eſſent.

Quod verò allegatur, populo parcendum eſſe, etiamſi dogmatiſtæ oppugnentur, reſpondemus, neque hîc, neque in Concilio, de perſonis agi, ſed tantùm de doctrina, an vera vel falſa ſit. Hîc vnuſquiſque ad edendum fidei ſuæ confeſſionem obligatus eſt. Executio autem contra doctrinam damnatam, non eſt in noſtra poteſtate. Et Chriſtianæ pietati conueniret, in executione diſcrimen ſeruari inter dogmatiſtas & populum, ſicut ſemper in Eccleſia ſeruatum eſt. Speramus tamen, ſi ciuitates, quæ ſub Imperatore

peratore sunt, obedientiam debitam præstabunt, posse hanc causam sine bello componi.

Rectè etiam & piè nostro iudicio Principes & ciuitates, Lutherani & Zuingliani facerent, si nos, qui docemus, doctrinam nostram defendere sinerent: nec armis nos, præsertim contra C. Maiest. defendere niterentur: sicut Dux Fridericus, laudatissimæ memoriæ, suo periculo Lutherum docere permisit, nec contra Cæs. Maiest. tueri eum voluit. Si eodem modo nunc Principes affecti essent, nos miseri ministri, leuiores curas sustineremus, & alacriori animo pericula subiremus, & Principes ac cæteri Magistratus magis quieti & tranquilli viuere possent.

Quòd Cel. V. indicat, auditos esse ex nobis sermones, quòd violenta persecutione Zuinglianorum delectemur, iniustè sanè hac calumnia oneramur. Cupidissimi enim pacis sumus, sicut constat, nos semper inquietas practicas & tumultus dissuasisse, & orasse, vt nos doctrinam nostram ipsi defendere sineremur: sicut, Deo iuuante, in hoc etiam conuentu testabimur. Gloriari autem aliquos de Zuinglianis ad bellum instructis & paratis, verè apud Cels. V. affirmare possumus, in hac vrbe Augusta, in Rotvvilensis tumultus narratione & aliâs, auditum esse.

Illustriss. Cels. V. nouit hanc causam Dei causam esse, in qua Dei auxilium expectandum sit: qui haud dubiè nostri etiam non obliuiscetur, si modò non nimium festinabimus illegitimis præsidijs & consilijs nos ipsos tueri. Expectare nos oportet, quid Deus suo tempore acturus sit, nec prȩuenire illegitimis practicis, sicut Ezechias & alij expectarunt & auxilium oportunum consecuti sunt. In his periculis nos exercere fidem oportet, alioquin nunquam, quid sit fides, discemus.

Quare oramus C. V. vt patienter Dei auxilium expectet, nec nimium properet quærendis humanis auxilijs, quæ tamen sæpe etiam in bonis causis frustrantur.

Articulos Doctrinæ eiusmodi habemus, de quorum veritate per Dei gratiam certi sumus, & quorum causa pati bona conscientia possumus. Quæ in omnibus periculis magna consolatio est. Sed de Zuinglianæ doctrinæ, vt nominatur, veritate certi esse non possumus, cùm de ea clarum & expressum verbum Dei nullum habeamus.

Hæc Cel. V. respondere breuiter voluimus, & subiectissimè

oramus, vt Celſ. V. literas noſtras clementer accipiat. Si Celſ. V. ampliorem declarationem requiret, reuerenter Celſ. V. morem geremus, ſicut C. V. nos debere agnoſcimus. Deum oramus, vt Celſ. V. incolumem & florentem perpetuo ſeruet.

Cùm autem hac Landgrauij interceſsione obtineri nõ potuiſſet, vt Zuingliani in fratrum numerum à Saxonicis recepti, ad communem ſubſcriptionem admitterentur: tamen poſt exhibitam quoq; à noſtris Confeſsionem, Bucerus non deſtitit, ineundæ conciliationis & cõcordiæ rationes, omni cura & ſtudio vrgere. Cumque apud Gregorium Pontanũ, Electoris Saxoniæ Cancellariũ, aliquoties dixiſſet, de reipſa inter ſe & Electoris Saxoniæ Theologos conſenſum eſſe, tãtùm loquendi formas diſsimiles hactenus vſurpatas, & ſecus quàm autorum ſententia fuerit, ab altera parte acceptas, occaſionem tanto certamini præbuiſſe, & totam controuerſiam placido colloquio dirimi & componi poſſe: Pontanus ſcripto Bucerum ſententiæ ſuæ, viua voce apud ſe expoſitæ, ſummam complecti iubet. Id ſequenti Epiſtola Bucerus præſtitit.

EPISTO-

EPISTOLA MARTINI BVCERI AD D. GREGORIVM PONTANVM, ELECTORIS SAXONIÆ CANCELLARIVM.

QVòd hesterna die M. V. pollicitus sum, me sermones illos, nempe quòd, Deo teste, nos in causa Cœnæ Dominicæ, verbis tantùm à D. Luthero dissentire dixi, breuibus articulis comprehensurum esse, istud nunc animo simplici, candidoq; præstiti, ea complexº, quæ & in conscientia mea & coram Deo vera esse iudico.

Subiectos igitur articulos ad vos mittens, reuerenter oro, vt in eum finem ijs vtamini, in quem à me sunt cõscripti, nempe, vt Deo cooperante & faciente, dissensiones tam periculosæ vel penitus tollantur, vel ad minimum leniantur.

Quàm infelici conatu hactenus compositio illa tentata sit, & qui de ea peruulgati fuerint rumusculi, si cõsiderare voluissem, causæ multæ, graueſq; satis mihi in mẽtem venire potuissent, me monentes, vt rem totam intactam relinquerem. Sed cùm aliter iudicare non possim, quàm D. Lutherum, & alios ei coniunctos, qui nos fratrum albo expunxerunt, gloriam Domini nostri Iesu Christi ex animo & summa fide quærere ac promotam velle, facere non possum, quin omnes vias persequar, quæ mihi ad tollendas dissensiones & recuperandam concordiam aliquid facere videntur. Crucem hac ratione me non effugiturum, sed illa me magis oneraturum esse certò scio. Nam Princeps mundi tantò sæuiet atrociùs, quantò nos diligentiores in cõsequendo regno Christi & componendis dissidijs fuerimus. Deinde hoc quoq; verum esse necesse erit, electorum paruum esse numerum. Hi igitur licet in omnibus vnum idemq; sentirent: tamen à reliquis erroribus & næuis, quos Satan nonnunquam adspergit, aliter liberari non possent, quàm per vulnera Christi. Hoc dignitatem vestram nunc liberatam, iampridem in Christiana sua vita per experientiam didicisse & cognouisse, non dubito.

Omnia verò, quæ sum subiecturus, ea me credere & sentire, Deo ac conscientia mea teste, profiteor, per hæc nullius fidei detrahens aut addens quicquam. Sed tamen pro vero affirmare non dubito, controuersiam inter Lutherum, & Zuinglium & Oecolampadium, quantum ego intelligo, in tribus consistere punctis:

Quomodo scilicet verba illa: Hoc est corpus meum, sint intelligenda?

Quomodo homines corpus Christi comedant?

Qui illud accipiant?

Verba illa: Hoc est corpus meum, secundum τὸ ῥητὸν, non minùs, quàm Lutherus, vera esse dicimus, licet aliqui ex nostris ea ita sint interpretati, vt vocabulum Est, pro verbo significat, & corpus, pro figura corporis acceperint, quæ duæ loquendi formulæ, vt Lutherus ipse in sua confessione fatetur, vnum idemq; significant.

Causas verò, ob quas illa verba nostri ita sint interpretati, & ob quas Lutherus interpretationem illam reiecerit, cõsiderans, nullam prorsus dissonantiam reperio. Nostri enim his causis moti hoc fecerunt, quòd multorum hominum ea esset opinio, panem esse corpus Christi, & panem comedentem, Christum comedere, nulla prorsus habita ratione gratiæ diuinæ & fidei. Quam opinionem non tantùm hactenus doctrina sua Lutherus oppugnauit, verùm etiamnum oppugnat.

Alij deinde sunt, qui locutionem hanc, Hoc est corpus meum (de pane scilicet dictam) cum illa conferre voluerint: Hic est Filius meus: Id quod præcipuè scribendi occasionem dedit Oecolampadio, vt in Dialogo suo testatur ipse. Ac inde factum est, quòd nostri panem corpus Christi substantialiter & corporaliter esse negarunt. Hoc autem & Lutherus in Confessione sua negat, perspicuis verbis panem & corpus CHRISTI, duas diuersas substantias & naturas esse, & sacramentaliter vniri demonstrans. Quòd verò Lutherus nostrorum interpretationem reiecit, ex eo (quantum ego quidem ex scripto eius iudicare possum) factũ est, quòd præsentiam Christi, per eam in Cœna tolli & remoueri, fuit arbitratus.

Nostri verò panem eiusmodi signũ corporis Christi nequaquã esse

esse dicunt, per quod corpus Christi abesse, vel non sumi denotetur, id quod multis scriptis editis hactenus testatum fecerunt.

Deinde & hoc manifestum est, ex hac locutione, qua Panis figura & signum corporis Christi esse dicitur, nequaquam sequi, quòd corpus CHRISTI propterea non adsit: Aliâs enim de Augustino quoque dici posset, quòd nudum panem in Cœna esse senserit, cùm tamen contraria sententia in libris ipsius vbique reperiatur. Nam contra Adimantum scribens his verbis vsus est: Christus non dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cùm daret signum corporis sui.

Cùm igitur nostræ partis Doctores per interpretationem suam Christi præsentiam tollere aut negare nequaquã voluerint, sed in omnibus scriptis & libris suis eã sint testati, nec aliud quippiam quàm hoc planum facere & obtinere interpretatione sua studuerint, quòd panis non sit substantialiter corpus CHRISTI; hac ratione vulgum à pane visibili, ad Christum inuisibilem adducere volentes: equidem non dere, sed tantùm de verbis cõtentiones esse reperio.

Cùm igitur à veteribus & neotericis Ecclesiæ Doctoribus, multa sacræ Scripturæ dicta aliter explicentur, nec tamen ob hoc alter alterum condemnet, dum in sententia & sensu verborum error nullus committitur, certè aliter iudicare non possum, quã & nunc ex Christiano amore idem fieri posse, cùm certè necesse sit, vt aliquando fateamur, hanc locutionem, Hoc est corpus meum, non simplicem, sed tropicam esse. Non enim verba illa explicatione indigere, vllus sapiens negat, nec à Scholasticis & alijs Doctoribus eodem modo declarantur. Adhæc Augustinus quoque & Hieronymus eo sensu, quo nostri, verba illa intellexerunt. Denique nostri causam suam nequaquam interpretationũ modis aut formulis fundarunt: sed illud tantùm oppugnarunt, Panem Christi corpus substantialiter esse, vel corpus Christi corporaliter adesse crasso illo modo & intellectu, quo vulgus illud ad esse opinatur. Nam Lutherus opinionem illam ipse reijcit.

Altera controuersia in hoc versatur, quòd quæritur: Quomodo corpus & sanguis Christi adsint. Nostri ea præsentia esse, & contemplatione fidei percipi, dicunt: Id quod à nonnullis nõ maiorem emphasin habere dicitur, quàm si quis absentis recordetur amici. Sed nostri præsentiæ illi multò plus tribuunt, vt

quæ per certissimum Dei verbum, & potentē Spiritus sancti cooperationem consistat.

Quòd verò à verbis illis, substantialiter, & corporaliter, abhorrent, tantū ex eo est, q̄ vulgus per illa eiusmodi præsentiam imaginatur & intelligit, quæ per motum fiat & localiter. In quo sensu nec Lutherus ipse hæc verba accipit. Equidem Lutherus fatetur, nostros, Dominum cœlos ascendisse, & mundum deliquisse docētes, cōcludere ipsum propterea in pane esse nō posse, ac nostros de eo tantùm præsentiæ modo loqui, qui requiratur.

Si igitur alias loquendi formulas, quibus Lutherus in describenda hac præsentia vtitur, inter se confero, nempe, quod motū & localitatem (vt scholastici) tollit: Itē, quòd de locutione hac, in pane est corpus CHRISTI, nolit contendere, sed quòd corpus Christi adesse, nec nudum panem & vinum exhiberi sciat, contētus esse velit: Item, quòd fatetur, Christum nihilominus per verbum in Sacramento præsentem esse, licet in aliquo certo cœli loco sit, vt flammula in certo Crystalli loco est, & tamen in omnibus tanquam præsens apparet: Item, quòd ipse omnesq; sectatores ipsius dicunt, præsentiam illam per verbum fieri: Item, quòd Brentius, os corporis panem, os verò fidei corpus Christi comedere scripsit: Item, quòd Philippus, concordiæ causa, Marpurgi deliberandum proposuit, de verbo ad verbum verum esse nostri sentiunt. Paulus non reformidat has figuras, Christus habitat in nobis: Quare nec nobis, vt credo, reformidādæ essent hæ locutiones, Christū verè adesse cū Sacramēto, quandoquidē agat ibi. Nec Christus quidē dubitat dicere, Veniemus, & māsionem apud eos faciemus. Item Augustinus dixit, Filium hominis in vnitate personæ in cœlo fuisse, cùm in terra loqueretur.

Cùm igitur has locutiones penitus introspicio & cōsidero, aliter iudicare non possum, quàm Lutherum ipsum & sectatores eius omnes fateri, neminem alia ratione Christi corpus vel dare, vel comedere posse, quàm in & per verbum, atq; ita cōtemplatione fidei, quæ deinde verbum accipit & amplectitur, & per illud corporis & sanguinis Christi fit particeps.

Licet enim D. Martinus scribat, fatendum esse, corp⁹ Christi ore percipi, dentibus conteri, & alia plura, quibus loquendi formulis etiam Chrysostomus vtitur: tamen & hoc fatetur, corpus Christi per se non manducari, nec dentibus conteri ea ratione,

ne,

ne, qua visibiliter alia caro manducatur & conteritur: sed quæcũ que in pane fiunt, ea propter Sacramentalem vnionem de corpore Christi quoq; dici & intelligi posse.

Adhæc sanctorum Patrum dicta, de Sacramento agentia, diligentiùs considerans reipsa experitur, eos nequaquam diffiteri, aut inficias ire, quòd corpus Christi verè sit in Cœna præsens & manducetur, ita vt semper corpus & sanguinem Christi animo & fide præsentia statuant & exhibeant, panem & vinum, corpus & sanguinem Christi nominando. Id quod Chrysostomus admodum perspicuè in libro de dignitate Sacerdotali significat, his verbis: Quando enim vides Dominum immolatum, & Sacerdotem sacrificio adstantem & propitiantem, omnesque illo pretioso sanguine rubefieri, nunquid adhuc eum præsentem esse putas, & super terram stare? an non potiùs mox in cœlum transis, & abijciens omnem carnalem animæ cogitationem, nuda anima & pura mente, quæ in cœlis sunt, circumspicis? O miraculum, ô Dei misericordiam, qui cum patre sursum sedet, hora illa omniũ tenetur manibus, & dat se volentibus accipere & amplexari.

Ex his omnibus plura testimonia, hæc vocabula, corporaliter, substantialiter, & similes locutiones confirmantia, adducere, & in medium proferre non possum: Quam sententiam & nostri probant, sed non secundum communem & crassum vulgi intellectum. Atqui Lutherus ipse verbis illis vtitur, vt verum Christi corpus pro nobis crucifixum & passum, verè præsens esse & manducari doceat: Cui opinioni & nostri adstipulantur, vt Oecolampadius in Dialogo suo testatur. Ac certè de Deo locuturi fateamur necesse est, verba illa, Hoc est corpus meum, non plus significare, quàm quod agitur, & quod à credentibus contemplatione fidei fit. Id quod cum illo conuenit, quod M. Philippus, concordiæ causa, tum seriò illic proposuit: Christus habitat in nobis, & mansionem apud eum faciemus.

Tertiò de illo etiam controuertitur, an impij corpus Christi percipiant. In quo nostri eò respexerunt, quod CHRISTVS illis: Hoc est corpus meum, dixit, quibus paulò pòst dixit, Quod pro vobis traditur, qui ꝓ vobis & pro multis alijs effunditur, hoc est, ad veros discipulos tunc orationem conuertit. Cùm enim pro multis, & non pro omnibus sanguinem suum effusum iri

dixerit, ipsum de ijs tantùm locutum esse constat, qui mortis & passionis eius verè participes facti sunt. Omnes item Patres, quæ S. Iohannes de manducatione scripta reliquit, ad Cœnam retulerunt (vt & Christus hæc verba tempore Cœnæ protulit) quo certè Patres innuere voluerunt, Christum in Cœna non tantùm Sacramentalem, verùm etiam corporis & sanguinis sui manducationem & vsum ad salutem instituisse. Igitur Augustinus scribit, Discipulos manducasse. Ac licet Patres sæpè dicant, Iudam & alios impios corporis Christi fieri participes: tamen eiusmodi Patrum locutiones de Sacramentali vnione dictæ videntur, cùm impij panem & calicem Domini non percipiant. Hæc tamen controuersia facilè componi posset, si, quemadmodum Bernhardus, loqueremur, qui triplicem ponit manducationem, primam Sacramentalem, quæ parùm prodest: alteram, qua Christi corpus sine fructu percipitur: tertiam manducationem dicit esse credentiũ, qui hanc Cœnam à Christo institutam esse, ipsumque corpus & sanguinem suum distribuere statuunt.

Quòd verò Doctorem Lutherum & sectatores eius, à nobis, quoad fundamentum, non dissentire dico, eius rei hanc habeo causam, quòd affirmant corpus & sanguinem CHRISTI, in & per fidem percipi. Nos autem, præter nudum panem & vinum, in cœna Dominica nihil relinquere Doct. Lutherus scribit, licet verba CHRISTI non secus ac ipse, sectatoresque eius recenseamus. Verba verò Christi contemnentibus, vt impij faciũt, & quibus omnia, quæ Christi sunt, sordent, quomodo illa manducatio prodesse possit?

Igitur diligenter omnia perpendens (cuius rei Deus mihi testis est) reperire non possum, in quibus re ipsa dissentiamus, modò verbis conuenire possimus. D. Lutherus, ne panis tantùm & vinum in Cœna relinquerentur, eiusmodi locutionibus vsus est, quæ crasso Papistarum errori patrocinari multis visæ sunt: Qui homines à fide, ad externa sacrificulorum opera, & ab honore venerandi Sacramenti, ad impias Missarum pompas deduxerunt. Huic verò errori nostri occurrere volentes, eiusmodi verbis vsi sunt, quibus verba CHRISTI reprehendi, ac nihil præter nudum panem & vinum in Cœna relinqui, Doct. Lutherus existimauit, cuius tamen rei nostri nullam fecerunt mentionem.

Insuper

Insuper ad Christi iudicium prouocans dico, me nihil dissimulare, sed ea dicere, quæ sentio, & quæ ab initio dissidiorum sensi, cuius rei mihi scripta mea testimonium perhibebunt, omnesque illi, cum quibus his de rebus commentatus fui, licet me meliùs ea intelligere aut clarioribus verbis explicare posse nequaquam dicam.

Semper etiam ex animo optaui, vt cum M. Philippo & alijs doctis viris, omnibus depositis affectibus, in vera simplicitate (vt in rebus diuinis fieri æquum est) de his rebus conferre possem: sed hactenus id impetrare nõ potui. Deus, quæ ad nominis sui gloriam profutura esse nouit, faciat. Nobis certè periculosa scandala ex dissidijs illis prouenientia cõsiderantibus, nihil optatius contingere posset, quàm si dissensiones tollerentur. Hoc impetrari posse, si spes esset, nullis molestijs aut laboribus parceremus.

Hæc omnia vt in bonam partem accipiatis, & ad pacem & concordiam ijs vtamini, rogo, &, si fieri potest, efficiatis, vt cum M. Philippo, Domino meo charissimo, colloqui possim. DEVS, cui me commendo, nobis sua gratia adsit. 22. Iulij.

Post Scripta.

Excidit, cuius cum primis meminisse oportebat, nos de incarnatione Domini, de vnitate personali duarum naturarum in Christo, de Ascensione Domini, & ad dextram patris sessione, ita credere atq; docere, vt præscripserunt Patres in Synodo Nicena, vt tradiderunt D. Hilarius, Augustinus, & huius ordinis alij, imò vt D. Martinus in Postilla sua docuit. Nam fingunt sibi quidam vestrum, ob quædam alijs, quàm ipsi vti solent, verbis à nostris exposita, nos de hisce mysterijs perperam sentire, hancque præcipuam causam faciunt, cur nos fratrum albo expunxerint.

Proindè quantum ad hæc attinet, secura sit D. T. nihil in nobis rectæ fidei desiderabitur. Siquidem rectè post Scripturas Orthodoxi illi Patres, ac D. Lutherus ipse hisce de rebus scripserunt. Horum admonere D. T. volui, vt, si quid dominos & amicos nostros, eruditos vestros, de nostra circa hæc sententia causari contingat, ipsi subeat, quod verè respõdeat. Quam Dominus incolumem seruet, ac felicem reddat. In diuersorio Legatorum vrbis Argentoratensis. 10. Cal. Augusti.

His Buceri literis lectis, ne nostri defuisse suo loco concordiæ viderentur, Ioanni Brentio mandatum est, vt cum illis colloqueretur, nec tamen cæterorum nomine quicquam promitteret, sed audita ad suos fideliter referret. Cùm autem Bucerus & socij, Electoris etiam Saxoniæ Theologos, ac Philippum inprimis, ad colloquium placidum accedere optarent, vt collatis sententijs concludi & transigi faciliùs posset: Philippus sequenti epistola ipsis sententiam suam significauit.

PHILIPPVS MELANTHON BVCERO CVM SVIS S. D.

BRentius exposuit mihi summam Colloquij vestri. Neque ego recusarem vobiscum coràm colloqui, si nunc per certa negotia liceret. Nam ita velim persuadeatis vobis, me, si cubi dissentio à vestris dogmatibus, sine vlla acerbitate animi, sine odio dissentire. Mihi non videtur vtile Reipub. aut tutum meæ conscientiæ, nostros Principes onerare inuidia vestri dogmatis, quod neque mihi, neque alijs persuadere possim contra Ecclesiæ autoritatem. Si tamen mecum per literas colloqui volueritis, promitto me illas ita asseruaturum esse, ne quid inde periculi vobis possit oriri. Cinglius huc misit ἐξομολόγησιν, in qua certè non vult videri verbis discrepare à nostra sententia: Et præter rem tumultuatur in alijs quibusdam articulis.

Videtur

Videtur in homine magis Helueticus quidam, quàm Christianus esse Spiritus, qui impulerit eum ad tam ferociter scriptam confessionem. Magnopere vellem posse controuersiam περὶ δείπνου κυριακοῦ sedari, de qua si quid ad me scripseritis, libenter respondebo. Valete, 25. Iulij.

DOCTIS-

DOCTISSIMO ET HVMANISSIMO VIRO, DOMINO PHILIPPO MELANTHONI, CAPITO ET BVCERVS

S. D.

QVòd colloqui tecum optamus, vir doctissime, non inde est, Deum testamur, vt in vos, qua apud mundum flagramus, inuidiæ partem deriuemus: Satis namq; nouimus, mundum nihil prorsus Christi ferre, quacunq; illud ratione administres: id quod non tu solùm, sed etiam Erasmus, quo nemo veritatem profitetur ciuiliùs, abundè experitur. Stat dictum Christi, animam ei perdendam esse, qui apud ipsum inuenire illam cupit, vnum profectò animæ seruatorem. Et nos alioqui à publica rerum perturbatione, vt quiquam alij, abhorremus: Sed cùm Dei amor ac studium omnibus rebus anteferri debeat, si etiam extrema rebus humanis immineant, non licebit tamen prodere veritatem Euangelicam, tacere quæ loqui iubet Deus, relinquere lupis, pro quo gregem sanguinem Christus fudit. Vides modò id, quod, qua es innocentia & bonitate, haud quaquam suspicabaris, nempe veritati adeò nihil vspiam loci esse reliquum. Haud enim multi sunt, quibus datum est, sese penitus abnegare & deuouere cruci. Hæc cùm pridem nobis persuaserimus, non possumus à mundo aliud, quàm exitium expectare, etiamsi illum per Eucharistiam nihil offendissemus, & arctissimè quoque inter nos coniuncti essemus, quotquot Christi esse volumus. Quantula enim nostrum omnium, ad eos, qui Rom. Pont. agnoscunt, portio? Ab vno Christo & fide, omnem petendã iustitiam & salutem, cætera fucum esse, id verò est, quod in nos, vt mundi Principem, ita & mundum commouet. Quid enim illos conturbet, quadam ratione negare Christum in pane, qui nec in cœlo quidem esse ipsum credunt? nulla igitur nobis causa est, cur quenquam, nedum vestros Principes, tam pios, tam sanctos, nostri dogmatis inuidia onerare cupiamus. Adhæc tam abest, vt petamus aliquem profiteri, de quo non sit per verbum Dei certò persuasus, vt vehementer etiam, si quis

id

id ausit, detestemur. Nusquam enim magis abesse temeritatem conuenit, quàm in negotio Dei.

Porrò quantum ad Cinglij apologiam vel confessionem attinet, putamus te posse securum esse: præter enim id, quod nemo ignorat, quàm nihil nobis cum illo commune sit, vides ipse iam, vnũ hoc esse, quod Cæsarem nobis omnibus irritat, quòd Christum posthabere pontifici nequimus.

Cæterum quo hic iussu scripserit, iudicabit Spirituum ponderator. Nos nemini, aut certè perpaucis datum arbitramur, dũ hac carne grauantur, aliquid ita pro Dei Spiritu gerere, vt ei caro nihil sui adijciat. Non desunt etiam, optime Philippe, (quod tua pace scribere liceat,) qui putent & Lutherum aliter fuisse admoniturum Ecclesiasticos nuper illo libello, si scribenti caro nihil sui afflasset: vt multa alia taceamus, quæ in eo & alijs suis scriptis in nos, sub nomine fanaticorum & hæreticorum præter verum torquere videtur. Atqui de quibus alijs articulis præter rem Cinglius hoc suo scripto tumultuetur, non videmus: Nam nihil attingit, quod non antea editis libris orbis iudicio obtulerit. Et modò, cùm tanto Monarchæ, in præsenti theatro, fidei reddenda ratio fuit, dissimulasse, quid quæso aliud, quàm malæ ipsum conscientiæ insimulasset, & hostes ad persequendum vltrò fugientem animasset? Nobis profectò videtur, si vnquam fortiter & ingenuè veritatem asseruimus, hoc in præsentiarum, cùm iudicare illam mundus instituit, præcipuè faciendum esse. Ita sanè solebãt martyres prisci.

Vtinam verò, quam paulò antè cœpimus meditari modestiam, initio & progressu huius negotij præstitissemus, nec adeo tumultuari paradoxis, si non contra, certè præter nostram professionem libuisset.

At verò quod scribis, Cinglium nolle videri, verbis tantùm dissidere, fatemur, sed cum ijs, qui crassiùs, quàm tu facere nobis videris, Christi corpus, vel pani vniunt, vel in pane collocant. Ipsum autem Seruatorem nostrum testamur, nos inter eius in Cœna præsentiam, quam ille constare scribit contemplatione fidei, & vos realem quidem, sed non localem statuitis, aut nullum, aut certè prætenue, quodque, dum quæritur, euanescat, discrimen cernere. Longiùs abesse à nobis de veritate humanitatis in Chri-

sto

sto videri possitis, cum proximo illo Brentij colloquio, tum quibusdam eiusdem & aliorum scriptis: Verum si quis & hîc remotis affectibus, veroque pacis studio, vtrorumq; sententiam excutiat, dispereamus si aliam deprehensurus sit controuersiam, quã quę conueniri nondum potuit, de verbis, quibus hoc mysterium proponendum sit. Quî namque fieret vt tantis in rebus non idem sentirent, quos idem docet agitque Spiritus?

De te nullum nobis dubium est, cùm tanti Patrum autoritatẽ, & quidem meritò, facias, ad horum loquendi formam te, si de isto tibi mysterio differendum sit, propius accedere. Nec Lutherus sanè Marpurgi ita inconsideratè, vt quidam, loqui videbatur. Hæc omnia videt tua prudentia, vir doctissime, quàm latè pateant.

Ad hoc abundè expertus es, quàm parum scriptis hactenus ad restituendam inter nos concordiam profecerimus, cum colloquio illo Marpurgico, quamlibet tumultuario, ac longè, quàm oportebat in tanto negotio, breuiori, aliquid tum dissensionis positum sit, & reliquum, vt nostra fert sententia, positum indubio fuisset, si licuisset alteros alteris suam sententiam certiùs & dilucidiùs exponere. Perturbatis sic animis, rarò id legitur quod scribitur, & si legi contingat, ferè aliò quàm scriptum est, interpretatione incommoda rapitur. De fide alioqui tua in asseruandis literis nihil dubitamus, quanquam eò quoque periculorum nos ipsos pridem ob Christi nomen, vt nos quidem nobis conscij sumus, adduximus, vt haud videamus, quid illis queat adijci.

Ne dubites autem & tu, nos præstituros, vt colloquium nõ minùs absque fraude tua habeas, quàm queat absque nostra agi literis. Stultorum siquidem hominum rumusculos contemnere decet, cum effugere non liceat, quacunque demum ratione res instituatur. Vix nuper ad alteram horam cum Brentio de concordia collocuti sumus, & eo statim die, magnus quidam gloriatus est, nos huc veniisse, vt recantemus. Christo viuimus, cui nemo verba dabit, tum bonis duntaxat probari cupimus: Iam nos vel nugę istæ nihil mouent, vel si præstringi illis oculos ad tempus contingat, veritas breui istiusmodi fumos dispellens, rursum ad se reuocat. Insolentem esse Christianum oportet, quem ista ab inquirenda pace saluteq; frui remorentur.

Pro-

Proinde te per Christum oramus, nisi omnem de nobis spem desponderis, tuum ad colloquium copiam nobis facere digneris. Veniemus, quò & quando tu voles, ac eos præstabimus, de quibus nihil dubitaturus sis, Christi gloriam ex animo quærere, abesseque longè ab omni hac in causa fuco fraudéue. In reliqua vita quamlibet veri esse studeamus, id nobis vsuuenit, quod hominibus solet, vt etiam nos ipsos sæpè fallamus.

Hac in re autem, & in omni negotio doctrinæ Christianæ sic nos excussimus, vt deierare liceat, nihil aliud nos, quàm Christi placita, quærere.

Scribis, te sine vlla acerbitate animi dissentire: Crede, hîc nihil tibi cedimus. Addis, te nihil hîc contra nos egisse: Nos & hîc & alibi, vos & vestra etiam defendimus, quæque defendere non licet, vel tacemus, vel lenimus: omnia, quæ in nos dira admodum & dicunt & scribunt, procul vero, zelo tamen Dei, sed intempestiuo adscribimus, nec vlli nostram sic causam commendamus, vt non simul commendemus & vestram. Publicam pacem & nos nostro sanguine redimere optamus, sed quæ solida sit, quamque nemo dederit nisi Christus, cui Pater dedit omnem potestatem in cœlo & in terra, quique verò tum candidis & minimorum etiam rationem habentibus delectatur.

Vide verò in quàm longos logos, responsio ad vnicum epistolium deduxerit. Quid futurum putas, si res tantas, per epistolas tractare velimus? sunt enim & alia, vt aiunt, de quibus tibi errare videmur.

Et hodie narrauit quidam, dixisse te primario cuidam partis aduersæ Theologo, Cinglium & me Bucerum recantasse, in quæ Marpurgi consensimus, omnia id quod absque causa dixisti, si modò dixisti. Nam omnibus illis adhuc adhæreo, & quidem ad sensum Lutheri. Nec discessit ab eis Cinglius: quod tibi, & omni, qui iudicio aliquo præditus fuerit, facilè comprobabo, si ad colloquium nos admittere videbitur.

Oro, paucis arbitris velis esse contentus, quia familiare Colloquium ambimus. Brentium & similes adesse optamus. Nos præter Sturmium neminem adhibebimus, &, si libet, etiam hunc mittemus. Dilectio namq; vetat, aliud à vobis, quàm quod candi-

candidos decet, expectare: vtcunq; iactent nonnulli, voces quasdam dici & scribi parum synceras, quæque non queant, nisi ex sinistro & præpostero nostri iudicio nasci.

Bene vale, & quod te dignum hac in re arbitratus fueris, significa. Interuenit negocium nobis, alioqui quarto hinc die ista scripsissemus, ne putes volentes responsum hactenus distuliſſe. Ex diuersorio Legatorum vrbis Argentorati, 28. Iulij.

Tui Capito & Bucerus.

ETsi autem tantopere Colloquium Bucerus & socij vrgerent, tamen Saxonici, re deliberata, statuerunt, scriptis potiùs, quàm viua voce, agendum esse. Et quia Cancellario Pōtano, Brentio, & alijs, Bucerus ostenderat, de verbis tantùm inter Lutheranos & Cinglianos litigari, de re ipsa consensum esse: Iudicarunt, Bucero statum controuersiæ, seu momenta causæ, in quibus totum certamen consisteret, breui scripto notata, mitti oportere: De quibus si apertè & ingenuè se ille declararet, vlteriùs in tractatione causæ procedi, & syncera ac durabilis concordia constitui posset. Sequentes igitur

ARTICVLI,

Statum controuersiæ inter Lutherum & Bucerum ac cæteros Cinglianos principalem, perspicuè indicantes,

à Philippo, ex cuius autographo ipse eos magna ex parte transscripsi, notati, & per Cancellarium Pontanum Bucero missi sunt, adiunctis etiam literis Pontani, in quibus de tota causa, suam & Theologorum sententiam copiosiùs exposuit.

ARTI-

ARTICVLI.

Cingliani sentiunt, corpus Domini tantum in vno loco esse posse.

Item, Corpus Christi non posse alicubi esse, nisi localiter: Et valdè contendunt, quòd repugnet naturæ corporis, simul in diuersis locis esse.

Et propterea sentiunt, quòd corpus Christi sit in loco certo circumscriptum in cœlo, ita, vt simul nullo modo possit alibi esse, & quòd verè & realiter distet à pane, nec in pane nec cum pane sit.

Ergo non est, quod disputat Bucerus, quòd idem sentiat nobiscum.

Nos enim dicimus, quòd corpus Christi simul possit in locis diuersis esse, siue id fiat localiter, siue alio arcano modo, quo diuersa loca personæ Christi simul, tanquam vnum punctum præsentia sunt. Item veram & realem corporis Christi præsentiam cum pane ponimus.

Bucerus nunquam audet dicere, si velit sententiam Cinglij aut Oecolampadij sequi, corpus Christi realiter est cum pane, sine distantia Geometrica.

Nos possumus has sententias allegare de præsentia corporis, Ego sum in medio eorum: Quia non alligamus corpus Christi simpliciter, ita vt necesse sit in vno loco tantùm esse circumscriptum.

Hæc verba, CONTEMPLATIONE fidei, nihil significant ipsis, nisi absentis Christi recordationem.

Et Bucerus ipse offundit nebulas, cùm dicit, de his verbis, contemplatione fidei: Id à nonnullis non maiorem emphasin habere dicitur, quàm si quis absentis recordetur amici. Sed nostri præsentiæ illi multò plus tribuunt, vt, quæ per certissimum Dei verbum, & potentem Spiritus Sancti cooperationem consistat.

Hi præsentiam tantùm intelligi volunt de efficacia & Spiritu sancto. Nos autem requirimus non solùm præsentiam potentiæ, sed corporis. Hoc de industria dissimulat Bucerus.

Ipsi simpliciter sic sentiunt, quòd corpus Christi sit in cœlo, & non sit vel cum pane, vel in pane realiter.

Et tamen dicunt corpus Christi verè adesse, sed cõtemplatione fidei, hoc est, imaginatione. Hæc simpliciter est sententia istorum. Fucum faciunt hominibus per hoc, quòd dicunt verè adesse, & tamen postea addunt, contemplatione fidei, id est, imaginatione. Sic iterum negant præsentiam realem.

Nos docemus, quòd corpus Christi verè & realiter adsit, cum pane vel in pane.

Videtur autem mihi Bucerus hinc insidias struere: cùm dicit, nos vnà conuenire, s. quia negamus transsubstantiationem, sed dicimus manere panem.

II. Quanquam dicimus, quòd corpus Christi realiter adsit, tamẽ nõ dicit Lutherus, adesse localiter, scilicet in aliqua mole, circũscriptiuè, sed illo modo, quo Christi persona, seu totus Christus præsens est, toti Ecclesiæ suæ & omnibus creaturis.

III. Hinc argumentatur Bucerus. Si Christi corpus adest illo modo, quo totus Christus præsens est omnibus rebus, sequitur quod corpus Christi sit in aliquo vno loco positum localiter: Et quòd aliæ res, quia habent loca dissita, tamen præsentes sint corpori non realiter, sed obiectiuè. Ita disputat tantùm imaginariam esse præsentiam.

Sed Bucerus decipitur hac imaginatione: Quia nunquam concedit realem & veram præsentiam.

Item, Nobis est dicendum, quòd dicamus veram & realem præsentiam esse, & non disputandum, vtrum sit localis, vel qualis sit.

Ad hos Articulos & literas adiunctas, Cancellario Electoris Saxoniæ D. Pontano, Bucerus sequentibus literis respondit.

Habeo gratiam tuæ D. quod responsionem à M Philippo mihi impetrauit. Verùm si hic vir mea voluisset probè expende-

re.

re, haudquaquam adiecisset, me de industria dissimulare, ipsum cum suis requirere præsentiam corporis. Noui hoc pridem, & si non nouissem antea, Marpurgi tamen ab ipso in cubiculo D. Lutheri licuisset discere, cum eadem, quæ hîc scripsit, coram mihi diceret. De eo autem in præsentiarum disputo, quam ipsi corporis præsentiam requirant, nimirum, quæ nihil motus, nihil loci requirat, constareq; possit, vt Lutherus in sua confessione colligit, etiamsi Christus vnum in cœlo locum occupet, non esse aliam, quàm quę habetur cõtemplatione fidei. Verbo enim afferri Christi corpus, & fide percipi asserunt. Ecquis alius præsentiæ modus, quo diuersa loca personæ Christi simul, tãquam vnum punctum, præsentia sunt? Id quòd fatentur in articulis, quos D. T. modò misit. Sed quid opus verbis? M. Philippus fatetur, sic esse corpus Christi cum Sacramẽto, sicut adest nobis iuxta hęc sua promissa, mansionem apud eum faciemus, ero in in medio illorum, ero vobiscum vsq; ad cõsummationem seculi, Item iuxta illud Pauli, Christus habitat in vobis. Iam idem & nos agnoscimus, & adducta loca intelligimus ita, vt sancti Patres. Horum itaq; autoritatẽ cùm M. Philippus tanti faciat, quid mirum, si videatur mihi re nobis conuenire? Iterum namque dico, nec ob id offundo nebulas, hæc verba, Contemplatione fidei, nobis plus, quàm absentis recordationem significare. Id quoq; in Dialogo suo Oecolampadius abundè testatus est.

Miror autem cur offendat, quod scripsi: **Die vnsern streckẽ aber sollich Gegenwertigkeyt gar vil weitter / als die durch das vnfehlend Wort Gottes / vnnd gewaltige Wirckung des heyligen Geistes / bestehet.** Cùm ipsi quoq; ita loqui soleant, per verbum Christi corpus afferri, & Patres passim per virtutem Spiritus sancti hîc Christum præsentem fieri testentur. si equidem hîc significo præsentiam tantùm intelligi de efficacia, & Spiritu sancto: Idem & ipsi significant, cùm ijsdem verbis vtantur. Sed quid? & Oecolampadius satis superq; testatus est, ipsum quoque Domini corpus nobis in Cœna præsens exhiberi, verùm ita, vt Chrysostomus, vt Patres reliqui crediderunt, nudæ animæ, & puræ menti, eiq; in cœlestia subleuatæ.

Cæterùm, credimus Deo possibile omne verbum. Verùm cùm Scripturæ Christi corpus, tam post resurrectionem, quàm

ante in vno semper loco, corporis modo, nunquam in pluribus, ostendant, ego non ausim affirmare diuersum.

Corpus Christi non esse alicubi, nisi localiter, non est nostra sententia, nisi esse alicubi, modo corporis, vel iuxta proprias dimensiones intelligas. Verum enim & totum Christum fatemur esse, vbicunq; Christiani sunt: habitat enim in illis. Corporis naturæ repugnare dicimus, alicubi esse corporis modo, nec tamen localiter, sed non modo quouis.

Repugnare naturæ corporis, simul in diuersis locis esse, affirmamus, sed ita vt Augustinus, vt Thomas, vt Bonauentura, ac multi alij, quos nemo vnquam non inter Orthodoxos, quantum ad hanc quidem sententiam attinet, habuit. Hæc verba Augustini, Christum esse in aliquo loco cœli, propter veri corporis modum, vera credimus, & eo modo, quo in cœlis agit, simul alibi eũ esse, in pane, vel cum pane, secundum Scripturas, cum omnibus & Patribus & Scholasticis negamus.

Porrò cùm hæc sit D. Augustini sententia, à qua ne pilum latum discedimus, & agnoscat hunc M. Philippus sibi in negotio Eucharistiæ consentientem, propterea quòd passim fateatur, in Cœna Domini corpus verè præsens, quî fit, vt non & nos sibi consentire agnoscant, eadem fatentes?

De proprietate corporis Christi, fateor, nobis non conuenit cum quibusdam, qui D. Lutheri sententiam defendunt, sed haud scimus an & M. Philippus cum illis faciat: Sed in præsenti de ea duntaxat controuersia disputaui, quæ circa Cœnam est. Huius verba vera agnoscimus, & tantam Christi præsentiam fatemur, quantam verba exprimunt, & quantam ex eis omnes Patres intellexerũt, nempe veram & realem. Quid ergo est, cur nos abijciant vestri?

De proprietate autem naturæ humanæ in Christo, & ascensione eius in cœlos, ea credimus, quæ S. Patres, quotquot extant, tradiderunt, & scholastici secuti sunt. Cum his pugnant quidam vestrum. Dum autem illos Christianorum albo ob id non expungunt, cur non & nos in illo ferunt?

De hoc autem non dubitet D. T. Sententiam hîc quorundam partis vestræ, S. patres nequaquam tulissent. Id testantur illorum

lorum scripta. Nec dubito, si hæc de Eucharistia contentio non interuenisset, & illos nunquam in eam fuisse discessuros. Certè D. Martinus diuersa in Postilla docuit, libro suo optimo.

Quod autem D. T. scribit, rem molestam sibi videri, si ob sola verba sit dissensio, pium id animum testatur. Verùm istuc tamen olim vsuuenit etiam sanctissimis viris. Nostros autem hisce de rebus non loqui, vt antea fuit solitum, mirari D. T. non debet, vulgum credidisse pleraq; absurda, & pani tribuisse, quę sunt Christi. Nostri certè initio tantùm contra vulgi errorem scripserunt. Sed quia videbantur Carolstadio accedere, & à D. Luthero deficere, scripta in eos à Luthero, & alijs sunt: Quæ iure debuisse nostros confutare, in eo præsertim sensu, quo vulgus illa accipit, agnoscet olim D. T. cum omnibus Deum timentibus. Posteriora quoq; Lutheri & Brentij scripta purius de hoc mysterio, quàm priora, loquuntur. Vnde nihil insolens, ex posterioribus plus concordiæ cognosci. Sed visum Domino est, nos nunc sic conflictari: dies autem declarabit, vtri purius Christi gloriam asseruerint, & vtri Christum rectiùs fuerint imitati.

Huic equidem gratias ago, quòd dedit tentare, quęcunque vllo modo ad concordiam factura speraui: Reliquum item, spero dabit, siue vita, siue morte testari, me hîc Christi sensum synceriter sequutum esse. Viderint illi, quem spiritum sequantur, dum nec colloquio dignantur, & multa impingunt, quæ nemo vera faciet. Tuam D. Christus, cum Illustris. Principibus, seruet & proueheat ad gloriam nominis sui, & donet, id olim in nobis, ac tota hac causa agnoscere, quod Christi est: Quod cum dabit, fatebimini, nos nihil perperam hîc credidisse, aut docuisse. Interea velim docti vestri tantum candoris haberent, vt non aliorum dogmatum & consiliorum nos insimularent, quàm scirent sequi. D. T. hæc boni consulat, Nouit enim Christus, me illa, nulla alia causa, quàm nominis Christi illustrandi scripsisse. In hoc feliciter valeat, & me sibi in Domino habeat commendatum. Augustæ 4. Augusti. Anno 1530.

D. T.

deditiss.

Martinus Bucerus.

In Confessione etiam ciuitatum, Argentinæ, Memmingæ, Constantiæ & Lindaniæ, Cinglij dogma eo tempore sequentium, Imperatori Carolo paulò pòst in Comitijs illis exhibita, Articulum de Cœna Domini ita composuit Bucerus, vt cum Lutheri sententia prorsus congruere quibusdam videretur.

DE hoc articulo ea apud nos traduntur & docentur, quę ab Euangelistis, D. Paulo & sanctis Patribus tradita sunt atque relicta, quæq; Ecclesiæ Dei ac erudiendæ multitudini inprimis salubria & vtilia videntur, nempè, Dominum nostrum Iesum Christum, vt in vltima Cœna discipulis suis, ita etiamnum singulis fidelibus & credentibus, iuxta verba institutionis ipsius: (Accipite, comedite, hoc est corpus meum: bibite ex hoc omnes, hic calix nouum testamentum est in meo sanguine) sacram Synaxin accedētibus, in hoc Sacramento verum corpus, & verum suum sanguinem, verè comedendum ac bibendum tradere, in cibum animæ & vitæ æternæ, vt illi in Christo, & Christus in illis maneat, atq; ita fiat, vt in extremo die ad immortalitatem & vitam æternam resuscitentur atq; resurgant.

Summo etiam studio atq; diligentia, vulgus à Sophisticis & non necessarijs disputationibus in hoc articulo abducitur, & ad diligentem earum rerum considerationem admonetur, quæ in hoc negotio præcipuè prosunt & ab ipso Christo sunt præscriptæ, quòd scilicet eodem modo, quo à Christo saturamur, etiam cum eo in sancta, Deo placente & æterna vita viuamus, vnusque panis & vnum corpus simus, siquidem omnes de vno pane in sacra Cœna participamus. Quam etiam ob causam Sacramentum Cœnæ Dominicæ summa deuotione & reuerentia in nostris templis administratur atq; percipitur.

Hæc cùm ita sint, Clementissime Cæsar, facilè conijcere & intelligere Cæs. M. V. potest, omnia illa ficta esse & ementita, quæ aduersarij maleuolo animo & nocendi studio aduersum nos effutiunt, nempè, nos verba Christi perperam interpretando, præter nudum panem & vinum, in sacra Cœna nihil relinquere, atq; ita venerandum Sacramentum contemnere & administrationē eius abrogare. Nos e diuerso pro vero affirmare non dubitamus, nostros

nostros concionatores populum diligenter erudire & monere, vt reiectis & sepositis omnibus humanis commentis & glossis, simpliciter & indubitatò verbis Christi credat & fidem adhibeat, ac venerando Sacramento, iuxta Christi institutionem, ad nutriendam animam, gratiarum actionem & Redemtoris nostri memoriam recolēdam summa deuotione sæpissimè vtatur: id quod etiam hoc tempore frequentiùs & maiori animi deuotione fit, quàm antehac fieri consueuit. Præterea concionatores & apud nos in verbo Ministri, neq; hactenus subterfugerunt, neq; in posterum subterfugient, vt huius de Sacramento Cœnę, ita aliorum omniū Christianæ fidei articulorum rationem, non solùm Cæs. M. verumetiam omnibus alijs, in vera simplicitate fusiùs & vberiùs explicare atq; reddere.

Cùm autem nihil eo tempore concludi de Fraternitate cū Bucero & ipsius socijs incunda potuisset, & Bucerus constanter in eo perseueraret, suam & D. Lutheri sententiam in fundamento ac reipsa conuenire, etiamsi in phrasibus & formis loquendi dissimilitudo aliqua appareret: tandem visum est rectissimum, si Bucerus ipse ad Lutherum scriberet, & sententiam ipsi suam perspicuè explicaret. Eius scripti meminit Philippus in epistola ad Lutherum, cuius initium est: Per Cyriacum plura his verbis.

Bucerus scribit tibi περὶ δείπνου κυριακοῦ, & vult accedere ad nostram sententiam. Sentit adesse corpus Christi cum pane. Hæc summa est. Scripsi ei propositiones, sed certo consilio misit suas propositiones, 25. Augusti.

Respondit autem Lutherus in literis ad Philippum, quarum initium est: Vtinam vos breui &c. his verbis.

Bucero nihil respondeo. Nosti ὅτι ἐγὼ μισῶ τὰς κυβείας καὶ παιδαγωγίας αὐτῶν, οὐκ ἀρέσκουσί μοι οὗτοι. Sic non docuerunt hactenus, nec tamen agnoscere aut pœnitere volunt, quin pergunt asserere, non fuisse inter nos dissensionē, scilicet vt nos confiteamur, eos rectè docuisse, nos verò falsò pugnasse vel potiùs insanijsse. Sic Diabolus vndique nostræ Confessioni insidiatur quando vi nihil potest, veritate superatus.

Nihilominùs Bucerus, paulò pòst, ante Comitiorum exitum, præscien te Electore Saxoniæ & suo magistratu, ad Lutherum Cobergam profectus est, vt de pijs rationibus & medijs componendæ huius controuersiæ cum eo transigeret. Eadem de causa aliquantò pòst ad Oecolampadium & Cinglium se contulit. Sed varijs subinde interuenientibus remoris, actionis illius conclusio in sextum vsque annum dilata, & Vvitteberga tandem concordia constituta est.

Eam formulam concordiæ, etsi ad huius Augustani conuẽtus Acta propriè non pertinet, tamen cùm perbreuis sit, & nostris etiam temporibus, renouata priore controuersia, pijs & cordatis, veritatem & pacem amantibus, viam concordiæ piam & salutarem monstrare possit, cæteris Augustæ in hac causa susceptis actionibus adiungendam esse putaui.

FORMVLA CONCORDIAE DE COENA DOMINI, ANNO M. D. XXXVI. VVITTEBERGÆ INITÆ.

AVdiuimus Martinum Bucerum suam & cæterorum, qui cum eo ex ciuitatibus venerunt, sententiam de Sacramento corporis & sanguinis Christi hoc modo declarare.

Fatentur, iuxta Irenæi verba, in hoc Sacramento, duas res esse, cœlestem & terrenam. Sentiunt igitur & docent, cum pane & vino verè & essentialiter præsens adesse, exhiberi & sumi corpus & sanguinem Christi.

Et quamuis transsubstantiationem improbant, nec sentiunt corpus Christi localiter in pane includi, vel alioqui corporaliter cum pane vniri extra sumtionem Sacramenti: tamen fatentur & sentiunt, Sacramentali vnione panem esse corpus Christi, hoc est, sentiunt & credunt porrecto pane verè simul præsens esse, & verè porrigi corpus Christi.

Nam extra vsum & sumtionem, cum panis seponitur & seruatur in monstrantijs, aut in processionibus circumgestatur & ostenditur, sicut in Papatu, ibi non sentiunt Christi corpus adesse.

Secundò, sentiunt institutionem huius Sacramenti per Christum factam, efficacem esse in Ecclesia Christiana, nec positã esse in dignitate vel indignitate ministri, qui Sacramẽtum porrigit, vel illius qui accipit. Quare, sicut Paulus dicit etiam indignos Sacramentum manducare, ita sentiunt etiam indignis verè exhiberi corpus & sanguinem Christi, & indignos verè accipere, cùm institutio & mandatum Christi Domini seruantur. Sed tales accipiunt ad iudicium, sicut Paulus inquit, quia abutuntur Sacramento, cum sine vera pœnitentia & sine fide accipiant.

Ideo

Ideo enim institutum est, vt testetur gratiam & beneficia Christi sumentibus applicari, & verè corpori Christi inseri, & sanguine eius ablui eos, qui pœnitentiam verè agunt, & fide in Christum se consolantur.

Cùm autem hoc tempore pauci nostrum conuenerint, & ad cæteros etiam concionatores & magistratus vtrinque referri hanc causam necesse sit: nondum concludere hanc concordiam possumus, priusquam ad cæteros etiam retulerimus. Cùm autem hi omnes fateantur, se idem sentire & docere in omnibus articulis velle, quod in Confessione & Apologia Principum Euangelicorum expositum est: summopere cupimus & optamus, vt concordia erigatur. Quòd si cæteri ab vtraque parte hunc etiam Articulum sibi placere ostendent: planè confidimus, firmam & durabilem concordiam inter nos constitutum iri.

Subscripserunt

VVolffgangus Capito.
Martinus Bucerus.
Martinus Frechtus.
Iacobus Ottherus.
Geruasius Scholasticus.
Ioannes Bernardi.
Bonifacius Lycosthenes.
VVolffgangus Musculus.
Martinus Germani.
Matthæus Aulberus.
Ioannes Schradinus.

Martinus Lutherus.
Caspar Cruciger.
Ioannes Bugenhagius.
Philippus Melanthon.
Iustus Menius.
Fridericus Myconius.

EPISTOLA IOANNIS OECOLAMPADII AD PHILIPPVM MELANTHONEM.

S. D. Gratia & pax à Christo.

MAgis absentem literis interpellare tuã humanitatẽ, Melanthon ornatissime, hactenus non sum veritus, sed pristinæ familiaritatis necessitudinem qualibuscunque tandem Epistolarum amicarum, si non eruditarum officijs conseruare studui. Quantò magis mihi temperare non possum, quin propiorem insalutatum relinquam: & profecto id coràm facerem, si quidem vel pericula nõ prohiberent, vel ab Ecclesia mea cõmodè abesse possem. Nihil enim tuo colloquio in terris gratius optatiusque euenire posset multis certè nominibus, sed hoc potissimum, vt de rebus Ecclesiæ fideliter tecum agerem, si possent è medio tolli schismata quædã, nuper, non dico à quibus inuecta. Tum sanè iucundum mihi foret, ex hac vita migrare, id, quòd opinor, ex varijs meis literis ad te, accepisti, nisi fortè malo infortunio, nullæ ad te peruenerint, quod suspicari licet ex perpetuo silentio tuo: nondum enim ausim insimulare te, quem cuncti mansueto Christi spiritu præditũ testantur, ita surrexisse supercilium, vt λιτὰς familiarium inaudi tas, sine responso dimittas. Itaque satis mirari non possum. Optima quæq; de te mihi polliceor, at ne verbo quidem spes fouetur. Vereor tandem futurum, vt sciam te amicitiæ renũciasse. At quo pacto id facies, nisi & Christo valedicas, qui & ipse mihi κεφαλὴ? Persuasum enim mihi, nullum ex membris illius, qui illum verũ & Deum & hominem fatentur ac credunt, beneq; erga omnes ea fide conspicuos affecti sunt, ab alijs membris, quæ idem Spiritus vegetat, abijci posse. Neq; in hoc falli potero, vtcunq; fratrũ imbecillitas, officij sui interdum parùm memor est.

Non ignoramus hîc, quæ ὁ τέκτων, τοῦ ἀντιχρίστου ὀυ χρισβομος, ἀλλὰ παρόντος κήρυξ istic fabricet philippica (de Macedone inquã, non de te, nostro verè candido) fraude, vt nobis primùm negocium faciat, quò deinde & vos quoque inuadat. Sed ante oculos pennatorum frustra proijcit retia. Equidem non mediocre cœlestis

festis patris beneuolentiæ iudicium censeo, quod & tu in hoc præclaro Principum Germaniæ cõuentu, amicis & pijs suggerere valeas, ea quę pacis, & quę in gloriam Christi. Proscribi cupit nescio quos Sacramentarios. Scilicet illi fidei sinceritas cordi est. & hoc pacto concordiæ consulet, si crassiùs & loqui & sentire περὶ τῶν μυστηρίων, quã par est, inculcarit. Interim crepat multas Sycophãtias, quasi nobis sit figura ac phantasma, nõ veritas Christus, quasi imbecillis, non omnipotens Christus, quasi vnicum angulum occupãs, & nõ vbiq; sit ac portet omnia verbo virtutis suæ. Bellè scilicet, si distinctiùs de naturis vnius personæ loquimur, ideirco alterã negare videamur: & si diuinitatem negemus passam in sua natura, ideo cogamur negare etiã Christum Deum passum. & si asseramus, corporeã Christi dimensionẽ & quantitatem non esse vbiq; locorum, ideo inficiemur Christum, qui humana, quæ semel assumsit, nunquã dereliquit, non esse vbiq; locorũ, non esse inter duos & tres in suo nomine congregatos, nõ esse in fidelium cordib. Tales audio istic nostrę fidei interpretes ac calũniatores haberi.

At te oro per Christum, vt maledicorum hominum effrenẽ licentiam, quatenus licet, apud pios remoreris, indicando, non eò pertingere nostros sermones: imò addere hoc tutò poteris, neutiquã nos boni cõsulere, si qs dicat, veluti Iudã, & pecus, nos communẽ panem vel solũ Sacramentũ edere, χάριν γὰρ τὴν ἀόρατον μετὰ τῶν συμβόλων ὁρατῶν δίδομέν τε καὶ λαμβάνομεν ὥσπερ καίγε ὁι πίστει γεγυμνασμένοι αἰσθητήρια ἔχοντες. Et planè contumelia Apostolos affici semper diximus, si qs super eos solam igneam linguã & signum Spiritus cõsedisse dicat, negans interim verè participes gratiarũ Sp. sancti: quãuis nequaquam sentire potuerim, igneam linguam esse substantiuè Spi. sanctũ, sicut neq; flatũ: neq; dubito, quin idẽ & vos catholicè affirmetis. Quid igitur hic tantũ cõtroversiarũ? Vnde hæc iterũ volui tibi indicata, vt ostẽdere possis quibusdã, si ponãt contentiones, nõ deesse viam, qua cõcordia paretur Ecclesijs. atq; istis anathematismis, exibilationib, ac fulminationibus, nihil proficitur. Interea tamẽ Deus suos non relinquet.

Porrò de Statu Ecclesiæ Basiliẽsis, rumor cũcta nũciat, tametsi pleraq; vaniùs. Vna re gloriamur, ablatam discordem Christi prædicationem, & quòd Magistratus totus in hoc est, vt iuxta verbũ Christi quam purissimè sua plebs viuat, quicquid alij nugentur. Certè nõ est integrum expectare generale illud Conciliũ, vt interim

rim conniueant ad plurimorum impietatem. Laborant item, vt gymnasium instaurent, literęque bonæ cum pietate plantentur. Vale, Basileæ prid. Cal. Aprilis, Anno 1529.

RESPONSIO PHILIPPI MELANTHONIS.

ALiquot accepi tuas Epistolas, quæ, quoniam extant in eis multæ non obscuræ significationes veteris tuæ erga me beneuolentiæ & voluntatis in amicitia constantissimæ, valde gratæ mihi fuerunt: Nam meus animus idem est erga te, qui fuit semper. Ego autem, admiratione doctrinæ & virtutum tuarum incensus, semper & amaui te plurimùm, & singulari quadam pietate colui. Atque vtinam ea essent tempora, vt frui hac nostra amicitia possemus. Sed incidit horribilis dissensio de Cœna Domini, quæ veterem consuetudinem officiorum, quibus inter nos certare solebamus, impediuit, beneuolentiam verò erga te meam non labefecit. Itaque si quid in me desideras officij, tempora magis, quàm fidem meam, accusare te velim.

Quod ad causam, quam agis, attinet, valde doleo ea de re dissensionem exortam esse, quæ à Christo ad glutinandam charitatem instituta est. Scis autem me hactenus magis extitisse spectatorem huius fabulæ, quàm actorem. Et multas graues habui causas, cur non admiscuerim me tam odioso certamini. Interea nulla alia cura vllius rei animum meum magis exercuit, quàm huius negotij. Et non modo cogitaui ipse, quid in vtramque partem dici possit, sed inquisiui etiam veterum ea de re sententias: Ego enim nolim alicuius noui dogmatis in Ecclesia vel autor, vel defensor existere.

Cùm omnia, quæ in vtraque parte firmissima videntur, expendi, dicam pace tua, non tamen eo in sententiam tuam: Nullam enim firmam rationem inuenio, quæ conscientiæ discedenti à proprietate verborum satisfaciat. Nihil autem ad hunc diem de hoc negotio scripsi, quia videbam futurum, quicquid scriberem, vt me allegari à Luthero tanquam domesticum testem, iniqui iudices dicerent. Nihil autoritatis in nostra sententia futurũ erat,

erat, quia in alterius gratiam scripta videretur. Sed spero te meliùs de meis moribus sentire:

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Qualiscunque enim sum, certè nunquam amaui Epicureos istos, cuiusmodi multi sunt hoc tempore, qui religionem irridēt, & quibus voluptati est, de maximis rebus homines fallere.

Semper, vt scis, studiosus fui doctrinæ Christianæ: fuitq; ob eam causam mihi curæ, vt eam diligenter cognoscerem: nec sine paruo negocio, dum quæro, quid sequi tutò possim, extricaui me ex Scholasticis disputationibus, cuius rei nonnulla extant testimonia.

Quòd si gratiam aucuparer, non ignoro, quàm multos magnos & eruditos viros habeat vestra factio: horum amicitiam nō contemnerem. Itaque si mihi vestra sententia de Cœna Domini placeret, simpliciter profiterer.

Vos absentis Christi corpus, tanquam in Tragœdia, repræsentari contenditis. Ego de Christo video extare promissiones, Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi, & similes, vbi nihil est opus diuellere ab humanitate diuinitatem: proinde sentio hoc Sacramentum veræ præsentiæ testimonium esse. Quod cùm ita sit, sentio in illa Cœna præsentis corporis κοινωνίαν esse. Cùm proprietas verborum cum nullo articulo fidei pugnet, nulla satis magna causa est, cur eam deseramus. Et hæc sententia de præsentia corporis, conuenit cū alijs scripturis, quæ de vera præsentia Christi apud nos loquuntur: nam illa est indigna Christianis opinio, quòd Christus ita quandam cœli partem occuparit, vt in ea, tanquam incluſus carceri, sedeat.

Tu colligis absurda multa, quæ sequantur hāc sententiam. Colligis etiam quasdam veterum sententias, quæ pro te videntur facere. Sed absurda minùs offendent eum, qui meminerit de rebus cœlestibus, ex verbo Dei, non ex Geometria faciendum esse iudicium, quique tentatus didicerit nullam esse rationem, quę conscientiam satis docere possit, cùm à verbo Dei discesserit.

In ijs locis, qui citantur ex veteribus, agnosco quandam esse dissimilitudinem, sed tamen ex his, si quis prudenter eliget grauiss. autorum dicta, inueniet pleraque, quæ ostendunt hanc, quam

quam nos sequimur, veteris Ecclesiæ, quatenus nobis nota est, communem fuisse sententiam: tametsi tu quidem, homo disertus, quosdam locos nimis callidè interpretaris, & ad tuam causam detorques.

Veteres, cùm de resurrectione disputant, allegant Cœnam, nec ineptè, meo quidem iudicio: significauit enim Christus Apostolis, se resurrecturum esse, quia sui corporis κοινωνίαν instituit. Necesse enim erat, vt viueret corpus, quod nobis impartiendum erat. Quòd si veteres sensissent tabsens corpus repræsentari, quomodo inde probarent resurrectionem? quia, etiamsi non resurrexisset Christus, tamen absens corpus, & consumtum repræsentari potuit, sicut in fabulis Hector repræsentatur. Sed non instituti nunc disputationem: tantùm hæc scripsi, vt meam erga te beneuolentiam perpetuam cognosceres, neque tamen volui, quid sentiam, dissimulare: Teque rogo, vt consideres, quantam rem, quamque periculosam susceperis. Verum illud est, nimium altercando amitti veritatem: atque hæc multò magis periclitatur in his tam violentis concertationibus. Quare satius esset hac de re aliquot bonos viros in colloquium vnà venire. Video quæ semina harum disputationũ sparsa sint in veterum libris, sunt & in quibusdam nupernatis ante hunc tumultum.

Video causam vestram præsidijs ingeniorum niti, & vos habere studia theatri, non tantùm manifesta, sed occulta etiam: quę haud scio, an efficaciùs vobis suffragentur, quàm manifesta. Satis nota est mihi tua modestia: quare non arbitrabar opus, vt te admonerem, vt cogitares, homines ingeniosos & prudentes interdum labi posse. Et in negotijs Spiritualibus in primis periculosa est ingenij fiducia. Scis scriptum esse: Abominatio apud Deum est, quicquid est sublime in mundo. Et multo plures sunt, quàm putentur, qui tantùm ea amplectũtur in religione, quæ ingenijs eruere ac comprehendere potuerunt. Postremò te rogo, vt hanc meam Epistolam, optimo atq; amicissimo scriptam animo, boni consulas. Vale. Spiræ, Anno M. D. XXIX.

PAX

PAX RELIGIONIS INTER AVGVSTANAE CONFESSIONI ADIVNCTOS ET PONTIFICIOS STATVS IMPERIJ, in Transactione Passauiensi, anno M. D. LII. primùm inita, & postea in Comitijs Augustanis, Anno M. D. LV. sequenti Decreto sancita & promulgata.

NOS DEI GRATIA FERDINANDVS, Romanorũ Rex, semper Angustus, Archidux Austriæ, &c. profitemur notumque facimus vniuersis. Quandoquidem in omnibus Imperij Comitijs, nec non plerisque alijs conuentibus, ab annis triginta & suprà celebratis, de communi, firma & durabili Pace, inter S. Imperij ordines, in causa Religionis controuersæ, erigenda, variæ tractationes institutæ, & deliberationes susceptæ, aliquoties etiam Inducĩæ factæ fuerunt. Quæ tamen ad pacem conseruandam minimè suffecerunt, nec impedierunt, quò minùs inter S. Imperij ordines assiduæ simultates & diffidentia relinqueretur, quæ non exiguis malis originem causamque præbuit: Et nisi, durante hoc Religionis dissidio, integra & plena Pacificatio tã religionis, quàm aliorum prophanorum ciuiliumque negotiorum ergò suscipiatur, omnibusque modis hic articulus ita tractetur & componatur, vt vtriusque Religionis partes postea nominandæ, scire queant, qua erga se inuicem sint voluntate, & quid alterutri ab altero sit expectandum: nec Status nec illorum subditi firmam certamque securitatem possint sibi polliceri, sed perpetuam de imminentibus grauissimis periculis sollicitudinem & curam dubij sustinere cogantur.

Nos, ad periculosam hanc securitatis incertitudinem è medio tollendam, & Statuum ac subditorũ animos in tranquillitatem & cõcordiam ac fidẽ mutuam restituendos, & Germaniã, patriã nostram charissimã, à funestis dissensionibus atq; interitu vindicandã: cùm Electorum Cõsiliarijs & præsentium Principum & Statuum

Statuum deputatis, & absentium legatis & nuncijs, & illi vicissim nobiscum, vnanimiter consensimus & concordauimus.

Statuimus, ordinamus, volumus & mandamus, ne posthac quisquam, cuiuscunque dignitatis, status aut conditionis fuerit, vlla omnino de causa, quocunq; illa nomine appelletur, vel quocunque tandem prætextu, alterum bello inuadere, spoliare, capere, infestare, obsidere, neque ad hoc vel per seipsum, vel per alium suo nomine, auxilium ferre, nec vllam arcem, oppidum, munitionem, pagos aut villas, clandestino introitu vel vi manifesta, altero inuito petulanter occupare, aut incendio, vel alio quouis modo deuastare, neque talia conantibus consilium, operam, aut vlla ratione auxilium & opem ferre, nec eos scienter ac dolosè hospitio vel in suam domum recipere, victum ac potum præbere, sustentare aut retinere ausit: Sed vnusquisque alterum vera beneuolentia & Christiana charitate complectatur, nec vllus status, siue membrum S. Imperij, alteri, qui competenti loco seiuri offert, liberam importationem commeatus, victum, negociationem, reditus, census & alios prouentus intercipiat aut prohibeat: Verùm Cæs. Maiestas & Nos, omnes Status, & vicissim Status, Cæsaream Maiest. & Nos, nec non quilibet Status alteram, in hac sequenti, tam Religionis quàm per communem & solennem constitutionem erecta publica PACE, omnibus modis inuiolatum relinquat.

Vt autem hæc PAX, etiam in controuersæ religionis causa, sicut ex paulò antè recitatis rationibus, summa totius S. Imperij Germanicæ nationis necessitas efflagitat, eò firmiùs & stabiliùs inter Cæsaream Maiestatem, Nos, & Electores, Principes ac Status S. Romani Imperij constitui, confirmari & conseruari possit: Cæsarea Maiestas, Nos, Electores etiam, Principes & Status S. Imperij Rom. nullum Statum Imperij, propter Augustanam confessionem, eiusdemque doctrinam, Religionem, ac fidem de facto violenta manu inuadere, oppugnare, lædere, opprimere vel alia ratione contra ipsius conscientiam & voluntatem, ab hac Augustanæ Confessionis religione, Fide, ritibus Ecclesiasticis, ordinationibus & ceremonijs iam institutis, aut postea instituendis, in ipsorum Ducatibus, territorijs & dominijs auocare & depellere debemus, nec mandatis vel vlla alia ratione molestiam exhibere,

bere, aut contemnere: Sed in hac Religione, fide, ritibus, ordinationibus ac ceremonijs, atque etiam in suis possessionibus, bonis mobilibus & immobilibus, prouincijs, subditis, dominijs, iurisdictione, dignitate ac iure, quietè & tranquillè relinquere debemus. Nec controuersa religio aliter quàm pijs, amicis & pacificis medijs & rationibus, ad vniformem & Christianam concordiam redigi debet. Quæ omnia Nos, Cæsarea & Regia fide, & Principes ac Status cæteri veraciter & sub pœna pacis publicæ, religiosè seruabimus.

Econtrà Status Confessioni Augustanæ addicti, Cæsaream Maiestatem, Nos atque Electores, Principes, alioſq; Imperij Status, antiquæ Religioni adhærentes, Ecclesiasticos & politicos, eorumque Capitula, & cæteros Ecclesiasticos quocunque loco residentes aut degentes (dummodo in constituendis ministerijs seruetur, quod infrà peculiari articulo cautum est) pari ratione, in sua Religione, Fide, ritibus Ecclesiasticis, ordinationibus ac ceremonijs, nec non possessionibus, bonis mobilibus & immobilibus, prouincijs, subditis, Dominijs, superioritatibus, dignitatibus & viribus, perceptione redituum, censuum, decimarum, imperturbatos relinquent, ijsque tranquillè & pacificè vti, frui, & sine recusatione solui sinent, fideliterque ea in re eos iuuabūt. nec quicquam de facto aut alioquin iniustè contra eos suscipiēt, sed iuxta dispositionem ordinationum ac decretorum S. Imperij, pacisque publicæ, ab vtraque parte, in ordinaria Iuris cognitione & decisione, acquiescent: sub fide ac dignitate Principali, veritate dicenda, & pœna in constitutione de pace publica comprehensa.

Omnes verò alij, non alterutri ex duabus memoratis Religionibus adhærentes, in hac pace non comprehensi, sed prorsus ab ea excluſi esse debent.

Cumque in constituenda hac pace Religionis inter alia motum fuerit, si Ecclesiasticorum vnus vel plures à veteri religione discessuri essent, quid de Archiepiscopatibus, Episcopatibus, Prælaturis ac beneficijs, quæ eousq; possedissent, seruari debeat: De quo vtriusque Religionis Status inter se conuenire non potuerunt: Ideo Nos, vigore mandati Cæsareæ Maiestatis, ac potesta-

tis nobis factæ, declarauimus ac constituimus, idq; in præsentia scientes facimus hoc modo:

Si Archiepiscopus aliquis, Episcopus, Prælatus vel alius quispiam ordinis Ecclesiastici, à nostra antiqua religione discessurus est, vt ille suum Archiepiscopatum, Episcopatum, Prælaturam & alia beneficia, cum omnibus fructibus & prouētibus, quos inde percepit, statim sine vlla recusatione & mora (saluo tamen ipsius honore & existimatione) resignet & relinquat, & capitulis, aut ijs, quibus id Iure communi, aut de consuetudine Ecclesiarum & Collegiorum debetur, alium, antiquæ religioni adhærentem eligere & ordinare liberum sit. Qui vnà cum capitulis Ecclesiasticis, alijsque Ecclesijs, iuxta Collegiorum & Ecclesiarum fundationes, electiones, præsentationes, confirmationes, veteres consuetudines, iura & bona mobilia ac immobilia, sine vllo impedimento, quietè retinere permittatur: citra tamen præiudicium piæ & amicæ concordiæ de Religione in posterum faciendæ.

Quia verò nonnulli Status, eorumq; prædecessores, quædā Collegia, Monasteria & alia Ecclesiastica bona occuparunt, eaq; in Ecclesias, Scholas, & pias, & alias causas conuerterunt: placet, vt bona illa Ecclesiastica, ad eos, qui immediatè Imperio subiecti, eiusdemque Imperij Status sunt, non pertinentia, & quorum possessionem Ecclesiastici, tempore transactionis Passauiensis, vel postea, non habuerunt, sub hac pacificatione, simul comprehendantur atque includantur, vt eodē loco & ordine, sicut quilibet Status de ijs disposuit, maneant: nec vllus Status, eorum bonorum nomine, in iudicio vel extraiudici aliter, constantis & perpetuæ pacis conseruandæ causa, conueniri possit.

Mandamus ergo ac iubemus, vigore huius decreti, Cæsareæ Maiestatis Cameræ Iudici & assessoribus, ne horum occupatorum alienatorumq; bonorum causa, vllas citationes, mandata, siue processus decernant.

Ac vt vtriusq; religionis consortes firmiore pace ac securitate, vnà habitare & manere, inuicemq; conuersari possint: Ecclesiastica iurisdictio (Electorum tamē Spiritualium, Principum, Statuum, Collegiorum & Monasteriorum reditibus, prouentibus, decimis, feudis cæterisq; iuribus, vt suprà dictū est, saluis) in

Augusta-

Augustanæ Confessionis Religionem, fidem, constitutionem ministrorum, ritus Ecclesiasticos, ordinationes, ceremonias, tam constitutas quàm constituendas, priusquam plena & integra Religionis concordia restituta sit, exerceri extendique non debet: quin potius illorum religioni, fidei, ritibus, ordinationibus, ceremonijs & ministerijs (vt deinceps peculiari capite agetur) libertas sua, sine vllo impedimento relinquetur, quiescente interim & suspensa Iurisdictione Ecclesiastica, tantisper, donec, vt prædictum est, plena & integra Religionis concordia fuerit restituta. In cæteris verò casibus, Augustanę confessionis religionem, fidem, ritus, ordinationes, ceremonias, ministeria non concernentibus, poterit & debebit iurisdictio Ecclesiastica, per Archiepiscopos, Episcopos, & reliquos Prælatos, prout quisq; eam in possessione vsuq; habet, liberè exerceri.

Etsi autem statibus antiquæ religionis, omnes ipsorum reditus, census, decimæ, vt suprà constitutum est, relinquuntur: tamen cuilibet statui, sub quo reditus illi, census, decimæ, vel bona sita sunt, in ijsdem bonis, sua politica superioritas, ius & iurisdictio, quam ab initio harum dissensionum de religione in illis habuit, atque exercuit, relinqui, nec prætextu huius constitutionis de ea quidquam diminui debet. Interim verò, quæ de istis bonis olim ad ministeria Ecclesiarum necessaria, parochias & scholas item ad Eleemosynas & hospitalia, quæ curare ab antiquo tenentur, collata sunt, deinceps quoq;, nulla habita dissidentis religionis ratione, conferentur.

Exorta autem super his rebus dissensione, quælibet pars vnam & alteram pacificam personam, amicè dirimendæ litis causa eligent, & si illæ inter se non consentiant, adiungent arbitrum superiorem neutri parti addictum, qui summariè cognita causa, intra sex menses dijudicabunt, quid, quantúmue pro sustentatione ministrorum, Ecclesiæ, scholæ, & pauperum, conferri oporteat. Verùm qui hoc nomine conuenitur, ante dijudicationem causæ, modo præscripto, possessione sua non spoliari, nec arcto inhiberi aut grauari debet. Nihilominùs verò ij, quorum sunt reditus, census, decimæ, & bona, de quibus olim ministeria Ecclesiarum sustentata fuerunt, & quibus tale onus impositum fuit, ad constituenda ministeria illa, vsque ad causæ decisionem conferent, quæ olim conferre soliti fuerunt.

Porrò nulli Status, alios, eorumq; subditos, ad suæ religionis professionem cogent, vel à priori domino abducent, vel contra suum magistratum in tutelam defensionemq; vlla ratione suscipient. Quibus verò olim protectione & tutela aliorum dominorum vti ius fuit: illis nihil præiudicatum hac sanctione volumꝰ, nec ad eos hæc Constitutio pertinebit.

Si autem Nostri, vel Electorum, Principum ac Statuũ subditi, tam antiquæ religioni, quàm Augustanæ confessioni adhærentes, Religionis causa, ex Nostra, vel Electorum, Principum ac Statuum S. Romani Imperij prouincijs, ditionibus, ciuitatibus, oppidis, vnà cum suis vxoribus & liberis in alia loca concedere, ibiq; habitare velint: Illis hoc, quemadmodum etiam distractio suorum bonorum, dummodo pro cuiusq; loci vsitata consuetudine, quod ratione subiectionis & discessus debetur, soluant, sine vllius impedimento, & absq; vlla honoris sui diminutione, cõcessum, liberumq; erit. Nihil tamen vlli Magistratui, de suo iure proprietario, quod habet, & vt de eo cedat vel non cedat; detractum esse volumus.

Et quoniam concordia & consensus Religionis & fidei, iustis & legitimis medijs quæri debet, & sine firma & constanti pace ad piam & amicam compositionem Religionis commodè perueniri nequit: Nos & Electorum Consiliarij, Electorum loco, præsentes Principes, Status, & absentium legati tam Ecclesiastici quàm politici, publicæ tranquillitatis & salutis causa, vt pernicioſas animorum distractiones & diffidentiam ex Imperio tollamus, & laudatissimæ huius nationis imminentem interitum arceamus, ac vt eò maturiùs controuersiæ Religionis ad Christianam concordiam reduci possint: hanc PACEM, in omnibus suprà scriptis articulis, vsque ad piam, amicam & integram cõtrouersiarum religionis compositionem, perpetuò, firmiter, inviolatoq; seruare & sequi vnanimiter decreuimus.

Quòd si talis compositio & concordia, per vias generalis vel nationalis Concilij, colloquiorum, vel tractationes conuentuũ imperialiũ, obtineri non poterit: nihilominus tamen hæc inita Pax, in omnib. enumeratis punctis & articulis, vigorem suum, donec tandem de religione conueniat, retinebit. Atq; sic prædicto, omnibusq; alijs modis, constans, durabilis, immota, perpetuaq; & æterna pax, constituta & rata manere debet.

Eadem

Eadem pace liberam Nobilitatem quoq;, Cæsareæ Maiestati & Nobis immediatè subiectam, comprehendi & includi volumus, ita vt supradictæ alterutrius religionis causa, à nemine oppugnari, molestari vel grauari debeat.

Postquam verò in multis liberis & Imperialibus ciuitatibus, vtraq; religio, nostra nimirum antiqua, & Augustanæ Confessionis Religio, proximis annis vsitata fuit: deinceps quoq; retineri debet in ijsdem ciuitatibus, quarum ciues atq; incolæ, tam Ecclesiastici quàm Politici, pacificè & tranquillè cohabitabunt, nec vna pars alterius religionem, ritus & ceremonias abrogare, aut quenquam cogendo inde abducere tentabit: sed quilibet alterum, iuxta tenorem huius Pacificationis, in sua religione, fide, ritibus, ordinationibus & ceremonijs, non minùs, quàm in possessione suarum facultatum, ac in cæteris rebus, sicut superius de vtriusq; religionis statibus ordinatum constitutumq; est, imperturbatum relinquet.

Omnia verò, in prioribus Imperij decretis & ordinationibus comprehensa & statuta, quæ huic Paci, in omnibus suis punctis & articulis aduersari, vel contra eam detorqueri possent, nihil omnino huic Paci derogabunt aut detrahent, nec vlla declaratio vel aliud, quod eam impedire vel mutare posset, dari vel admitti, ac etiamsi daretur, impetraretur vel reciperetur, tamen inutilis & nullius momenti esse, neq; in iudicio siue extra iudicium secundum illam quicquam moueri vel pronunciari debet.

Prædicta vniuersa & singula, in quolibet articulo expressa, & Cæsaream Maiestatem & Nos concernentia, debemus & volumus Cæsarea Maiestas & Nos, Cæsarea & Regia fide, pro nobis & nostris successoribus, perpetuò inuiolatè & sanctè seruare & exequi, ijsdem firmiter absq; vlla recusatione insistere, nec vllo tempore, nunc vel in futurum, siue ex plenitudine potestatis, siue quocunq; alio prætextu, in contrarium quicquam facere, agere, vel mandare, neq; cuiquam alij Cæsareæ Maiestatis vel Nostro nomine faciendum permittere.

Et nos Electorum Consiliarij, Electorum nomine, & pro ipsorum successoribus & hæredibus, Nos præsentes Principes, Prælati, Comites, & Barones, absentiumque Principum, Prælatorum, Comitum & Baronum, atque S. Imperij liberarum & Imperialium ciuitatum legati & mãdatarij, loco & nomine nostro-

rum dominorum & superiorum,& pro ipsorum successoribus & hæredibus,consentimus & promittimus, sub Principali dignitate,bona & syncera fide,& per verbum veritatis, sine dolo & fraude, quantum vnumquemque concernit vel concernere potest, omnia prædicta perpetuò, firmiter, sanctè & inuiolatè seruare, eademq; fideliter & sine vlla recusatione exequi velle.

Præterea obligamus & deuincimus nos ab omni parte, quòd Cæsarea Maiestas,Nos,nullusq; statuum,alterum,quocunque prætextu id fieri possit,de facto aut vllo alio modo, siue clàm siue palàm,per nos vel per alios nostro nomine, inuadere, violare, opprimere, debellare, cogere, lædere, inquietare debeamus neq; velimus.

Et si alterutra pars vel status,alteri(quod tamen fieri minimè debet)nunc vel in futurum,de facto clàm vel palàm vim intulerit:Cæsarea Maiestas,Nos,& illi,nostriq; ac illorum successores & hæredes, tali casu, non modò autori iniustæ violentiæ nullo consilio, ope vel auxilio adesse, verùm alteri parti, quæ contra hanc Pacificationem violatur&oppugnatur,aduersus violatorẽ, aut de facto aliquid conantem, opem & auxilium ferre volumus & debemus.Omnia fideliter & sine calumnia.

Mandamus etiam ac præcipimus, vigore huius Imperialis Decreti,Cæsareæ Cameræ Iudici & Assessoribus,vt huic Pacificationi conformes se in Iure dicendo gerant,& petentibus partibus,sine respectu personarum, vtramvis de prædictis religionem partes sequantur,necessarium ac debitum auxilium ferant, iusticiamq; administrent, nec aduersus hæc vniuersa & singula in his Pacificationis articulis expressa, vllos processus aut mandata decernant, nec alio quouis modo agant aut moliantur.

FINIS.

INDEX

INDEX ALPHABETICVS,

SVMMA QVAEQVE CAPITA IN HOC VOLVMINE CONTENTA REPETENS.

A.

de Abusibus Ecclesiæ emendandis Phil. Melanthonis consilium. 622
Acta cum Cinglianis. 633
Amica tractatio inter Partes. 239
deq; hac, Censura Noriberg. 297
Lutheri. 311
Antonij Coruini de concordia Erasmiana iudicium. 582
Articuli statum controuersiæ inter Lutherum & Cinglianos perspicuè indicantes. 672
& Buceri ad eas responsum. 674
Articulus de Pace Augustæ à Protestantibus impetratus. 381

B.

Brentij & Philippi ad Landgrauium Hassorum literæ. 648
alteræ. 655
Buceri ad Greg. Pontanum, Elect. Saxonię Cancellarium Epistola. 659
Buceri & Capitonis ad Philippum communis Epistola. 668
Bucerus in tribus putat consistere controuersiam inter Lutherum & Cinglium. 660

C.

Cæsar Augustam venit. 44
Cæsaris & Principum intercessorum postulata ad Protestantes. 213
Responsio Protestantium. 221
denuò alia Angustioris Delectus. 281
Cæsar quærit ex Principibus, vtrum acquiescere Confessioni oblatæ, an addere aliquid velint. 122
Respondent Principes. 123
Campegij Cardinalis oratio. 61
Capitonis & Buceri ad Philippum communis Epistola. 668
Catalogus errorum Pontificiorum. 610
Causæ, cur amplexæ sint Ecclesiæ, quam profitentur, doctrinam Euangelij,

& cur iudicibus in Synodo Tridentina collectis non sit assentiendum 543
Christophori Ducis Vuirtebergici Confessio. 413
Clementis VII. Pontificis, & Caroli V. Imperatoris orationes Bononiæ habitæ. 5
de Cœna Domini Articulus in Confessione Argentinensium, Memmingensium, Constantiensium & Lindauiensium à Bucero conscriptus. 678
Colloquij Marpurgensis summa. 639
Comitia Monedularum. 28
Concordiæ media à Philippo & cæteris Theologis proposita. 236
alia à Papistis. 257
ad ea, responsio Protestantium. 26
de ijs iudicium Lutheri. 292
Concordiæ Vuitebergæ inter Lutherum & Bucerum confirmatæ formula. 680
de Concordia, Epistolæ Lutheri. 270 &c.
Confessio doctrinæ Christianæ XVII. articulis à Luthero comprehensa. 21
Confessio Augustana. 77
de Confessione Augustana iudicium Eccij. 232
Confessionis Augustanæ prima Apologia, oblata, sed non recepta. 335
Confessio Saxonica. 471
Confutatio Articulorum Confessionis August. Pontificia. 173

D.

Declaratio articulorum Confessionis, de quibus consentiant partes, de quibus non. 267
Decretum Imperatoris, Electori & coniunctis datum. 329
Electoris responsum. 332
Decretum Imper. de Religione Augustæ, Anno 1530. promulgatum. 389
Deliberationes de Religione, in Comitijs Augustanis Anni 1530. habitæ. 1
Deliberatio D. Georgij Truchses à Vualburg, & Vehi, de conditionibus pacis. 318
Theologorum ad eam responsum. 320
pacis conditiones mitigatæ. 322
articuli discordes notati. 323
Duo miracula Lutherus vidisse se ad Pontanum scribit. 133

E.

Eccij de Confessione Augustana iudicium. 232
Electoris Saxoniæ Confessio constantissima. 127
Electoris & coniunctorum ad postulata Cæsaris responsum. 46

Erasmi Deliberatio de Pace ad Cardin. Campegium. 157.& 158
Erasmi de sarcienda Ecclesiæ concordia iudicium. 566
Errorum Pontificiorum Catalogus. 610

F.

Formula Concordiæ VVitebergæ inter Lutherum & Bucerum confirmatæ. 681

G.

Georgij Marchionis Brandeburg. verbum heroicum. 45

I.

Imperator pollicetur Concilium, iubet interim omnia restitui, & Principes eandem secum religionem profiteri. 313
Principum & Statuum responsio. 314
Instructio Electoris pro Comitibus à Nassavv & Nevvenar ad Cæs. Maiestatem. 37
Ioachimi, Electoris Brandeburg. ad Electorem Saxon. & socios orationes. 372.& 376.
eorum responsiones. 374.& 376
Iohannes Elector Saxo. consulit Lutherum, Sítne parendum Imperatori conciones prohibenti. 30
Respondet Lutherus. 32

L.

Landgrauij Hassiæ responsio ad literas Philippi & Brentij. 651
Legatorum de Religione, & subsidijs contra Turcam, &c. sententia. 387
Libri contra Lutherum Cæsari à Pontificijs oblati. 131
Lutheri ad Albertum Cardinalem Mogunt. Epistola. 152
Lutheri ad Iohannem Electorem Epistola Consolatoria. 34
Lutheri ad Iohannem Elect. Saxo. Epistola, qua bellum religionis prætextu suscipi dissuadet. 10
Lutheri ad Philippum Landgrauium Hassiæ Epistola de colloquio cum Zuinglianis instituendo. 637
Lutheri, de Concordia, Epistolæ. 270.&c.
Iudicium eiusdem, quid concedi possit, quid non. 273
Lutheri, de interdicto Cæsaris, ad Islebium Epistola. 50
Lutherus duo miracula à se visa Pontano refert. 133
Lutherus pacem suadet. 409
Lutherus Philippum consolatur. 135.& 136
Lutherus quatenus Zuinglij dogmati subscripserit. 643

M.

Marpurgæ quatenus consenserint. 643
Marpurgensis Colloquij summa. 639

Martini Buceri ad Gregorium Pontanum Electoris Sax. Cancellarium Epistola de Concordia cum Luthero ineunda. 659
Miracula duo se vidisse Lutherus ad Pontanum scribit. 133
de Missa priuata, cur non possit Eucharistiæ etiam causa restitui, Protestantium rationes. 284
Lutheri, de hac disputatione, sententia. 287. & deinc.

O.

Oecolampadij ad Philippum Epistola. 682

P.

Pax Augustana Protestantium Legatis suspecta. 383
Pax Religionis primùm in Transactione Passauiensi anno 1552. inita, postea in Comitijs Augustanis, anno 1555. sancita & promulgata. 687
Philippi ad Bucerum & collegas eius Epistola. 666
Philippi ad Epistolam Oecolampadij responsio. 684
Philippi & Brentij ad Landgrauium Hassorum literæ. 648
Philippus Landgrauius concordiæ studiosus. 647
ad Philippum Landgrauium Hassiæ, de colloquio cum Zuinglianis instituendo, Epistola Lutheri. 637
Phil. Melanth. consilium de abusibus Ecclesiæ emendandis. 622
Postulata Cæsaris & Principum Intercessorum ad Protestantes. 213
Responsio Protestantium. 221
denuò alia Angustioris Delectus. 281
Prima Confess. Augustanæ Apologia, oblata, sed non recepta. 335
Propositio Comitiorum. 53

S.

Sententiæ, quibus seipsum Lutherus, in maximis tentationibus consolatus est. 14
Spirense φάσμα. 218

T.

de Traditionibus Ecclesiasticis. 162. & 164

Z.

Zuinglij assertionibus quibus Lutherus subscripserit. 643

FINIS.

IMPRESSVM FRANCO-
FORTI AD MOENVM, APVD
PAVLVM REFFELER, IMPENSIS
SIGISMVNDI FEIRA-
BEND.

M. D. LXXVIII.

112 D. 3